RosDok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Clemens Timpler

Philosophiae Practicae Systema Methodicum : In Tres Partes Digestum; In quo universa probe honesteque vivendi ratio tam generatim, quam speciatim per Praecepta & Quaestiones breviter ac perspicue explicatur & probatur ...

1 : complectens Ethicam Generalem, Libris IV. Pertractatam

Hanoviae: Antonius, 1608

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210

Band (Druck) Freier Zugang

Epist. Ind. 446 E.b.
119 Ind
2 . 5 .
E.b. 3090.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756906210/phys_0002
DFG

Ex Donatione Willebrandiana.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0003
DFG

PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ SYSTEMA METHODICVM;

IN TRES PARTES DIGESTVM:

In quo vniuersa probè honesteque viuendi ratio tam generatim, quàm speciatim per PRÆCEPTA & QVÆSTIONES *breuiter ac perspicuè explicatur & probatur,*

PARS PRIMA;

complectens

ETHICAM GENERALEM,
LIBRIS IV. PERTRACTATAM.

Auctore
CLEMENTE TIMPLERO
Stolpensi Misnico.



MD CVIII.

HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium.

Cum gratia & priuilegio S. Cæsar. Maiestatis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0006
DFG

Epistola Dedicatoria

AD ILLVSTREM ET GENEROSVM COMITEM AC DOMINVM, DN. PHILIPPVM LVDOVICVM, Hanouiæ & Rineckæ Comitem, Dn. in Müntzenberg, S. Cæs. Maiest. Consiliarium, &c. Dominum suum clementissimum.

ILLVSTRIS AC GENEroſe Comes, Domine clementiſſime: celebris admodũ eſt & in ſcholâ Peripateticorum peruagata ac trita Philoſophiæ in Theoreticam & Practicã diuiſio. Vtraque eximium & præclarum Dei immortalis donum eſt: vtraque cultura & medicina animi eſt perfectionisq; humanæ dux & magiſtra: vtraque honeſtiſſimarum voluptatum nectare mentem hominis perfundit: vtraque digna eſt, in quâ excolendâ omnes ingenii nerui intendantur plurimumque curæ & operæ

collocetur: vtraque laudem & gloriam immortalem suis cultoribus conciliat. Sed si vna pars cum alterâ accuratè comparetur, non leuis suboritur dubitatio, vtri principatus sit adscribendus. Vtrinque enim rationes existunt non contemnendæ, quibus tam huius, quàm illius præstantia inniti videtur. Et certè si Aristotelis Philosophorum Coryphæi omniumque eorum, qui in hac quæstione ei suffragantur, iudicium sequi velimus: necessariò Philosophiæ theoreticæ palma erit tribuenda. Verum cum nihil magis deceat Philosophũ, quàm amor veritatis, & moderata iudicandi libertas: nihilque iniquius sit, teste Scaligero, quàm rerum omnium dominatorem intellectum humanũ facere seruum alienarum opinionum; plusque auctoritati aliorum, quàm veritati tribuere; videtur potius approbanda sententia eorum, qui Philosophiam practicam theoreticæ præponendam esse contendunt. Cum enim

omnes

omnes artes & disciplinæ liberales propter hominem sint inuentæ ac constitutæ: etiam earum dignitas ex necessitate & vtilitate, quam ad hominẽ relatæ obtinent, maximè videtur esse æstimanda. Iam autem nemo negare potest, nisi rerum notissimarum ignarus sit, Philosophiam practicam magis, quàm theoreticam homini esse necessariam & vtilem. Hæc enim contemplatur res, quæ liberæ hominis voluntati ac operationi non sunt subiectæ; & quidem ita contemplatur, vt nudam & solam veritatis cognitionem sibi propositam habeat, in eaque tãquam suauissimo mẽtis pastu acquiescat. Illa verò versatur circa ea, quæ homini sunt bona vel mala; non, vt ea homo tantum cognoscat: sed vt mala quidem cognita auersetur & fugiat; bona verò appetat & persequatur.

Quod vt melius intelligatur, respiciendum est ad duplicem finem, ob quem homo à Deo & Natura est productus; vnum, qui

in scientia veri; alterum, qui in actione boni consistit. Ex quibus posterior tantò est præstantior, quantò ad summum in hac vitâ bonum consequendũ homini est conducibilior. Ad illum autem finem maximè Philosophia practica hominem deducit. Hæc enim modum in omni vocationum genere probè honesteque viuendi tradit: Hæc actiones humanas dirigit & informat, vt legi Naturæ & rectæ rationi sint consentaneæ: Hæc vniuersum virtutum moralium chorum homini contemplandũ proponit; & quanta in illis pulchritudo; in his sit deformitas ostendit: Hæc media idonea monstrat, quibus virtutes à nobis comparari; vitia verò declinari possunt: Hæc rationem bene constituendi & administrandi tum domum, tum Rempublicam edocet: Sine hac nemo, bonus vir; nemo, bonus paterfamilias; nemo, bonus ciuis euadere potest: Sine hac nulla societas humana, neque priuata, neque publica, neq; domestica,

domestica, neque ciuilis consistere, aut cõseruari potest. Illa igitur commoda, quæ ex Philosophia practica, tanquam fructus ex plantâ fœcundissima nascuntur, si conferantur cum iis, quæ Philosophiæ theoreticæ sunt propria; quis non videt illam vt necessitatis & vtilitatis; ita dignitatis ratione huic esse anteponendam. Sed vt veritas clarius eluceſcat, consideretur natura prudentiæ, quæ Philosophiæ practicæ soboles est pulcherrima. Illa enim est notitia vera bonorum & malorum, quæ hominem non tantum aptũ reddit ad discernendum honestum à turpi, vtile ab inutili: sed etiam facultate instruit rectè consultandi de mediis ad benè beateque viuendum conducentibus, & sic tam sibi, quam aliis consulendi. Eadem actionum nostrarũ totiusque vitæ humanæ est magistra & directrix; omnibusque virtutibus moralibus medium præscribit & determinat ab ipsis tanquam viam regiam

obseruandum. Unde à Platone in Menone dicitur μόνον ἡγεῖσθαι τοῦ ὀρθῶς πράττειν. *Et lib.3. De legibus:* πρώτη τῆς ξυμπάσης ἡγεμὼν ἀρετὴς *nuncupatur. Eiusmodi igitur prudentiam cùm Philosophia theoretica homini conferre non possit: quis illam practica Philosophia inferiorem esse non fatebitur? Accedit huc, quòd nemo benè contemplari res possit, solidamque veritatis notitiam sibi comparare, nisi animum habeat à prauis cupiditatibus & affectibus, qui homini tenebras offundunt, eiusque iudicium peruertunt, repurgatum. Hæc autem repurgatio partim fit per monita salutaria Philosophiæ practicæ; partim per virtutes, earumque actiones, circa quas illa versatur. Proinde rectè Aristoteles ait lib.3. Ethicorum ad Nicomachũ, cap.6.* ὁ σπουδαῖος ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς, καὶ τ' ἀληθὲς ἐν ἑκάστοις ὁρᾷ, ὥσπερ κανὼν καὶ μέτρον αὐτῶν ὤν: Vir bonus singula rectè iudicat, & in singulis verum perspicit,

quasi

quasi eorum norma sit & mensura. *Et certè omnis rerum contemplatio & scientia vana esset, & non tam utilis, quam noxia homini, nisi cum virtute morali, morumque integritate, quàm Philosophia practica profitetur, sit coniuncta. Perinde enim illa sese haberet in animo scientis, ac gladius acutus in manu furiosi. Nihil dicam, quòd error in agendo commissus longè deterior & pernicioſior sit, quam qui in contemplando accidit. Hic enim falsitatis tantum nube intellectum obumbrat; ille verò etiam voluntatem & vitam hominis fœda improbitatis macula inquinat & corrumpit. Idcircò etiam ignorantia Philosophiæ practicæ longè peior, quàm theoreticæ haud immeritò iudicatur. Hinc Socrates, qui Apollinis oraculo sapientissimus est iudicatus, relicto contemplationis studio totum sese doctrinæ benè viuendi & agendi addixisse, eamque quasi è cælo*

in terram ad vsum hominum, rectamque morum institutionem traduxisse dicitur. Existimabat enim summam hanc esse sapientiam, bona malaque distinguere, & illa quidem appetere & persequi; hæc auersari & fugere. Quamobrem etiam Philippus Macedonum Rex *filium suum Alexandrũ diligenter hortatus fuit, vt Philosophiæ practicæ operam daret, ne committeret, quæ se nunc fecisse pœniteat. Videbat enim vir prudentissimus in vitæ ciuilis institutione, Reipublicæque administratione facilè errare posse eũ, qui præceptis benè agendi non esset instructus. Ex aduerso autem* Thales Milesius, *qui vnus fuit ex septẽ Sapientibus Græciæ, cùm in cælum conuersus, sideraque contẽplans in foueam caderet, à Thracensi ancillâ facetè irrisus & taxatus fuit:* quod quæ in cælo sunt, videre contenderet; quę autem in terra ante pedes sunt, non videret. *Nec reprehensione indignus*

gnus iudicatur Archimedes, qui in obsidione patriæ suæ maluerit speculationibus mathematicis operam dare, quàm afflictæ & periclitanti patriæ suæ opem ferre, eãque aduersus hostium irruentium iniurias defendere. Cùm igitur Philosophia practica, theoreticam dignitate plurimum antecedat; officii mei esse duxi, non in hac tantum excolenda omne vitæ tempus consumere; sed maximè ad illam studia mea cõuertere. Itaque hactenus non tantum priuatas meas curas & meditationes in concinnando & adornando methodico illius systemate fixas & locatas habui; sed etiam Auditoribus meis eandem doctrinam eâ, quâ potui, perspicuitate, fide & industria proposui. Et cum animaduerterem hos meos labores non tantum illis fuisse fructuosos & gratos; sed etiam aliis viris doctis non improbari: tandem bonorum amicorum consiliis & precibus me adduci passus sum, vt de iis ad typos præ-

parandis seriam cogitationem susciperem. Totam autem Philosophiam practicam in duas partes distinxi; vnam generalem, quæ modum probè honesteque viuendi in genere tradit; alteram specialem, quæ eundem ad societatem domesticam & ciuilem restrictum considerat & explicat. Ex his primam, quæ vulgò κατ' ἐξοχὴν ETHICA nuncupatur, Illustri Generositati tuæ, Inclyte Comes, dedico, dedicatamque offero. Causa, quæ me ad hoc faciendum impulit, potissimum est duplex. Prima, est singularis & planè heroicus I. G. T. erga Philosophiam eiusque cultores amor & fauor, quem non tantum Heidelbergæ olim in celeberrimo illo Musarum Athenæo, cum sapientiæ & pietatis veræ sacris initiaretur, complurib⁹, iisque luculentissimis documentis, de quibus αὐτοψία mea testari potest, declarauit: sed etiam ab eo tempore, quo diuinâ prouidentiâ clauum imperii susce-

pit,

cepit, infinitis modis cum omnium bonorum admiratione & prædicatione planum & testatum fecit. Inprimis vero laudatissimo illo munificentiæ actu, dum in præclara Hanouiæ vrbe ad meliùs iuuentutem in optimarum artium & virtutum studiis instituendam, illustrem Scholam aperuit, eiúque viros in omni literaturæ & doctrinæ genere exercitatissimos, inter quos honoris gratia clarissimum & doctissimum virum, Dominum Iohannem Rodolphum Lauaterum eius Scholæ Inspectorem, meumque olim discipulum nomino, præfecit. Illius igitur fauoris humani ac beneuoli præsidio volui Ethicam meam generalem munire, munitamque in publicum emittere, ne fortè maleuolorum obtrectatorum præda fiat, ac sycophanticis illorum morsibus miserè corrodatur ac dilanietur. Altera causa est debitæ gratitudinis erga Illust. G. T.

declarandæ ſtudium. Cum enim hactenus nonnulli ingenii mei fœtus ex officinâ integerrimi viri Dn. Guilielmi Antonii I.G.T. Typographi in lucem prodierint; exiſtimaui ipſam honeſtatis & æquitatis legem efflagitare, vt ad euitandum ἀχαριστίας crimen, quo nihil fœdius & deteſtabilius, I.G.T. publicum aliquod animi mei grati monimentum & pignus offeratur.

Accipias igitur, quæſo, Generoſiſſime Comes, hanc Ethicæ meæ dedicationem, quam illuſtri nomini tuo inſcripſi; & quidem ita accipias, vt non ex verborum cortice, ſed ex ſubmiſſo & deuoto animi mei affectu illam æſtimandam cenſeas, ac deinceps gratiæ tuæ Fauonium ſtudiis meis adſpirare ſinas. Quod reliquum eſt oro æternum Deum, patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, vt I.G.T. vnà cum illuſtriſſima coniuge & generoſiſſima ſobole diutiſſima vitæ & ſanitatis florentis vſura beare

are, omniumque consiliorum & actionum illius euentus fortunare dignetur, vt tota Reipublicæ administratio ad illustrandũ diuini nominis gloriam, ad propagandam orthodoxam religionem, ad promouendum publicum subditorum commodum, denique ad æternam animarum salutem dirigatur.

Steinfurti, ex Museo meo Calendis Februarii, anno à nato Christo mundi seruatore CIↃ IↃ C VIII.

Illustri tuæ Generositati
addictissimus

M. CLEMENS
TIMPLERVS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0019
DFG

Ad Lectorem beneuolum.

EDIDI anteà in lucem, Lector beneuole, integrum METAPHYSICÆ & PHYSICÆ *meæ systema.* Illum laborem meum confido tibi fuisse gratum & vtilem. Quod si quædam in eo reperies, quæ videntur paradoxa; in illis examinandis libero tuo vtere iudicio; ita tamen, vt sententias meas non tam ex nouitate, quam rationum veritate tibi æstimãdas esse statuas. Quòd si etiàm alicubi me lapsum esse cognoueris, da veniam humanæ imbecillitati, & meliora ac veriora substitue: vt ita ex vtraque parte nihil aliud quam veritatis cognitio & propagatio quæratur. Iam verò accipe à me primam partem *Philosophiæ practicæ*, quæ à moribus, quos informat, generali ETHICÆ appellatione vulgò indigitatur. In illa multum ab Aristotelis, multum ab aliorum, quos alioquin suspicio & veneror, & methodo & opinionibus discessi. Illam necessitatem mihi imposuit non amor nouitatis, neque temeraria contradicendi libido, à qua totus abhorreo sed amor veritatis & rationum grauitas. Tu ad libram veritatis omnia sine præiudicio & affectu ponderato, & quod verum ac bonum est, retineto. In citando autem Aristotele secutus sum editionem Lugdunensem, quæ anno 1590, ex officina, *Iacobi Bubonis in folio* prodiit. Id quod propterea monendum esse duxi, ne in allegatis me errasse existimes. Bene & feliciter vale, & me amare perge.

INDEX

INDEX LIBRORVM, CAPITVM ET PROBLEMATVM.

LIBER PRIMVS.

In quo agitur de naturâ partim Philosophiæ Practicæ, partim Ethicæ, partim virtutis moralis in genere. fol. 1.

CAPVT I.

De natura Philosophiæ Practicæ. 1

PROBLEMATA.

1 An Philosophia Practica semper vno & eodem modo appelletur? 1
2 Quomodo Philosophia practica rectè sit definienda? 2
3 Quod sit subiectum proprium & adæquatum philosophiæ practicæ? 3
4 Quis sit finis proprius & adæquatus philosophiæ practicæ? 5
5 Quæ sint principia philosophiæ practicæ? 6
6 Quomodo philosophia practica differat à Theologia sacra? 7
7 Quomodo philosophia practica rectè sit distribuenda? 9
8 An philosophia practica sit ars valde necessaria & vtilis? 11.

CAP. II. *De natura Ethicæ, & virtutis moralis in genere.* 13

1 Quomodo Ethica rectè sit diuidenda? 14
2 Quomodo Ethica rectè sit distribuenda? 15
3 Vnde vox ἠθικὴ & virtus dicatur; & num semper eodem modo vsurpetur? 15
4 Quid sit virtus moralis in genere? 16
5 An virtus moralis rectè definiatur propositum constans viuendi, secundum legem, seu rectam rationem? 18
6 An virtus moralis rectè definiri possit per *potent-*

tiam, seu facultatem tanquam genus? 19
7 An virtus moralis præstantior sit virtute intellectuali? 20
8 An virtus moralis prout in Ethica tractatur, essentialiter differat à virtute Christiana, quam Theologia considerat? 20

CAP. III. *De causis virtutis moralis* 23

1 An virtus moralis habeat finem, & quinam ille sit? 26
2 An Deus sit causa efficiens virtutis moralis, & quidem solitaria? 27
3 An homo per naturam suam aptus sit ad acquirendam virtutem moralem? 27
4 An virtus moralis homini innascatur? 29
5 An naturalis ad virtutem propensio in omnibus hominibus sit æqualis? 31
6 An disciplina recta sit causa efficiens virtutis moralis, & quomodo? 32
7 An virtus moralis docēdo & discendo acquiri possit? 34
8 An prudentia sit dux & moderatrix omniū virtutum moralium? 36
9 Quod sit obiectum prudentiæ, & à quibus causis efficientibus pendeat? 40
10 Quæ sint officia prudentiæ, & quæ illi opponantur? 41
11 An prudentia ex æquo in omnes homines cadat? 43
12 Quomodo prudentia sit diuidenda? 44
13 An prudentia præstet sapientiæ? 45
14 An proæresis recta necessaria sit ad virtutis moralis acquisitionem, tanquam causa efficiens propinqua? 47
15 An inter causas efficiētes principales virtutis moralis proxima & immediata sit assuefact.o & exercitatio legitima? 48
16 Quæ sint causæ efficientes minus principales virtutis moralis? 52

17 An

17 An sola sacra scriptura statuenda sit causa exemplaris virtutis moralis? 54
18 Quomodo alii causas efficientes virtutis moralis recenseant? 55
19 An virtus moralis habeat materiam & formam? 57

CAP. IV. *De subiecto virtutis moralis.* 58

1 Quod sit subiectum recipiens virtutis moralis? 59
2 An virtus moralis intrinsecus versetur circa voluptatem & dolorem? 63
3 An virtus moralis intrinsecus versetur circa actiones & affectus hominis? 65
4 An affectus omnes suâ naturâ sint mali & vitiosi? 67
5 An in potestate hominis sit, moderari affectus? 69
6 An virtus moralis extrinsecus occupetur & exerceatur erga Deum & hominem? 71

CAP. V. *De Adiunctis virtutis moralis.* 72

1 An virtus moralis in mediocritate sit posita? 72
2 Qualis sit illa mediocritas, in qua virtus moralis posita est? 73
3 Quomodo mediocritas, in qua virtus moralis est posita, inueniri & obseruari possit? 77
4 An virtus moralis sit vniformis? 79
5 An virtus moralis sit innocens, & abusus expers? 79
6 An virtus moralis sit spontanea & voluntaria? 80
7 An virtus moralis sit constans, honesta & laudabilis? 81
8 An virtus moralis sit ardua & rara? 82

CAP. VI. *De effectis virtutis moralis in genere.* 83

1 An sit discrimen inter probam & beatam vitam? 84

2 An homo in hac vita possit esse felix? 86
3 An bona conscientia sit pars felicitatis humanæ, & à virtute morali pendeat? 87
4 An bona Naturæ & Fortunæ sint necessaria ad felicitatem terrenam? 88
5 Quid sit gloria, & quo modo ab honore & laude differat? 90
6 An honor sit individuus comes virtutis? 91
7 Vtrum honor sit honorantis, an honorati? 93
8 An vir probus semper dignus sit honore? 94
9 An mortui sint honorandi? 95
10 An amicitia sit necessaria ad bene beateque viuendum? 98
11 Quomodo amicitia in genere sit definiēda? 99
12 Quæ sit causa efficiens amicitiæ in genere consideratæ? 100
13 Quis sit finis amicitiæ in genere cōsideratæ? 101
14 Quomodo amicitia in genere considerata sit distribuenda? 101
15 Quid sit amicitia honesta, & quo modo ab amicitia vtili & iucunda differat? 104
16 An amicorum omnia sint communia? 105
17 Quæ studia & officia amicus amico præstare debeat, ad colendam & conseruandam amicitiam, præsertim honestam? 106
18 An omnia in gratiam amicorum sint facienda & patienda? 107
19 An in amicitia requiratur conuictus & conuersatio crebra? 107
20 An amicitia facile & cito cum aliquo sit contrahenda? 109
21 An amicitia cum malis sit contrahenda? 109

CAP. VII. *De iis, quæ virtuti morali sunt opposita.* 110

1 Quid sit vitium morale, & quomodo virtuti morali opponatur? 111
2 An vitium & peccatum inter se differant? 112
3 An vitium morale vno peccandi actu possit contrahi? 113
4 An vitiū morale sit spōtaneum & voluntariū? 114

5 Qu-

5 Quotuplex oppositio sit spectanda in Comparatione virtutis cum suis extremis vitiis? 116
6 An vitium morale sit causa efficiens miseriæ humanæ? 117

LIBER II.

In quo agitur de virtutibus moralibus, quas homo partim erga Deum, partim erga seipsum principaliter exercere debet. 118

CAP. I. *De diuisione virtutis moralis, & speciatim de Pietate.* 118
1 An virtus moralis possit diuidi in species essentialiter inter se distinctas? 119
2 An virtus moralis rectè distribuatur in vniuersalem & particularem? 121
3 An virtus moralis rectè distribuatur in dirigentem & directam? 122
4 An virtus moralis rectè distribuatur in ordinariam, & extraordinariam? 123
5 An virtus moralis rectè distribuatur in inchoatam seu imperfectam, & perfectam? 124
6 Quomodo virtus moralis perfecta ab imperfecta differat? 127
7 An detur certus numerus virtutum moraliū? 128
8 An virtutes morales ita inter se sint connexæ, vt vna sine altera consistere nequeat? 129
9 An virtus moralis imperfecta in certas species diuidi possit? 132
10 An virtus moralis rectè diuidatur in pietatem & probitatem? 133
11 Quid sit Pietas? 134
12 An pietas inter virtutes morales à philosopho Ethico rectè numeretur? 135
13 An pietas & religio inter se differant? 132
14 An cultus Dei rectè distribuatur in internum & externum, & vter sit melior? 138
15 Quæ vitia pietati opponantur? 137
CAP. II. *De probitate.* 141
2 Quid sit probitas? 141

2 An Philautia sit virtus? 142
3 An homo seipsum amare debeat? 143
4 An homo primò & maximè seipsum amare debeat? 145
5 Quæ vitia opponantur philautiæ? 146
6 An authadeia, seu cæcus sui amor vitium sit valde pernicioſum & detestabile? 147
7 Vnde oriatur cæcus amor sui, & quo modo euitari possit? 148

CAP. III. *De autarkeia.* 149

1 An αὐτάρκεια sit virtus moralis? 149
2 An diuitiæ homini sint expetendæ? 151
3 Quid sit αὐτάρκεια, & quæ vitia opponantur 154
4 An omni homini αὐτάρκεια sit colenda; auaritia verò fugienda? 154
5 An laudabile & vtile sit, diuitias simpliciter contemnere? 156

CAP. IV. *De Temperantia.* 157

1 Quid sit Temperantia? 158
2 Quod sit obiectum proprium ex adæquatum Temperantiæ? 159
3 Quomodo Temperantia legitimè sit diuidenda? 162
4 Quid sit Intemperantia, & quomodo diuidenda? 165
5 Quis verè dicatur temperans vel intemperans? 166
6 An vni homini liceat plus edere & bibere quam alii? 167
7 An idem sit Luxuria quod Intemperantia; Pudicitia & Castitas? 168
8 An Virginitas sit species castitatis? 169
9 An sit discrimen inter Ebrietatem & Ebriositatem? 169
10 An detur vitium morale, quod Temperantiæ in defectu opponatur, & quomodo appelletur, ac diuidatur? 170

11 An Temperantia omni homini sit colenda; Intemperantia verò fugienda? 170
12 An Temperantia differat à continentia? 173

CAP. V. *De Fortitudine.* 174

1 Quid sit Fortitudo? 175
2 Quod sit obiectum proprium & adæquatum Fortitudinis? 176
3 Quomodo Fortitudo legitimè sit diuidenda? 178
4 An Magnanimitas sit species Fortitudinis? 181
5 An Patientia sit species Fortitudinis, & quidem à Magnanimitate distincta? 184
6 An Patientia essentialiter differat à Tolerantia? 186
7 An Longanimitas sit species Patientiæ? 187
8 An sola Mollities opponatur Fortitudini? 187
9 An viri fortis sit, nihil extimescere? 188
10 An viri fortis sit, omnia humana despicere; nihilque quod homini accidere possit, intolerandum putare? 190
11 An viri fortis sit, quæuis pericula adire & suscipere? 191
12 An viri fortis sit, nihil omnino dolere? 192
13 An, qui seipsos interficiunt, vlla ratione verè fortes sint dicendi? 192
14 An homo facinorosus, qui fidenter & intrepidè patitur pœnas sibi illatas, sit verè & propriè dicendus fortis? 193
15 An Fortitudo cadat etiam in fœminam? 193
17 An omnis mollities sit vitium morale? 194

CAP. VI. *De Modestia.* 195

1 Quid sit Modestia? 195
2 An honor sit expetendus? 199
3 Quæ cautiones in honore expetendo sint obseruandæ? 200
4 An vnusquisque teneatur sui honoris esse acerrimus defensor? 202

5 Vtrũ vitę an honoris maior sit habenda ratio? 202
6 An homo teneatur magis esse solicitus de tribuendo, quàm de recipiendo honore? 203
7 Quæ vitia Modestiæ opponantur, & cur illa sint fugienda? 204
CAP. VII. *De parsimonia.* 204
1 An parsimonia sit virtus moralis? 206
2 An Parsimonia versetur inter Sumptuositatem & Tenacitatem? 208
3 An vllus auarus verè & propriè sit parcus? 208
4 An iuniores æquè sint propensi ad parsimoniam ac seniores? 209
CAP. VIII *De Vigilantia.* 209
1 An Vigilantia sit virtus moralis? 210
2 An somnolentia & Insomnia immoderata sint vitia moralia? 211
3 An Somnus & Vigilia immoderata homini valdè sint pernicioſa? 211
CAP. IX. *De Sedulitate* 212
1 An Sedulitas sit virtus moralis? 213
2 Quid sit Sedulitas, & quæ vitia ei opponantur? 213
3 An homini laborandum potius sit, quam ociandum? 215
4 An cuilibet quoslibet labores susciperc liceat? 217
5 An Sedulitas labores iucundos reddat? 217

LIBER III.

In quo explicantur virtutes morales, quas homo erga alios homines potissimnm exercere debet; itemque virtus heroica. 218

CAP. I. *De Mansuetudine.* 218
1 Quid sit Mansuetudo? 219
2 Quod sit obiectum proprium & adæquatum Mansuetudinis? 220
3 Quomodo Mansuetudo rectè sit diuidenda? 221
4 Quæ vitia Mansuetudini opponantur? 223
5 An irasci homini sit licitum? 223

6 An vindicare iniuriam homini sit licitum? 225
7 Quæ sint propria mansueti hominis officia & γνωρίσματα? 227
8 An Mansuetudini iracundia magis, quàm lentitudo repugnet? 228
9 An Longanimitas & Misericordia sint species Mãsuetudinis? 228
CAP. II. *De Humilitate.* 229
1 An Humilitas sit virtus moralis? 229
2 Quæ vitia Humilitati opponantur? 231
3 An Humilitas omni homini sit colenda, Superbia verò fugienda? 233
CAP. III. *De Concordia.* 234
1 An Concordia sit virtus moralis? 229
2 An Concordia differat ab Homodoxia? 237
3 An Concordiæ conseruatrix rectè dicatur æqualitas? 238
4 An Concordia semper sit honesta & vtilis, & sic cum omnibus colenda? 238
5 An Discordia sit vitium morale; ideoque semper fugienda? 239
CAP. IV. *De Synceritate.* 240
1 An Synceritas sit virtus moralis? 242
2 An Synceritas differat à Veracitate? 243
3 An Synceritas rectè distribuatur in Candorem & Veracitatem? 244
4 An sit discrimen inter veritatẽ & veracitatem? 245
5 An viro bono licitum sit interdum simulare & dissimulare? 246
6 An viro bono liceat interdum fallere & decipere alium? 247
7 An viro bono semper sit dicendum verũ; & quidem vniuersum quod nouit? 249
8 An viro bono vnquam liceat mentiri? 251
9 An viro bono liceat hyperbolicè, ironicè, parabolicè, fabulosè & ambiguè loqui? 253
10 An sit discrimen inter mentiri, mendacium dicere, & falsum dicere? 255
11 An aliquis verũ dicere possit & tamen mentiri? 255
12 An falsum dicat, qui verum se putat dicere? 255

13 An veracitati opponatur Mendacitas? 256
14 An inter vitia opposita veracitati omnium pessimum sit Calumnia; & quod sit optimum aduersus illam remedium? 257

CAP. V. *De Ciuilitate & Grauitate* 258

1 An Ciuilitas & Grauitas sint virtutes morales, & quidem specie inter se distinctæ? 259
2 An Ciuilitas & Grauitas sint homini valde necessariæ & vtiles? 260
3 Quomodo Grauitas rectè sit definienda? 261
4 An Grauitas rectè dicatur mater & nutrix autoritatis; & vnicuique ætati competat? 263
5 An Grauitati opponatur Leuitas & Seueritas nimia? 264
6 An liceat cuilibet quaslibet vestes gestare? 264
7 An liceat viris prolixos capillos gestare? 265
8 An liceat homini saltare? 265
9 An viro bono simpliciter sit licitum ridere? 268

CAP. VI. *De Humanitate & Vrbanitate.* 299

1 Quid sit Humanitas, & quomodo ab aliis appelletur? 270
2 Quæ vitia Humanitati opponantur? 271
3 An Humanitatis sit alicui in omnib. obsequi, nullaque in re aduersari? 272
4 An Adulatio sit species Blanditiei nimiæ? 273
5 An Humanitas consistere possit cum Grauitate? 274
6 Quid sit Vrbanitas, & quæ vitia ei opponãtur? 274
7 An liceat viro probo iocos vel dicere vel audire? 276

CAP. VII. *De Taciturnitate.* 278

1 An Taciturnitas sit virtus moralis? 278
2 Quid sit Taciturnitas, & quæ vitia ei opponantur? 279
3 An homo tam tacendo, quam loquendo peccare possit? 280
4 An tacere melius sit, quam loqui? 281

5 An

5 An Taciturnitas omni homini sit colenda, Garrulitas verò fugienda? 282
6 An qui tacet, semper consentire videatur? 284
CAP. VIII *De Verecundia.* 248
1 An Verecundia sit virtus moralis? 284
2 Quid sit verecundia, & quæ vitia ei opponantur? 286
3 Vtrum pudor sit laudabilis, an vituperabilis? 287
4 An melius sit pudore affici ob turpia facta, quã impudentem esse? 289
5 An Verecundia expetenda, Impudentia verò fugienda? 290
6 An homo verecundiam debeat etiam erga seipsũ exercere? 291
CAP. IX. *De Liberalitate.* 291
1 Quid sit Liberalitas? 293
2 Quod sit obiectum proprium & adæquatum Liberalitatis? 294
3 An Liberalitas sit virtus apprimè necessaria & vtilis? 295
4 An Liberalitas rectè diuidatur in Officiositatem & Munificentiam? 296
5 An idem sit, *prodesse alteri* & *benefacere*? 298
6 An simpliciter honestum & laudabile sit communicare alteri sua bona? 298
7 Quibus sit benefaciendum? 299
8 Quomodo sit benefaciendum? 300
9 Vnde sit benefaciendum? 302
10 Quando, & vbi sit benefaciendum? 303
11 Quo fine sit benefaciendum? 304
12 Quantum sit benefaciendum? 305
13 An beneficium per se sit sensile? 306
14 An beneficium æstimandum sit ex quantitate eius quod datur? 307
15 An homo omnia sua bona debeat communicare aliis? 308
19 An liberalis sit, qui dat, quod sibi vel alteri nocet? 308
17 An homo possit esse liberalis erga seipsum? 310
18 An liberalis sit, qui beneficium accipit? 310
19 An pauper possit esse liberalis? 310

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0031
DFG

20 An liberalis possit euadere dives? 311
21 An, qui diuitias suo labore pepererunt, sint liberaliores iis, qui ab aliis partas acceperunt vel donatione, vel hæreditate? 312
22 An honestius sit dare, quã accipere beneficiũ? 312
23 An simpliciter turpe sit, beneficiis vinci ab aliis? 313
24 An Magnificentia sit species Liberalitatis, & per consequens Magnificentiæ? 313
25 An pauper possit esse magnificus? 314
26 An Hospitalitas sit species Munificẽtiæ, & à Magnificentia distincta? 315
27 Quæ vitia liberalitati opponantur? 316
28 An Illiberalitas differat ab auaritia? 317
29 An Illiberalitas deterior sit Prodigalitate? 317
30 An Prodigus sit improbus? 318
31 An reges, cum modum excedunt in dando, appellandi sint prodigi? 318
32 An vitia Magnificentiæ opposita sint homini ignominiosa? 319
33 An Eleemosyna sit species Liberalitatis? 319
34 An cuilibet licitum sit de suis bonis alteri donare quantum velit? 320

CAP. X. *De Iustitia.* 321

1 An Iustitia sit species virtutis moralis? 323
2 An distributio Iustitiæ in vniuersalem & particularem sit generis in speciem? 327
3 Quomodo Iustitia part. habeat se ad vniuers.? 327
4 An Iustitia vniuersalis, & virtus moralis inter se differant? 329
5 Quid sit Iustitia particularis? 329
6 Quod sit obiectum Iustitiæ particularis? 330
7 Quid sit Ius, & quotuplex; & quomodo à lege differat? 332
8 An Iustitia particularis circa quodlibet ius versetur? 335
9 An Iustitia particularis rectè diuidatur in distributiuam & commutatiuam? 335
10 An Iustitia particularis mediocritatẽ obseruet; & qualis illa sit? 337
11 Quomodo Iustitia distributiua & commutatiua inter

inter se differant? 338
12 An Iustitia tam distributiua, quam Commutatiua in species diuidi possit; & quæ illæ sint? 340
13 An Gratitudo sit species Iustitiæ distributiuæ, & quomodò à Gratia differat? 341
14 An Gratitudo rectè statuatur alia animi, alia facti? 342
15 An Gratitudo possit sine beneficiorum recompensatione consistere? 343
16 An Gratitudo omni homini sit colenda; Ingratitudo verò fugienda? 344
17 An reuerentia sit species Iustitiæ distributiuæ? 346
18 An Iustitia commutat. moderetur contractus? 346
19 An Permutatio semper sit rerum earundem & æqualium; & quomodo rectè institui possit? 348
20 An Fidelitas sit species Iustitiæ; &c. 349
21 An Fides semper sit seruanda? 349
22 An Iustitia rectè diuidatur in absolutam & limitatam, seu seueram & remissam? 351
23 Quid sit Æquitas, & quæ sint eius effecta? 353
24 An Ius talionis simpliciter sit iustum? 356
25 An omnis, qui iusta vel iniusta agit, sit iustus vel iniustus? 358
26 An semper iustum sit, suum cuiq; tribuere? 359
27 An semper iustum sit, summo iure cum aliquo agere? 360
28 An licitum sit vnicuiq; de suo iure remittere? 360
29 An vim vi repellere liceat? 364
30 An summum ius rectè dicatur summa iniuria? 363
31 An satius sit nocentem absoluere, quam innocentem condemnare? 362
32 An qui iniustum aliquid patitur, rectè dicatur injuriam pati? 364
33 An volenti fiat iniuria? 364
34 An quis sibi ipsi iniuriam facere possit? 365
35 An pater, filio; maritus, vxori; herus seruo iniuriam facere possit? 367
36 An iniuriam pati sit licitum? 367
37 Vtrum is, qui alicui plus minusve, quam par est, tribuit; iniuste agat, an, &c.? 369
38 An Iniustitia recte distribuatur in lædentem & de-

ferentem, & quæ vtriusque sit causa impulsiua? 369
39 An pleonexia, meomexia & prosopolepsia sint species Iniustitiæ? 370
40 An vllo modo licitum & iustum sit seipsum interficere? 372

CAP. XI. *De virtute heroica.*

1 An virtus heroica à communi virtute differat specie? 377
2 Quæ sit causa efficiens virtutis heroicæ? 387
3 An virtus heroica in quoslibet homines cadat? 379
4 In quibus reb. maximè fulgeat virtus heroica? 380
5 An viris heroicis omnia sint faciliora & procliuiora quam aliis? 382
6 An facta Heroum extraordinaria sint imitanda; & quomodo de iis iudicandum? 382
7 An Heroum exitus rarò sint felices? 393
8 An Magnanimitas & Magnificentia sint species virtutis heroicæ? 383
9 Quid sit Feritas, vnde oriatur, & vbi maximè fulgeat? 384
10 An Feritas sit deterior vitio communi? 385
11 Quot sint species tum virtutis heroicæ, tum feritatis? 386

LIBER IV.

In quo generaliter agitur de actionibus hominum moralibus, quatenus sunt morales. 386

CAPVT I. *De definitione actionum moralium.*

1 An tractatio de actionibus moralibus pertineat ad Ethicam, & num à tractatione de virtutibus moralibus sit separanda? 387
2 Quid sint actiones morales, & quomodo à naturalibus & artificialibus differant? 389
3 An sit discrimen inter mores & actiones mor.? 390
4 An actiones mor. cadant in omnes homines? 391
5 An ex actionibus moralibus hominis certum possit sumi iudicium de habitu eiusdem morali? 391
6 An homo etiam non agendo se bene vel malè moratum declarare possit? 393

CAP. II.

CAP. II. *De principiis actionum moralium.* 393

1 An omnis actio moralis habeat finem aliquem, cuius gratia fiat? &c. 395

2 An actiones morales pendeant à temperamento & dispositione corporis? 396

3 An Intellectus sit principium efficiens actionum moralium? 397

4 An liberum Arbitrium sit principium efficiens actionum moralium? 398

5 An consultatio sit principium efficiens actionum moralium, & de quibus rebus institui possit? 399

6 Quomodo Consultatio sit instituenda, & cur? 402

7 An præelectio sit principium efficiens actionum moralium; & quomodo à Consultatione differat? 405

8 An Præelectio differat à Volitione? 406

9 An præelectio differat ab Opinione? 408

10 An Volitionis obiectum sit Bonum duntaxat? 409

11 An Persuasio vim habeat cogẽdi hominem ad moraliter agendum? 410

12 An Principium proximum efficiẽs actionum moralium sit in homine? 410

13 An Actiones morales constent ex materia & forma; & quæ illæ sint? 411

14 An sine vi & concursu naturæ vlla actio moralis ab homine edi possit? 412

CAP. III. *De distributione actionum moralium.* 413

1 An omnis actio moralis rectè & sufficienter diuidatur in spontaneam & inuitam? 414

2 Quid sit actio spontanea, & quotuplex? 416

3 Vtrum actio spontanea soli homini; an etiam bestiis competat? 417

4 Quid sit Actio inuita & quotuplex? 418

5 An aliud sit *per ignorantiam agere*; aliud *ignorantem agere*? 419

6 An omnis Ignorantia actionẽ reddat inuitã? 419

7 An Actiones mixtæ magis sint spontaneæ quàm inuitæ? 421

8 Vtrum actiones mixtæ per se laudem, an vituperium; veniam, an pœnam mereantur? 422
9 Vtrum actiones, quæ ex ira, cupiditate, aut alia animi perturbatione fiunt, sint spõtaneæ, an inuitæ? 422
10 An actiones morales, quæ habitum antecedunt, sint eiusdem speciei cum iis, quæ consequuntur? 425
11 An actiones morales rectè distribuantur in bonas & malas? 426
12 An in facultate hominis sit, agere & non agere tam bene, quàm malè? 427
13 An habitus moralis sit principium actionum moralium, & quidem proximum? 433
14 An bona intentio reddat actionem bonam? 434
15 An actiones vnius virtutis perfectè ab homine exerceri possint, sine actionibus aliarum virtutum? 435
16 An omnia peccata moralia sint æqualia? 436
17 An vna actio possit hominẽ facere improbũ? 440
18 An facienda sint mala, vt eueniant bona? ibid.
19 An semper ex duob. malis sit eligendũ minus? 441
20 An actio, quæ absolutè & per se mala est, pro ratione circumstantiarum possit fieri & censeri bona? 443
21 An peccatum morale aliud sit excusabile, aliud inexcusabile; & quodnam sit tale? 444
22 An actiones morales rectè distribuantur in internas & externas; & num vtræque semper inter se consentiant? 446.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 43. *v.* 29. lege *vires.* 109, 8. *modii salis.* 110. in marg. *v.* 5. & 6. *morale, ibid.* 8. *vitii*, pro *vitæ.* 138, in marg. *v.* 9. *Lipsianæ.* 141, 4. dele *Philautia*, & repone, *probitate.* 154, *v.* 8. *vitia*, pro *vita.* 155, 25. *facit.* 181, 29. μικροψυχίας. 184 μένειν. 189, 25. εὔελπις. 190, 3. *despicere.* 279. in marg. *v.* 5. & 6. dele *opiniones*, & repone *definitiones.* 290, τόσων. 314, *v.* 1. *Magnificentia.* 364, 3. quæstionem totam inuerte. 444, 22. ignoscendum.

ETHICE

ETHICÆ GENERALIS

LIBER I.

In quo agitur de naturâ partim Philosophiæ practicæ, partim Ethicæ, partim virtutis moralis in genere.

CAPVT PRIMVM

De naturâ Philosophiæ practicæ:

PRÆCEPTA.

1 *Philosophia practica est ars probè honestéque viuendi.* *Definitio.*

2 *Eius partes sunt duæ; vna generalis, altera specialis.* *Partitio.*

QVÆSTIONES.

1 *An Philosophia practica semper vno & eodem modo appelletur?*

IN vestibulo cuiusque artis vtile est considerare & explicare diuersas appellationes, quibus illa indigitatur: Ideoque non abs re erit, si idem hoc loco quoque à me fiat. Sciendum igitur est, Philosophiam practicam, quæ ita nuncupatur, vel quia finis ipsius est non γνῶναι, ἀλλὰ πρᾶξαι, vel quia occupatur περὶ τὰ πρακτά, actiones. *Notatio nôminis explicatur.*

Diuersæ appellationes recensentur & explicantur.

que humanas secundum honesti decorique normã informat) ab auctoribus dici, κατ' ἐξοχὴν Philosophiam, quatenus hæc illius pars ita eximia est & nobilis, vt meritò 1, nomẽ totius sibi vendicet. In hac significatione intelligendum est, cum Philosophia vocatur magistra morum, virtutum indagatrix, vitiorumq; expultrix: Item, cùm vulgò dicitur: *Natura dat viuere: Philosophia dat rectè viuere.* 2, Philosophiam moralem, quod modum informandi mores, vitamque moratam instituendi tractat. 3, Philosophiam seu scientiam, seu disciplinam politicam & ciuilem, vel quia hominem, qui naturâ est animal politicum, honestis moribus informat, vel quia omnia sua præcepta eò dirigit, vt tandem homo in societate ciuili, quàm rectissimè viuat, totáque ciuitas & Respublica, cuius membra sunt singuli homines, & ex his constitutæ familiæ, sit florens & felix. 4, rationem bene viuendi, quia scilicet modum benè, hoc est, probè honestéque viuendi explicat.

1 In hac significatione intelligendum est, cum Philosophia vocatur magistra morum, virtutum indagatrix, vitiorumq; expultrix: Item, cùm vulgò dicitur: *Natura dat viuere: Philosophia dat rectè viuere.*

2 2, Philosophiam moralem, quod modum informandi mores, vitamque moratam instituendi tractat.

3 3, Philosophiam seu scientiam, seu disciplinam politicam & ciuilem, vel quia hominem, qui naturâ est animal politicum, honestis moribus informat, vel quia omnia sua præcepta eò dirigit, vt tandem homo in societate ciuili, quàm rectissimè viuat, totáque ciuitas & Respublica, cuius membra sunt singuli homines, & ex

4. his constitutæ familiæ, sit florens & felix. 4, rationem bene viuendi, quia scilicet modum benè, hoc est, probè honestéque viuendi explicat.

2 *Quomodo Philosophia practica rectè sit definienda?*

Diuersæ aliorum definitiones recensentur & examinantur.

DIuersæ reperiuntur passim apud Auctores Philosophiæ practicæ definitiones. Aliis enim est prudentia bene viuendi: aliis doctrina seu disciplina benè viuendi & agendi: aliis doctrina

1 vitæ humanæ benè agendæ: aliis ars conformandi vitam & mores rectæ rationi ad summum bonum consequendum: aliis doctrina rectæ ratio-

2 ni seu legi naturæ conuenienter agendi in omni-

3 bus & singulis vitæ generibus & gradibus: aliis

4 Philosophia humanas actiones componens ex

5

6

naturæ

naturæ internâ commotione, ſapientiſque animi fœcunditate orta, vt in omni vitæ gradu honeſtũ attingamus, ſummóque ciuili bono pro facultate fruamur: aliis compages prudentiarum ſiue diſciplinarum practicarum, quibus voluntas & affectus hominis componitur ad bonum ciuile in hac ſocietate humanâ. 7.

Cæterum ex his definitionibus priores tres videntur obſcuræ & latiores ſuo definito, niſi vocabulum *benè* ad ſpecialem ſignificationem reſtringatur. Benè enim viuere & agere non tantum ſignificat, probè honeſtéque; ſed etiam vtiliter, iucundè, adeóque ſalubriter & piè viuere ac agere. Poſteriores autem quatuor ſunt clariores, definitóque ſuo adæquatæ. Ad quarum imitationem maioremque illuſtrationem definita à me fuit in præceptis Philoſophia practica, quòd ſit ars probè honeſtéque viuendi. Quæ definitio conſtat partim ex genere legitimo & proximo, quod eſt ars, nempe liberalis & practica, partim ex differẽtiâ ſpecificâ ſumptâ à fine & ſubiecto illius proprio & adæquato; vt ex ſequentibus quæſtionibus clarius eluceſcet. *Propria definitio probonitur & explicatur.*

3 *Quod ſit ſubiectum proprium & adæquatum Philoſophiæ practicæ?*

Opiniones diuerſæ recenſentur & examinantur.

MAgna eſt controuerſia inter doctos de ſubiecto proprio & adæquato Philoſophiæ practicæ. Alii enim id eſſe ſtatuunt hominẽ, quatenus bonis moribus eſt informandus: alii actiones humanas, vel quatenus prodeunt ex libero arbitrio & in gubernationẽ ciuitatis diriguntur, 1 vel quatenus ſecundum virtutis regulam compo- 2

nuntur, & ad felicitatem hominis terrenam diriguntur, vel quatenus ad honestum decorumque
3 affectæ sunt: alii vitam & mores hominum, qua-
4 tenus secundum rectam rationem sunt conformandi: alii fines bonorum & malorum quatenus
5 benè sunt constituendi & regendi: alii summum hominis in hac vita bonum seu felicitatem pra-
6. cticam: alii denique ciuitatem. Ex his autem opinionibus nulla videtur simpliciter esse approbãda. Aut enim confundunt subiectum informationis cum subiecto tractationis: aut finem Philosophiæ practicæ cum ipso subiecto; aut saltẽ subiectum tractationis partiale, non totale exprimunt. Quoniam verò quæstio proposita tantum intelligenda est de subiecto proprio & adæquato, in quo tractando & explicando tota Philosophia practica occupatur, illud videtur aliud esse non posse, nisi ratio & modus probè honestéque viuendi. Et hoc etiam patet: 1, ex ipsa definitione Philosophiæ practicæ supra tradita, quâ dicitur esse ars probè honestéque viuendi. Sensus enim illius definitionis est, Philosophiam practicam esse artem, quæ explicat modum probè honestéque viuendi, seu, quæ præcepta tradit de ratione probè honestéque viuendi. 2, ex conditio-
2 nibus subiecti proprii & adæquati, quæ conueniunt modo probè honestéque viuendi. Is enim toti Philosophiæ practicæ tractationi tanquam basis & fundamentum substernitur. Is æquè latè patet ac ipsa Philosophia practica, ita vt neque eam excedat neque ab ea excedatur. Is veluti centrum est, ex quo omnia præcepta Philosophiæ practicæ oriuntur, & ad quod reducuntur: deni-

Propria sententia Auctoris exponitur & probatur.

Probatio
1

que ab eo eſſentialis & ſpecifica differentia ſumitur, quâ Philoſophia practica ab omnibus aliis artibus diſtinguitur.

4 *Quis ſit finis proprius & adæquatus Philoſophiæ practicæ?*

Opinio vulgatauliorum exponitur & examinatur.

COmmunis opinio Philoſophorum eſt, finem proprium & adæquatum Philoſophiæ moralis eſſe ſummum hominis in hac vita bonum, ſeu, felicitatem terrenam tam ſingulorum hominum, quam familiæ & Reipub. Illius enim gratia Philoſophiam practicam inuentã & conſtitutam, & ad illud aſſequendum omnia, quæ in ea arte traduntur tanquam ad vltimum ſcopum dirigi. Sed hæc opinio non videtur ſimpliciter eſſe vera. Felicitas enim terrena hominis eſt communis, & quodammodo vltimus omnium artium finis; cum nulla ſit, quæ non aliquod medium illam aſſequendi tradat. Ideoque fieri non poteſt, vt ſit finis proprius & adæquatus Philoſoph. practicæ. Neq; ſatis eſt ad tollendam difficultatem illam, diſtinguere felicitatẽ terrenam in theoreticam & practicam. Nam neque practica felicitas eſt finis proprius Philoſophiæ practicæ, ſed potius communis & quodammodo vltimus omniũ aliarum artium, præſertim liberalium. Itaq; rectius ſentiunt illi, qui finem Philoſophiæ practicæ proprium & adæquatum ſtatuunt eſſe probè honeſtéque viuere, aut ſaltem explicare modum probè honeſtéque viuendi. Huius enim gratia immediatè Philoſophia practica eſt inuenta & conſtituta, & ad hunc finem omnia præcepta eius im-

Verior ſententia adducitur & approbatur.

mediatè diriguntur: neque vlla alia ars est, quæ hunc finẽ sibi iure possit vindicare, aut quæ media proxima illius assequendi præter Philosophiã practicam nobis præscribat. Et hoc etiam videtur innuere Aristoteles lib. 2. Ethic. Nicomach. cap. 2. sub initium, cum inquit: ἡ παροῦσα πραγματεία οὐ θεωρείας ἕνεκά ἐστιν, ὥσπερ καί ἄλλαι. Οὐ γὰρ ἵν' εἰδῶμεν τί ἐστιν ἀρετή, σκεπτόμεθα, ἀλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γενώμεθα· hoc est, *præsens tractatio non contemplationis causâ suscepta est, vt aliæ. Non enim vt cognoscamus quid sit virtus disquirimus, sed vt boni fiamus.* Item lib. 10. Ethic. Nicom. cap. vlt. cum ait: ἐκ ἐστὶν οὖ τοῖς πρακτοῖς τέλος τὸ θεωρῆσαι ἕκαστα καὶ γνῶναι, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ πράξαι αὐτά· ἐδὲ δὴ περὶ ἀρετῆς ἱκανὸν τὸ εἰδέναι, ἀλλ' ἔχειν καὶ χρῆσθαι πειρατέον· *Non est in rebus agendis finis contemplari singula & cognoscere, sed potius agere illa: neque sanè de virtute satis est nosse eam, sed conandum est vt habeamus, eaque vtamur.*

§ *Quæ sint principia Philosophiæ practicæ?*

Principia Philos. pract. recensentur & explicantur.

PRincipia Philosophiæ practicæ sunt partim lex naturæ, partim recta ratio, partim sacra scriptura. Ex his enim omnia præcepta non tantum oriuntur, sed etiam in his fundantur, ita, vt nullum verum sit, nisi quod cum his congruit & consentit. Per *legem* autem *naturæ* intelligitur vel sententia certa de discrimine honesti & turpis, iusti & iniusti, quæ homini solo naturali rationis lumine sine alterius institutione & doctrinâ nota est: vel, vt alii volũt, ipsa noticia naturalis honesti & turpis, iusti & iniusti: quæ in omnibus hominibus ratione benè vtentibus deprehenditur. Per *rectam rationem* intelligitur partim rectum hominis de rebus agendis iudicium; partim axiomata

mata practica vera & certa, quæ de honeſto & turpi, iuſto & iniuſto à ſapientibus & prudentibus viris ex lege naturæ eruuntur & traduntur; cuiuſmodi ſunt, *Omne honeſtum eſt appetendum, omne turpe fugiendum; Nemo eſt lædendus; Suum cuique tribuendum: Quod tibi vis fieri, alteri feceris: Quod tibi non vis fieri; alteri ne feceris: Quicquid ſine detrimento commodari poteſt, id tribuatur cuique vel ignoto: Non licet ſui commodi cauſa nocere alteri: Deus eſt colendus: Parentes & magiſtratus ſunt honorandi: Tranquillitas publica eſt defendenda & eius turbatores coercendi: Pacta ſunt ſeruanda*, &c.

Per ſcripturam ſacram intelliguntur omnia effata Dei, Prophetarum & Apoſtolorum, quæ de honeſto & turpi, iuſto & iniuſto in ea ſunt tradita.

6 *Quomodo Philoſophia practica differat à Theologia ſacra?*

Vita humana differentia recenſentur.

VT hæc quæſtio rectius explicari poſſit, vtile eſt hoc loco quædam præmittere de differentiis vitæ humanæ. Hæc enim vel eſt naturalis vel aduentitia ſeu acquiſita. Naturalis vita eſt, quam homo vi ſolius naturæ viuit. Aduentitia vita eſt quam homo vi habitus cuiuſdam ad Naturam accedentis agit. Eaque vel eſt intellectualis, quam homo vi habitus intellectualis viuit; vel moralis, quam homo vi habitus moralis viuit. Et hæc rurſus vel eſt Philoſophica, quam Philoſophia practica informat & dirigit, ſiue in genere, ſiue in ſpecie, cuiuſmodi eſt vita proba & honeſta; vel Theologica quam Theologia ſacra infor-

mat & dirigit, cuiusmodi est vita pia, sancta, Chri-
Differentia inter Philosophiã pract. & Theolog. stiana & spiritualis. His ita præmissis sciendum,
est Philosophiam practicam differre à Theologia
sacra. 1, subiecto proprio & adæquato tractatio-
1 nis, quod in illa est modus probè honestéque
viuendi præceptis explicatus; in hac modus piè
sanctéque viuendi. Hæc enim duo subiecta dif-
ferunt inter se tanquam communius & angu-
stius, non secus ac probitas generaliter accepta,
& pietas. Licèt enim omnis pietas sit probitas;
tamen non omnis probitas est pietas: cum pro-
bitas cadat etiam in homines ethnicos & veræ
religionis ignaros; pietas autem Euangelica &
2 Christiana minimè. 2, subiecto informationis,
quod in Philosophia practica est homo probus
& honestus, siue absolutè, siue in societate hu-
mana consideratus. In Theologiâ verò sacrâ est
3 homo pius & religiosus. 3, fine proprio & adæ-
quato, qui in Philosophiâ practicâ est probè ho-
nestéque viuere, aut saltem explicare modum
probè honestéque viuendi; in Theologiâ vero sa-
cra, piè sanctéque viuere, aut saltem explicare
4 modum ita viuendi. 4, fine vltimo, qui in Philo-
sophia practica est felicitas terrena & tempo-
ralis hominis; in Theologia vero sacrâ felici-
5 tas cœlestis & æterna. 5, principiis propriis, quæ
in Philosophia practica sunt lex naturæ & re-
cta ratio: in hac, sola scriptura θεόπνευστος seu verbũ
Dei in libris Prophetarum & Apostolorum com-
6. prehensum nobisque patefactum. 6, partibus in-
tegrantibus, quæ in philosophia practica secun-
dum communem opinionem statuuntur tres,

Ethica,

Ethica, Oeconomica & Politica; in Theologia autem ſacra longè aliæ.

7 Quomodo Philoſophia practica rectè ſit diſtribuenda?

VVlgo in Scholis, præſertim Ariſtotelicis, tota Philoſophia practica in tres partes diuidi ſolet, nempe Ethicam, Oeconomicam & Politicam. Ratio huius diſtributionis à diuerſis diuerſa affertur. Sunt enim, qui rationem ſumunt à triplici ſubiecto informationis. Aiunt enim Philoſophiam practicam informare, aut ſingulos homines in ſe abſolutè conſideratos, eorumque actiones, aut familiam, aut ciuitatem: Seu, quod idem eſſe putant, formare aut virum bonum, aut bonum patremfamilias, aut ciuem bonum.

Vulgata diſtributio Philoſophiæ practicæ exponitur.

Sed hæc ratio à Piccolomineo & aliis improbatur: 1, quia Ethica informat & inſtituit non ſingulos duntaxat & priuatos homines in ſe conſideratos, ſeu virum bonum: Sed in genere præcepta tradit de virtutibus earumque actionibus, à quibus ceu principiis & fundamentis ipſa Oeconomica & Politica pendet, & ſine quibus homo neque bonus paterfamilias, neque bonus ciuis eſſe poteſt. 2, quia Oeconomica non ſolum format bonum Patremfamilias, ſed totam familiam: Politica autem non ſolum ciuem bonum, ſed totam ciuitatem ſeu Rempublicam omniaq; eius membra, tam magiſtratũ, quam ſubditos.

In introductione ad 10. gradus Philoſophiæ ciuilis cap. 7.

Hinc igitur alii rationem afferunt ſumptam à ſubiecto tractationis, quod putant eſſe vitam probam & honeſtam. Illam enim aiunt

vel generaliter consíderari, vel specialiter, prout est vel domestica, vel ciuilis. In primâ explicandâ occupari Ethicam, in secundâ Oeconomicam, in tertiâ Politicam.

Atque hæc ratio rei veritati omninò est consentanea: neque ab eâ dissentit, si dicamus modum probè honestéque viuendi, quem tractandum sibi sumit Philosophia practica, aut in genere considerari; & sic constituere Ethicam: aut in specie, prout vel familiam, vel ciuitatem, aut hominem in societate vel domestica vel ciuili constitutum concernit; & sic constituere Oeconomicam & Politicam.

Trimembris distributio ad bimembrem reuocatur.

Hinc etiam fit, vt trimembris illa distributio Philosophiæ practicæ ab aliis ad bimembrē commode reuocetur, ita vt *alia eius pars sit vniuersalis*, vt Ethica, *alia particularis*, vt Oeconomica & Politica: Seu, quod idem est, *alia sit generalis, alia specialis, alia communis, alia propria*. Necesse enim est secūdum legem methodi, vt Philosophia practica primum tractet de modo probè honestéq; viuendi in genere; & sic eiusmodi præcepta tradat, quę ad institutionem generalem hominis siue priuati siue in societate vel domestica, vel ciuili viuentis conducunt: Deinde in specie; & sic specialia præcepta proponat, quæ ad familiæ & ciuitatis institutionem pertineant. Ideóq; errant illi, qui putant in Ethica de iis duntaxat agi, quæ ad informandum vnum distinctum vitæ honestæ genus spectant, in quo homo priuatus absolutè citra certam ac peculiarem societatem consideratus versatur. Cæterum notandum hoc loco est, Piccolomineum in introductione in decem gradus

Error aliorū taxatur.

dus ciuilis Philosophiæ cap. 8. Philosophiam practicam distribuere in Theoricam & practicam: ac illam quidem vocare quę tradit principia, fundamenta & semina vniuersæ Philosophiæ practicæ: hanc vero, quæ descendit ad ordines, ad præcepta propria & leges; diuisimque explicat, quæ cõpetunt vnicuique gradui & conditioni hominũ. Quæ distributio etsi verbis non planè ad rem appositis exprimitur: cum tota Philosophia practica & quælibet eius pars sit practica: tamen in sensu sano reipsa cum superiore conuenit. Per Theoricam enim partem nihil aliud intelligit Piccolomineus, nisi partem vniuersalem seu generalem. Per practicam verò nihil aliud, quam particularem seu specialem, quemadmodum patet, cum ex vtriusque definitione, quam autor ille tradit: tum ex antecedentibus & consequentibus, quæ in cap. 1. & proximè citato 8. copiosè edisserit.

Distributio Piccolomineipropositur & explicatur.

8 *An Philosophia practica sit ars valde necessaria & vtilis?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia Philosophia practica rationem præscribit in omni vocatione probè honestéq; viuendi. 2, quia virtutes omnes morales, earumque naturas, causas, subiecta, proprietates & species explicat, & quanta sit vitiorum deformitas, demonstrat. 3, quia omnes actiones humanas à libera voluntate pendentes informat, vt cum lege naturæ & rectâ ratione congruant. 4, quia media ostendit regendi & domandi omnes appetitus & affectus illicitos, eosque rectæ rationis imperio subiicit. Vnde non immeritò *medicina animi*, *magi-*

Pro thesi affirmatiua
Ratio 1
2
3
4

5 *straque morum ac disciplina dicitur.* 5, quia format non tantum virum bonum in genere; sed etiam bonum patremfamilias & ciuem bonum: & sic efficit, vt homo tum sibi & suæ familiæ, tum
6 aliis & Reipublicæ consulere possit. 6, quia est inuentrix & procreatrix omnium legum positiuarũ in quolibet vitæ genere ab homine obseruandarum. 7, quia viam nobis planam & compendiariam aperit & sternit ad consequendum
7 summum in hac vita bonum, hoc est, felicitatem
8 terrenam ac corporalem. 8, quia sine huius præceptis nulla societas humana neque priuata, neque domestica, neque ciuilis conseruari potest. Hinc etiam Cicero lib. 1. Officiorum: *Nulla* (inquit) *vitæ pars, neque publicis, neque priuatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas aliquid, neque si cum altero contrahas,*
9 *vacare officio potest.* 9, quia sine huius cognitione nemo feliciter & cum fructu vel in historiarum monumentis, vel in oratoriâ facultate, vel in Iu-
10 risprudentia, vel in Theologia versari potest. 10, quia Philosophia practica hominem præparat ad studium veræ pietatis. Vnde etiam à quodam Philosopho vocatur pædagogia ad Christianam
11. religionem. 11, quia omnium sapientium & prudentium virorum elogiis commendatur. Hinc Cicero 5. Tusculan. quæstionum exclamat: *O vita Philosophia dux! ô virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! Quid non modò nos, sed omnis vita hominum sine te esse potuisset? Tu vrbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti: Tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum & vocum communione iunxisti:*

Tu

Tu inuentrix legum, tu magistra morum & disciplina fuisti &c. Hinc Aristoteles rogatus, quid ex Philosophia lucratus esset, *hoc*, inquit, *vt iniußus faciam, quæ plerique legum metu faciunt.* Et Dionysius Iunior, postquam fuit expulsus regno, cuidam dicenti, quid tibi profuit Philosophia? *vt tantum*, inquit *fortunæ mutationem facilius feram.* Quod autem quidam obiiciunt Philosophiam practicam, præsertim Ethicam generalem, repugnare Theologiæ sacræ, & à veræ pietatis studio homines abducere: id omninò falsum est & erroneum. Sicut enim proba & honesta vita non repugnat vitæ piæ & sanctæ, neque probitas morum pietati Christianæ; sed potius illa ad hanc præparat, & ab hac perficitur: ita neque Philosophia pract. repugnat Theologiæ sacræ, sed potius hominem ad hanc discendam præparat.

Obiectioni occurritur.

Kecker. in præcognitis Ethicis pagina 8.

CAPVT II.

De natura Ethicæ, & virtutis moralis in genere.

PRÆCEPTA.

1 *Generalis pars Philosophiæ practicæ est doctrina, modum probè honestèque viuendi in genere explicans. Eaque vulgò* κατ' ἐξοχὴν *dicitur Ethica: Nec incommodè* Ethica *generalis nuncupari potest.*

Ethica generalis quid sit.

2 *Modus autem ille probè honestèque viuendi consistit in virtute morali, eiusque actione. Vnde duæ partes Ethicæ existunt, quarũ vna docendi gratiâ Aretologia; altera Praxiologia vocatur.*

Partes Ethicæ generalis quæ sint.

3 Aretologia *est doctrina de virtute morali.*

Virtus moralis in genere quid sit.

4 *Virtus moralis est habitus proæreticus, per quem homo promptus redditur ad probè honestéque viuendum.*

5 *In ea consideranda venit partim natura, partim diuisio.*

6 *Natura virtutis moralis cognoscitur primariò ex causis & subiectis suis; secundariò ex adiunctis, effectis, & oppositis.*

QVÆSTIONES.

1 *Quomodo Ethica rectè sit definienda?*

Diuersa aliorum definitiones recensentur & examinantur.

IN definienda Ethica Philosophi inter se dissentiunt. Aliis enim est doctrina morum; aliis doctrina virtutum; aliis doctrina de fine hominis; aliis doctrina homines quâ homines informans ad beneviuendum; aliis doctrina de officiis communibus ad cuiusque vitæ institutionem pertinentibus; aliis ars benè beatéque viuendi; aliis disciplina morum generalem quandam omnibus & singulis benè beatéque viuendi rationem præscribens, aliis prudentia regendi voluntatem & appetitum pro bono ciuili acquirendo.

1
2
3
4
5
6
7
8.

Propria definitio exponitur.

Ex quibus definitionibus aliæ sunt latiores suo definito, vt prima & tertia: aliæ angustiores, vt secunda, quarta & vltima: aliæ vero sunt quidem adæquatæ suo definito; sed tamen non satis perspicuæ, vt reliquæ. Idcirco ad illustrandum postremas definitiones, Ethica supra in præcepto primo fuit definita, quod sit doctrina modum probè honestéque viuendi in genere explicans.

In

In illa enim traduntur generalia de virtutibus moralibus, earumque actionibus præcepta, quorum vsus per omnia vitæ humanæ genera, sese diffundit.

2 *Quomodo Ethica recte sit distribuenda?*

Distributiones aliorum recensentur & examinantur.

OMnes ferè Philosophi Ethicam diuidere solent in duas partes. Sed in expositione & ordine illarum partium inter se non conueniunt. Aliis enim prima pars agit de felicitate tanquam fine vltimo hominis: altera verò de virtute morali, tanquam medio ducente ad felicitatem. Aliis prima pars agit de recta vita: altera de rectæ vitæ præmio, quod est beatitudo, seu vita beata. Aliis prima pars agit de bonis hominis in genere; & dicitur ἀγαθολογία: altera de virtute; & dicitur ἀρετολογία. Etsi verò hæ distributiones non sunt simpliciter reiiciendæ: tamen naturæ Ethicæ conuenientior videtur illa, quæ petitur ex subiecto proprio & adæquato, in qua tractando & explicando Ethica versatur. Illud autem nihil aliud est, quam modus generalis probè honestéque viuendi. Is enim æquè latè patet ac ipsa Ethica, ita vt neque eam excedat, neq; ab ea excedatur. Ac cum consistat in virtute morali, eiusque actione: hinc Ethicæ vna pars dicitur Aretologia, quæ tractat de virtute morali: altera Praxilogia, quæ tractat de actionibus virtutis.

Propria distributio exponitur.

3 *Vnde vox* ἀρετὴ *& virtus dicatur, & num semper eodem modo vsurpetur?*

Etymologia Græci vocabuli ἀρετῆς *explicatur.*

VOcem ἀρετῆς alii deriuant ab ἄρης, *Mars*, & sic propriè virtutem bellicam significare asserunt: alii ab αἱρέω, *eligo*; quod maximè sit αἱρετὴ, *eli-*

genda : alii ab ἀρέσκειν *placeo*, quod omnibus sit ἀρετὴ, hoc est, *placita & grata*. Similiter vocem *virtutis* alii deducunt à viro, quod virum maximè deceat; & sic antiquitus fortitudini primum tributam esse aiunt: aliis virtus dicitur, vel quasi viri status, vel quasi viri artus; quod vt ætas virilis est corporis robusti & perfecti: sic virtus sit animi perfecti, & ad rectas actiones validi. Cæterũ, vtrumque vocabulum tam ἀρετὴ, quàm *virtus*, non semper eodem modo vsurpatur. Nam: 1, in latissima significatione sumitur pro qualibet facultate & habilitate naturali, per quam ens aptum est ad bene agendum. Quo sensu Aristoteles libr. 2. Ethic. Nicom. cap. 5. sub initium ait: Πᾶσα ἀρετὴ, ἧς ἐστὶν ἀρετὴ, αὐτό τε εὖ ἔξον ἀποτελεῖ, καὶ τὸ ἔργον αὐτῆς εὖ ἀποδώσειν. *Omnis virtus perficit id, cuius est virtus & opus eius.* 2, pro qualibet bonitate naturali, à quâ ens naturaliter dicitur bonum, cuiusmodi est pulchritudo, sanitas, nobilitas naturalis. 3, pro habitu, qui extrinsecus aduenit, & hominem perficit, siue sit intellectualis, siue moralis. 4, pro vmbra seu simulachro virtutis vel intellectualis, vel moralis; cuiusmodi in bestiis quibusdam apparet, quibus etiam propterea prudentiæ, fortitudinis, aliarumque virtutum nomina tribuuntur.

Etymol. Latinivocabuli virtutis explicatur.

Homonymia vocis tam ἀρετῆς quam virtutis extutitur.

Signif.
1
2
3
4.

Diuersa aliorum definitiones recensentur.

Cicero lib. 4. Tusc. Quæst. Alcinous in libro de doctrina Platonis cap. 31.

4 *Quid sit virtus moralis in genere?*

VAriæ circumferuntur virtutis moralis definitiones. Aliis enim virtus moralis est affectio animi constans conueniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, & ipsa per se suâ sponte, separata etiam vtilitate laudabilis. Aliis affectio quædam animi perfecta & optima ornatum, concordem & stabilem efficiens hominem tum

ad

ad agendum tum etiam ad loquendum, & ergase, & pariter erga alios. Aliis harmonia seu congruentia sensus & appetitus cum rectâ ratione: Aliis conformitas hominis, eiusque actionum cum lege: Aliis constans propositum viuendi secundum legem vel rectam rationem, seu rectæ rationi congruenter agendi: Aliis affectio seu constitutio animi, quâ rectæ rationi consentaneè agitur: Aliis affectio animi benè constituti, & ad honestatem legi ac rectæ rationi congruêtem compositi: Aliis habitus præeligendi, & agendi honesta: Aliis habitus nos rectè disponens erga finem hominis, quod est honestum: Aliis habitus virum bonum eiusque actiones componens: Aliis habitus actiuus ex perpetuatis actionibus honestis, voluntatem & appetitum hominis ad mediocritatem aptè temperans ac componens pro bono ciuili consequendo. Aliis denique habitus proæreticus in mediocritate positus, prout ea ad nos refertur & rectâ prudentiæ ratione definitur. Et hæc postrema definitio est Aristotelis, ab eoque traditur 2. *Ethicorum Nicom. cap.* 6. sub initium his verbis: ἐστὶν ἄρ' ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. *Est igitur virtus* (scilicet moralis) *habitus proæreticus in mediocritate existens, ad nos relatâ, definita ratione, & vt prudens definiret.*

Cæterum, ex his definitionibus omnibus nullà est, quę non laboret aliquo vitio, si ad trutinam veritatis accuratè examinetur. Nam, prętereaquam quod aliæ ex his latiores, aliæ angustiores sunt suo definito; aut genus habent vitiosum, cuiusmodi est *affectio*, *harmonia*, *congruentia*, *confor-* *Definitiones supra expositæ examinantur.*

mitas, propositum: aut differentiam habent vitiosam sumptam aut à subiecto recipiente falso, cuiusmodi sunt vel *animus*, vel *sensus*, & *appetitus*, vel *actiones hominis*: aut ab aliis rebus ad essentiam virtutis nihil pertinentibus, vt ex sequentibus quæstionibus clarius patebit. Proinde ad vitanda omnia illa vitia, virtus moralis supra præcepto quarto definita fuit, *habitus proæreticus per quem homo promptus redditur ad probè honestéq; viuendum.* In qua definitione primum loco generis ponitur habitus proæreticus, vt significetur, virtutem moralem esse qualitatem stabilē & permanentem, non ex naturæ principiis immediatè ortam; sed certa ratione & consilio electam & acquisitam. Deinde loco differentiæ specificæ additur, quòd homo per eiusmodi habitum proæreticum promptus reddatur ad probè honestéque viuendum; vt indicetur, virtutem moralem conferre homini facilitatem & promptitudinem rectæ rationi congruenter viuendi.

Propria definitio traditur, & explicatur.

5 *An virtus moralis rectè definiatur propositum constans viuendi secundum legem seu rectam rationem?*

Sententia aliorum exponitur

SVnt quidam ex recentioribus Philosophis, qui virtutem moralē nihil aliud putant esse, quam propositū constans viuēdi secundū legem vel rectam rationē. Rationes ipsorum sunt: 1, quia nemo virtute præditus est & dicitur, nisi qui cōstans propositum habet, secundū legem vel rectam rationem viuēdi. 2, quia nulla actio hominis per se laudē meretur, nisi quæ proficiscitur ex constanti proposito agendi secundū legē, vel rectā rationē. At verò hęc definitio virtutis moralis videtur planè non

Ratio 1

2.

nè non posse consistere: 1, quia virtus mor. est habitus, & per consequens qualitas. Propositum autem nō est habitus, vel qualitas, siue per illud intelligas decretū, h.e. rem ipsam, quæ decernitur, siue ipsam proæresin seu *præelectionē*. 2, quia propositum cōstans viuendi secundū legem vel rectā rationem non est genus, sed causa efficiens virtutis moralis. Nemo enim virtutē moralē vel comparare, vel cōseruare potest, nisi proæresin firmā, h. e. propositū constans habeat viuendi secundū legem vel rectam rationē. 3, quia etiamsi illud genus cōcederetur: tamen adhuc definitio esset latior suo definito: quia competit etiam virtuti intellectuali: cum nullus artifex sit, qui non habeat propositum constans agendi secundū rectam rationem & legem suæ artis. Vnde etiam Aristoteles definit *artem habitum cum vera seu recta ratione efficiendi.*

Refutatur superior sententia

Ratio

1

2

3.

6 *An virtus moralis rectè definiri possit per* potentiam *seu* facultatem *tanquam genus?*

REperiuntur quidam, qui simpliciter negant, virtutem moralem definiri posse per *potentiam* seu *facultatem* tanquam genus. Rationes ipsorum sunt: 1, quia potentia, quæ Græcè dicitur δύναμις, est φυσικὴ, hoc est, *naturalis*, seu à natura insita, *virtus* verò *moralis* est ἐπεισακτὸς, *aduentitia* & assuetudine comparata. 2, quia potentia inest omnibus nō tantum hominibus, sed etiam bestiis. Virtus autem moralis neque bestiis, neque omnibus hominibus inest. 3, quia propter potentiam homo neque laudatur, neque honore dignus iudicatur: propter virtutem autem moralem contrà.

Arist. libr. 2. Ethic. Nicō. cap. 4. Nemesius in libro de natura hominis cap. 41.

Ratio pro thesi neg.

1

2

3.

Deciditur quæstio per distinct.

Sed huic opinioni facilè occurri potest, si distinguatur inter *potentiam* seu *facultatem naturalem* & *aduentitiam* seu *acquisitam*. Licèt enim virtus moralis non sit potentia naturalis seu innata: tamen est potentia aduentitia & acquisita: quippe quæ assuetudine seu honestarum actionum iteratione comparatur. Hinc etiam *libr 5. Metaphys. cap 3. Quæst. 21.* probatum à me fuit, omnem habitum esse potentiam. Cum igitur virtus etiam moralis sit habitus, sequitur illam quoque rectè dici potentiam.

7 *An virtus moralis præstantior sit virtute intellectuali?*

Pro thesi affirmatiua

STatuitur thesis affirmat. Rationes sunt:

Ratio

1 1, quia virtus moralis per se reddit hominẽ probum. Intellectualis autem non.

2 2, quia virtus moralis per se est laudabilis: intellectualis autem non nisi cum virtute morali sit coniuncta.

3 3, quia virtus moralis est principium proximum actionum honestarum: Intellectualis autem non.

4 4, quia virtute morali nemo abuti potest: intellectuali autem quilibet.

5 5, quia virtus moralis est durabilior intellectuali, cum frequentior eius exercendæ in communi hominum societate occasio occurrat, neque per obliuionem deleri possit.

6. 6, quia virtus intellectualis improbis cum probis est communis: moralis autem non.

8 *An virtus moralis, prout in Ethica tractatur, essentialiter differat a virtute Christiana, quam Theologia sacra considerat?*

Pro thesi af. Rationes aliorum. 1

SVnt nonnulli, qui in hac quæstione thesin affirmantem defendunt. Rationes ipsorũ sunt; 1, quia virtus moralis cadit etiam in homines Ethnicos

nicos & veræ religionis ignaros : Christiana autem virtus nonnisi in pios & verè regeneratos. 2, quia virtus moralis tantum informat mores externos hominis, quibus in ciuili hominum societate opus habet : Christiana autem virtus informat etiam mores internos hominis ad verum Dei cultum maximè requisitos. 3, quia virtus moralis Deo non est grata & accepta; præsertim si inest homini non renato. *Sine fide enim impossibile est quicquam placere Deo.* Christiana autem virtus Deo est grata & accepta. 4, quia virtus moralis nisi ad Deum referatur, non est virtus, teste Augustino *libr* 15. *de ciuitate Dei cap.* 25. Et vt Hieronymus ait, *Sine Christo omnis virtus vitium est.* 5, quia virtus moralis ab homine assuetudine acquiritur: Christiana autem virtus à Deo infunditur, effectumque est Spiritus sancti. Verùm hæc opinio videtur approbanda non esse ; sed potius amplectenda sententia eorum, qui statuunt, virtutem moralem à Christiana tantum gradibus perfectionis differre; non secus ac lucem matutinam à luce meridiana , aut teporem à feruore. Neque obstant argumenta pro thesi affirmante allata. Nam 1, licèt virtus moralis cadat etiam in homines Ethnicos & veræ religionis ignaros : inde tamen non sequitur, illam à Christiana virtute essentialiter differre; sed tantum hoc sequitur, illam non ita perfectam esse ac hanc: quod libenter concedimus, cum virtus moralis sit tantum gradus ad virtutem Christianam; & illa ab hac complementum capiat. 2, virtus moralis nō tantum informat mores externos ; sed etiam internos hominis; tametsi non eo modo & gradu per-

2

3

5.

Superior sententia improbatur. Keckermannus in præcognitis Ethicis, pag. 9.

Respondetur ad superiora argumenta.

1

2

fectionis quo Christiana. Est enim illa habitus internus à quo omnes actiones externæ promanant, & sine quo honestæ ac laudabiles esse non
3 possunt. 3, virtus moralis per se & suâ naturâ est res bona, honesta & laudabilis: Ideóque Deo suo modo grata & accepta: etiamsi in homine non renato reperiatur. Nam quod dicitur ad Hebr. c. 11. *Sine fide impossibile est Deo placere*: id non de qualibet placentia; sed tantum de ea, quæ ad sa-
4 lutem æternam dirigitur, est accipiendum. 4, Dura admodũ videntur esse dicta Augustini & Hieronymi. Licèt enim virtus moralis sine Christo & relatione ad Deum non sit virtus Christiana, seu ita perfecta, vt Christiana: tamen est vera virtus; non secus ac lux matutina est vera lux; tametsi non sit lux meridiana: & tepor est verus calor;
5. tametsi non sit feruor. 5, virtus Christiana à Deo infunditur non immediatè sed mediatè; nempe, interuenientibus causis secundis; cuiusmodi sunt pia precatio, diligens meditatio verbi diuini, seria conuersio hominis ad Deum, exercitatio assidua in actionibus piis & sanctis. Et per has causas etiam Spiritus sanctus ordinariè dicitur in homine renato virtutem Christianam producere. Sed inde non sequitur, virtutem moralem essentialiter à Christiana differre, cum illa etiam non tantum ab homine, sed etiam à Deo per causas inter-

Occurritur nouæ obiectioni.

medias producatur. Neque valet, si quis vlterius obiiciat, virtutem moralem, si non per se, saltem per accidens, degenerare in vitium ratione subiecti mali cui inest: ideoque esse damnandam & reiiciendam. Virtus enim moralis, si modo vera est, & non simulata, perficit subiectum cui inest,

ideóque

ideóque ei, quatenus est malum moraliter, inesse non potest. Et longe alia ratio est vini boni in vas impurum infusi. Vtrumque enim corpus est capax mutuæ commixtionis & infectionis. Virtus autem & homo non renatus non ita inter se commisceri ac infici possunt, vt illa ab hoc vitiositatem verè contrahat: tametsi imperfectior merito statuatur in homine non renato, quam renato. Sed non omnis imperfectio arguit malitiam, prauitatem & vitiositatem, quemadmodum *libro 2. Metaphysicæ capite 1. Quæstione 10.* traditum fuit. Ideoque neque propter eiusmodi imperfectionem est damnanda & reiicienda.

CAPVT III.

De causis virtutis moralis.

PRÆCEPTA.

1 *Causæ virtutis moralis sunt finis & efficiens.*

2 *Finis virtutis moralis alius est vltimus, alius intermedius.* *De Finibus virtutis moralis.*

3 *Vltimus est gloria Dei per virtutem moralem eiusque actiones illustranda.*

4 *Intermedius est vel proximus, vel remotus.*

5 *Proximus est* ζωὴ καὶ εὐπραξία, *h. e.* vita & actio proba honestáque.

6 *Remotus est* εὐδαιμονία, *hoc est*, felicitas terrena, *tam ipsius hominis, quam totius Reipublicæ.*

De efficientibus.

7 *Efficiens virtutis moralis alia est prima, alia secunda.*

8 *Prima est solus Deus, fons & autor omnis boni in Natura.*

9 *Secunda alia est principalis, alia minus principalis.*

10 *Principalis alia est mediata, alia immediata.*

11 *Mediata, alia remota, alia propinqua.*

12 *Remota principalis est partim natura, partim disciplina recta.*

13 *Natura, prout hoc loco usurpatur, est potentia naturalis homini à Deo insita.*

14 *Eaq; vel est generalis, vel specialis.*

15 *Generalis est naturalis virtutis capacitas, omnibus hominibus communis ab anima rationali immediatè prodiens.*

16 *Specialis, est inclinatio seu propensio ad virtutem, certorum hominum propria, orta ex bono corporis temperamento & dispositione.*

17 *Disciplina recta, est institutio legitima hominis quâ à teneris annis paulatim à vitiis ad virtutem deducitur.*

18 *Propinqua causa principalis virtutis moralis partim est prudentia, partim est proæresis recta.*

19 *Prudentia est habitus dianoëticus rectè consultandi iudicandique de iis, quæ vitæ hominum*

num conducunt vel obsunt, eademque dextrè peragendi.

20 Proæresis recta est appetitus mediorum legitimorum à prudentia per consultationem suggestorum ad consequendum finem. Eaque in se includit obedientiam & propositum constans viuendi secundum rectam rationem.

21 Immediata seu proxima causa principalis efficiens virtutis moralis, est legitima assuefactio & exercitatio, hoc est, crebra honestarum actionum iteratio.

22 Fuit efficiens principalis: Sequitur minus principalis, quæ vel est impulsiua, vel instrumentalis.

23 Impulsiua partim est spes præmii & metus pœnæ, partim assidua bonorum exemplorum consideratio; partim denique consilia, omniaque alia argumenta suasoria, quibus homo ad fugam vitii, virtutisque studium excitatur.

24 Instrumentalis alia est adiuuans, alia exemplaris.

25 Adiuuans est partim honestatis amor, & turpitudinis odium, partim prauorum sodalitiorum fuga, assiduaque cum probis conuersatio; partim diligens declinatio omnis ad peccandum occasionis; partim denique bonorum exemplorum imitatio, & malorum euitatio.

26 Exemplaris causa efficiens partim est re-

ctaratio; partim exemplar virtutis in aliis nobis propositum; partim sacra scriptura.

QVÆSTIONES.

1 *An virtus moralis habeat finem, & quinam ille sit?*

Lib. 3. Metaphys. c. 2. Q. 10. & 16.

NVllum est effectum, præsertim bonũ, quod non habeat finem aliquem, cuius gratia fuerit productum. Ideoq; cum virtus etiam moralis sit effectum optimum & præstantissimum; finis ei denegari non potest. Sed quinam sit ille finis, controuertitur. Alii enim statuunt virtutem moralem propter se esse expetendam, non propter aliud: Ideoq; videntur innuere, ipsam virt. moral. sibi esse finem. Cui opinioni astipulantur illi, qui virtutis mor. finem putant esse τὸ καλὸν. Alii verò finem existimant ipsam rectitudinem vitæ humanæ; alii congruentiam appetitus cum recta ratione; alii felicitatem terrenam; alii gloriam Dei, & salutem hominis & Reipub.

Sententia aliorum de fine virtutis moralis. Aristot. libr. 1. magnorum Moralium c. 20.

Dubitatio mouetur ad uersus 1. sententiam.

Ex quibus sententiis sola prima præ se fert dubium aliquod. Cum enim finis & finitum realiter inter se differant, non minus ac efficiens & effectum, materia & materiatũ, forma & formatũ, videtur ipsa virtus moralis non esse statuenda sibi finis. Sed responderi potest, virtutẽ moralem dici propter se expetendam, quatenus in se habet eiusmodi bona, ob quæ digna est, vt expetatur; etiamsi nulla alia externa bona illam comitarẽtur. Ideoque hoc sensu virtus moralis dicitur sibimet ipsa esse finis. Sed inde non sequitur, finem & finitũ non semper inter se realiter differre. Quod ad reliquas sententias attinet, illæ sunt verissimæ;

Respondetur ad dubit.

modò,

modò, distinguatur inter finē vltimum & intermedium, eumque vel proximum, vel remotum, quemadmodum supra in præceptis factum est.

2 *An Deus sit causa efficiens virtutis moralis, & quidem solitaria?*

Pars prior quæstionis affirmatur. Lib. 4. Metaphysic. cap. 2. Quæst. 15. Thesis affir. defenditur.

CVm Deus sit primum & summum bonum, à quo omnia bona suam trahunt originem, necessario sequitur illum etiam causam esse efficientem virtutis. Et hoc non tantum sacra scriptura; sed etiam multi ex sanioribus Ethnicis testantur. Seneca enim expressè ait, bonum verum à Deo esse, & nullam sine Deo mentem bonam esse. Et memorabile est illud Biantis; *Cum boni quid feceris, non tibi, sed Deo id adscribe.* Vtrum autem Deus sit solitaria causa virtutis moralis, nó immerito quæritur? Reperiuntur enim nonnulli, qui virtutem moralem ita Deo adscribunt, vt ab eius efficientia omnes secundas causas efficientes excludant. Sed hic error facile refutari potest: 1, quia Deus certa media acquirendi & conseruandi virtutem ordinauit & constituit, per quę ipse est efficax. 2, quia nulli homini secundum ordinarium Naturæ cursum sine propria ipsius voluntate & industriâ virtutem moralem communicat. 3, quia prima causa non excludit secundam; sed potius eius vim excitat & promouet, præsertim in iis rebus agendis & efficiendis, quæ à libero hominis arbitrio pendent.

Pars postrema Quæst. refutatur.

Ratio 1

2

3.

3 *An homo per naturam suam aptus sit ad acquirendam virtutem moralem?*

Sententia affir. defenditur Argum. 1

PRo thesi affirmante militant sequentia argumenta: 1, quia homo præditus est anima ra-

tionali, à qua docilitas, & capacitas naturalis virtutis tanquam effectum à causa efficiente pro-
2 xima in homine producitur. 2, quia Deus hominem eo fine condidit, vt bonum morale eligat & persequatur; malum verò repudiet & fugiat. Ideoque etiam naturalem potentiam ei indidit, per
3 quam aptus est ad hunc finem assequendum. 3, quia homo per naturam suam præditus est libero arbitrio, per quod aptus est ad determinandum se suasque actiones, tam ad bonum, quam ad ma-
4 lum morale. 4, quia omnes Philosophi inter causas acquirendi virtutem moralem numerant etiam φύσιν, hoc est, *naturam*, seu *naturalem habilitatem*.
5. 5, quia si homo per naturam aptus non esset ad acquirendam virtutem moralem, sequeretur inde 1, vanum esse omnem conatum & laborem, qui impenditur pueris & adolescentibus ad virtem informandis, & à vitiis abducendis. 2, vanas esse omnes exhortationes, quibus solent homines excitari ad virtutem amplectendam & colendam; vitium verò auersandum & fugiendum. 3, frustra homines obiurgari ob vitia & peccata, quibus dediti sunt. 4, frustra leges condi, & in iis præmia obedientibus; & pœnas inobedientibus decerni. Sed hæc omnia sunt absurda. Ergò absurda etiam est hypothesis, ex qua consequuntur.

Prothes. neg. Argumenta

At in contrariam partem adduci possunt hæc
1 argumenta: 1, quia homo per peccatum ita corruptus est, vt suâ naturâ ineptus sit ad omne bonum. Vnde etiam scriptura sacra testatur, *Gen. 6. ℣. 5. & 8. ℣. 21.* omne figmentum & cogitatum cordis humani tantummodò malum esse omni
2 tempore, seu à pueritia. 2, quia infantes & morio-

nes

nes ſunt homines; & tamen per naturam ſuam non ſunt apti ad acquirendam virtutem: cum rationis vſu deſtituantur.

Deciditur quæſtio per diſtinct.

Vt igitur hæc quæſtio decidatur, diſtinguendum eſt primum inter hominem, quatenus abſolutè vt homo conſideratur, & quatenus conſideratur, vt homo moraliter corruptus. De priore enim verum eſt, quod per naturam ſuam aptus ſit ad acquirendam virtutem moralem. De poſteriore autem non item. Is enim peccatis eſt deditus, alioſque recta monentes non vult audire, & quam diu talis manet, ad virtutem moralem capeſſendam eſt ineptus, hoc eſt, virtus moralis in ipſo actu exiſtere non poteſt. Deinde diſtinguendum eſt inter potentiam naturalem, generalem & remotam, quâ quilibet homo vi animæ rationalis per naturam ſuam aptus eſt, ad acquirēdam virtutem; & inter potentiam ſpecialem & proximam, quâ infantes & moriones ob impeditum & deprauatum rationis vſum deſtituuntur.

4 *An virtus moralis homini innaſcatur?*

Ariſt. libr. 2. Ethic. Nicomach. cap. 1. Pro theſi negatiua

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia quicquid homini innaſcitur, id non aſſuetudine & induſtriâ ipſius acquiritur. Virtus autem moralis aſſuetudine & induſtriâ hominis acquiritur. 2, quia nullus habitus proæreticus homini innaſcitur. Virtus autem moralis eſt habitus proæreticus. 3, quia propter id, quod homini innaſcitur nemo per ſe laudari, aut præmio affici ſolet. Propter virtutem autem moralem ſolet. 4, quia ἀδεὶς φύσει σπουδαῖος ἐστιν, ἀλλὰ προαιρέσει, *nemo naturâ probus eſt, ſed præelectione.* Ideóque etiam in infantes non cadit virtus moralis: cum vſu rationis & præ-

Ratio
1
2
3
4

electione destituantur. 5, quia omnis potentia, quæ homini innascitur, naturæ ordine prior est actu. Virtus autē moralis naturæ ordine nō est prior actu: siquidē per actus honestos crebrò iteratos acquiritur. 6, quia *si virtus moralis homini innascitur, sequitur vsum rationis eidem innasci. Sed vsus rationis eidem non innascitur. Ergo neque virtus moralis.*

5

6.

Pro thesi affirmatiua Argumenta.

1

2

At pro thesi affirmante afferri possunt hæc argumenta: 1, quia natura ex cōsensu omnium Philosophorum numeratur inter causas efficientes virtutis mor. 2, quia omne naturale homini innascitur. Virtus autē moralis est naturalis: tum quia naturæ hominis, quam perficit, maximè est consentanea: tum quia non præter aut contra naturam homini ineſt teste Aristotele *lib. 1. Eth. Nico. c. 1.* Hinc etiam Plato ait virtutem existere ex naturæ seminario, & nobis esse natura congenitam. 3, quia si virtus moralis homini non innasceretur, vana esset tota Physiognomia, quæ ex signis externis corporum mores animorum cognoscit.

3.

Refutantur argumenta pro thesi affirm. allata.

1

Respondeo ad primum argumentum, & concedo quidem, naturam esse vnam ex causis efficientibus virtutis moralis: sed inde tamen non posse probari, virtutem moralem homini innasci. Per naturam enim nihil aliud in doctrina virtutū intelligunt Philosophi, quam naturalem aptitudinem, inclinationem & propensionem ad virtutem capessendā, quę oritur partim ex anima rationali, partim ex temperamento corporis humani; & ab aliis dicitur modò instinctus, modò seminarium, modò igniculus naturæ. Sed quia eiusmodi natura est causa remota virtutis moralis:

lis: idcircò effectum absoluere non potest, nisi reliquæ causæ, præsertim proxima, ponãtur. Et hoc testatur Aristoteles in loco prius citato, cum ait virtutes morales inesse πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτὰς, τελειωθέντας δὲ διὰ τοῦ ἔθους, hoc est, *aptis quidem natis nobis ad susciipiendas eas, sed perficiendis per assuetudinem.*

Ad alterum argumentum respondeo per distinctionem. Est enim ambiguitas in voce NATVRALE; quod modo sumitur pro eo, quod ex causis naturalibus immediatè existit, modò pro eo, quod est secundum naturam, hoc est, naturæ consentaneum, eamque perficit. Præmissæ igitur non sunt simpliciter veræ, sed tantum secundum quid: siquidem propositio non valet, nisi de naturali in prima significatione intelligatur: tametsi neque hoc sensu semper sit vera: cum multa sint eiusmodi naturalia, quæ post generationem demum adueniunt. Assumptio verò non valet, nisi de naturali in secunda significatione intelligatur. Quando igitur Plato ait virtutem moralem existere ex naturæ seminario, & naturæ esse congenitam; mens ipsius non est, virtutem moralem homini innasci; sed aptitudinem & propensionem naturalem homini innasci ad virtutem comparandam. Et in hoc sensu etiam verum est, quod acutissimus Goclenius *Quæstione Ethica* 25. disserit, virtutem esse naturalem Platoni, quoad radicem, inchoationem, adumbrationẽ, semina, igniculos & propensiones ad decus & honestatem: non verò naturalẽ esse Aristoteli, quoad solidam expressionẽ & perfectionem.

2.

5 *An naturalis ad virtutem propensio in omnibus hominibus sit æqualis?*

Pro thesi negatiua

Ratio 1

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia naturale temperamentum, à quo pendet illa naturalis ad virtutem propensio, neque idem est, neque æqualiter bonum & perfectum in omnibus hominibus: sed aliud est sanguineum, aliud cholericum, aliud phlegmaticum, aliud melancholicum: Et ex his singulum vicissim diuersos habet bonitatis & perfectionis naturalis gradus, in diuersis subiectis, quibus inest. 2, quia ingeniũ in omnibus hominibus non est idẽ; sed pro varietate temperamenti naturalis, diuersâque eiusdẽ perfectione diuersum. 3, quia sensus & experientia communis testatur, quosdam homines magis, quosdam minus ad virtutem esse propensos: ideoque etiam vel facilius, vel difficilius per rectam institutionem à teneris annis ad bonos & laudatos mores assuefieri posse.

2

3.

6 *An disciplina recta sit causa efficiens virtutis moralis, & quomodo?*

Pro thesi affirmatiua

Ratio 1

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia disciplina recta homini præscribit, quid sit honestum vel turpe, eligendum vel auersandum, faciendum vel omittendum; & sic veram homini honesti & turpis noticiã inserit, sine qua impossibile est, vt virtus moralis comparetur. 2, quia naturæ prauitatẽ corrigit hominemq; à peccatis abstrahit & ad benè agendum assuefacit; & sic totum hominem omnesque eius actiones regit & ad normam rectæ rationis conformat. 3, quia in homine amorem honestatis & odium turpitudinis excitat. 4, quia sine disciplina recta homo euadit effrenis & intractabilis, & ad omnis generis vitia ac peccata pleno impetu fertur. 5, quia

2

3

4

5.

quia disciplina similis est agriculturæ. Quemadmodum enim hæc terram ad sementem bene recipiendam, frugesque producendas: ita etiam illa hominem ad virtutem recipiendam & ad bene agendum præparat & disponit. His rationibus astipulantur non tantum testimonia sacræ scripturæ, quæ passim de vi disciplinæ traduntur: sed etiam Ethnicorum saniorum, quorum tria tantum, inprimis memorabilia hoc loco recensebo. Primum est Aristotelis, & habetur *libr. 2. Ethic. Nicom. 1. cap. 1. sub finem.* Οὐ μικρὸν διαφέρει τὸ ἔτως, ἢ ἄτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν· *Non parum refert sic vel sic statim a pueris assuefieri; sed permultum; imò verò totum in eo positum est.* Alterum est Plutarchi, & traditur *in libro de educatione puerorum*: Πηγὴ & ῥίζα καλοκαγαθίας, τὸ νομίμως τυχεῖν παιδείας. *Fons & radix perfectæ virtutis est, legitimam nanciscì institutionem.* Tertium est Senecæ in epistola 90. *Virtus non contingit animo nisi instituto & docto, & ad summum assiduâ exercitatione perducto. Ad hoc quidem, sed sine hoc nascimur: Et in optimo quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus est.* *Testimonia.*

Cęterum, notandum est, 1. disciplinam rectam causari virtutem moralem non immediatè, sed mediatè; neque propinquè, sed remotè. Etiamsi enim disciplina in se sit recta & optima: nisi tamẽ in homine adsit prudentia constansque propositum viuendi secundum legem naturæ, & rectam rationẽ; sequaturq; assuefactio & exercitatio assidua: fieri non potest, vt virtus moralis comparetur. 2, disciplinam rectam excitare hominem ad virtutem & à vitio abducere, partim docendo id, *Quomodo disciplina recta virt. mor. causetur.*

quod honestum est & turpe; partim consulendo, hoc est, suadendo bonum, & dissuadendo malum; partim rogando; partim promittendo præmium, & comminando pœnam; partim laudando bonum & vituperando malum.

7 *An virtus moralis docendo & discendo acquiri possit?*

Pro thesi negativa.

REperiuntur quidam Philosophi, qui in hac quæstione thesin negantem defendunt.

Rationes aliorum. 1

Rationes sunt: 1, quia docendo & discendo tantum acquiritur notitia. Virtus autem moralis non est notitia.

2 2, quia virtus moralis tantum per assuetudinem & exercitationem, hoc est, crebram honestarum actionum repetitionem acquiri potest.

3 Non igitur docendo & discendo.

3, quia nemo potest docendo alterum efficere probum; neque discendo fieri probus: cum virtus moralis non in

4. cognoscendo, sed in agendo consistat.

4, quia virtus moralis potest inesse hominibus etiam indoctis & ignaris rerum.

Testimonia.

Quibus rationibus astipulatur etiam Platonis & Aristotelis autoritas; quorum ille *in Menone* asserit virtutem doceri nō posse, propterea quòd nulli præceptores inueniantur, qui eam doceant: hic verò *libr. 2. Ethicorum Nicomach.* virtutem duplicem facit, vnam intellectualem, alteram moralem: & vtramque à se inuicem in eo distinguit, quod virtus intellectualis magna ex parte ex doctrina ortum & incrementum habeat: Ideoque experientiâ & tempore indigeat: moralis autem ex assuetudine acquiratur.

Pro thesi affirmante.

At contra pro thesi affirmante adduci possunt

Argum. 1 hæc argumenta: 1, quia virtus moralis acquiri non potest

potest sine notitia honesti & turpis; adeoque sine notitia legum, secundum quas est agendum & viuendum. Illa autem notitia nonnisi docendo & discendo comparari potest. 2, quia ad omnem habitum comparandũ requiruntur tria, ex communi Philosophorum consensu, nempe *natura*, *doctrina* & *exercitatio*. Eaque tria ita inter se sunt connexa, vt, quemadmodum Plutarchus ait *in libro De educatione puerorum*, natura sine doctrina sit cæca; & doctrina sine natura sit manca; exercitatio verò sine vtraque sit imperfecta. 3, quia ad comparandam virtutem moralem requiritur tum appetitio & persecutio boni; tum auersatio & fuga mali. Illa autem vtraque præsupponit notitiã boni & mali. Et quanta est noticia boni & mali, tanta etiam est eiusdem vel appetitio & persecutio, vel auersatio & fuga. 4, quia si virt. moral. docendo & discendo acquiri non posset, vana & inutilis esset tota Philosophia moralis, quæ præcepta tradit probè honestéq; viuendi, adeoq; de virt. mor. omnibusq; eius speciebus copiosè tractat. 5, quia vt Seneca ait, *Litera virtutem dare non possunt* (sic immediatè) *sed animum ad accipiẽdam illam præparant*. Et teste Quintil. *lib.* 12. virtus, etsi quosdam impetus à natura sumit; tamen perficienda est doctrinâ.

2

Arist. 7. Politic. cap. 13. 3. Rhet. c. 11.

3

4.

Vt igitur hæc quæstio decidatur, primum sciendum est, ad virtutis moralis acquisitionẽ multas causas effic. sibi inuicem subordinatas concurrere. Deinde distinguendum inter causam efficientem immediatam virtutis, quæ sola est assuefactio & exercitatio, hoc est, crebra honestarum actionum iteratio; & inter causam mediatam,

Decidituꝛ quæstio.

cuiusmodi præter alias etiam est διδακτὸς & μαθητὸς. Licèt igitur virtus moralis immediatè non possit docendo & discendo acquiri: tamen mediatè, hoc est, interuenientibus aliis causis efficientibus propinquioribus, potest. Ideoque etiam rationes pro thesi negante necesse est, vt hoc modo intelligantur. Alioquin simpliciter non sunt veræ.

8 *An prudentia sit dux & moderatrix omnium virtutum moralium?*

Pro Sententia affirm.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1,

Ratio 1

quia prudentia secundum Aristotelem est ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς πρακτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ ἢ κακά hoc est, *habitus* (intellige dianoëticus) *cum ratione vera agendi circa ea, quæ homini bona sunt & mala.* Secundum Stoicos est scientia bonorum, malorum & neutrorum. Secundum Lipsium est intellectus & delectus rerum, quæ publicè priuatimque fugiendæ aut appetendæ; hoc est, vt clarius loquar, est noticia vera bonorum & malorum hominem aptum reddens ad delectum habendum honestorum & turpium, vtilium & inutilium. 2, quia prudẽtia facultatem homini suppeditat rectè consultandi de mediis ad benè beatéque viuendum conducentibus; & sic tam sibi, quàm aliis benè consulendi. 3, quia terminos præscribit actionibus hominis, mediumq; decernit ac statuit à virtutibus moralibus tanquam regiam viam obseruandum. 4, quia voluntatem & proæresin hominis dirigit & moderatur, vt nonnisi ad bonum & honestum, seu id, quod legi naturæ, & rectæ rationi est consentaneum, feratur. 5, quia rationem monstrat domandi & coercendi omnes perturbationes & appetitiones prauas. 6, quia iudicium

Lib. 6. Ethic. Nicom. c. 5.

Lib. 1. ciuilis doct. cap. 7.

2

3

4

5

6

dicium hominis informat in æstimandis rebus, vt scilicet vnumquodque tanti faciat, quanti fieri debet, non pluris, neq; minoris. Ex eo enim tanquã fonte omnis error oritur, quod homines de rerum pretiis nõ rectè iudicent. 7, quia præsentia ordinat, futura prouidet, præterita recordatur. 8, quia exactè perpendit omnes circumstantias, in quibus actiones humanæ versantur, easque diiudicat. 9, quia omnis virtus moralis est habitus rectæ rationi consentaneus, & cum recta ratione coniunctus, vt docet Aristoteles *lib. 6. Ethic. Nicom. cap. 13. sub finem*. Ideoq; cum prudentia monstret rectam rationem, & ad eam deducat; sequitur illam rectè dici ducem & moderatricem omnium virtutum moralium. Et hoc etiam testantur duo illi præstantissimi Philosophi Plato & Aristoteles. Ille enim in Menone ait, ἡ φρόνησις μόνον ἡγεῖται & ὀρθῶς πράττειν · *Prudentia sola præit & ducit adrectè agendum*. Item *lib. 3. De legibus*: πρώτη τῆς ξυμπάσης ἡγεμὼν ἀρετῆς φρόνησις · *Prima vniuersæ virtutis dux est prudentia*. Hic verò *lib. 6. Ethic. Nicom. cap. 13.* expresè affirmat, virtutem moralem ἐ γίνεσθαι ἄνευ φρονήσεως, *non fieri*, seu *esse sine prudentia*. Item, paulò pòst; ἐχ οἷόντε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως ἄνευ φρονήσεως, οὐδὲ φρόνιμον ἄνευ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς · *Fieri non potest vt quisquam probus sit propriè sine prudentia; aut prudens sine virtute morali.* 7 8 9. *Testimonia.*

Hinc etiam alicubi *prudentia* à Platone dicitur *auriga vitæ humanæ*: quia affectus & appetitus tanquam equos ferocientes & exultantes frenat & moderatur, ne hominem in vitia præcipitem trahant: alicubi *Nauta in puppi sedens*, quia vitæ humanæ gubernaculum tenet, & in mediis affe-

ctuum & appetitionum tumultuantium fluctibus nos à naufragio tutos & incolumes conseruat. Ab aliis dicitur omnium actionum nostrarũ, consiliorum, operum, adeoque totius vitę humanæ regula, dux & magistra. Et rectè ait Lipsius in loco prius citato: *Vt architectis opus nullum rectè processerit sine libella & linea: non item nobis sine norma hac directrice, nempe Prudentia.*

Prothes. neg. Obiectio 1

Cæterum, contra hanc sententiam, quam hactenus probauimus, non leues videntur difficultates & obiectiones, moueri posse. Nam: 1, sicut scientia salubrium, & insalubriũ nihil confert ad sanitatẽ corporis: ita neq; prudentia videtur quicquam valere ad sanitatẽ animi, nempe virt. mor. quippe quæ nihil aliud est, quam scientia bonorũ

2 & malorum. 2, quia experientia communis testatur, multos homines esse prudentes, h.e. cognitione rerum expetendarum & fugiendarum præditos, qui tamen sint improbi, virtutisq; moralis expertes: Et contra multos esse imprudentes, h.e. ignaros bonorum & malorum: qui tamen sunt probi & virtutis moralis participes; cuiusmodi sunt adolescentes & plerique idiotæ. Ideoque virtus mor. potest esse sine prudentia, & pruden-

3 tia sine virtute morali. 3, quia virtus moralis videtur potius esse dux & moderatrix prudentiæ, quatenus finem rectum eius consultationi subiicit, eamque dirigit, vt media honesta & vtilia ad finem illum ducentia inquirat ac decernat. Sicut enim vitium peruertit & deprauat iudicium rationis, efficitq; vt de principiis practicis male sentiamus, vt docet Aristoteles *lib. 6. Eth. Nic. c. vlt.* ita contra virtus perficit iudicium rationis, efficitque

citque vt de principiis practicis benè ſentiamus. Et hoc idem teſtatur ibidem Ariſtoteles quando ait, τὴν προαίρεσιν ὀρθὴν ποιεῖ ἡ φρόνησις, *praelectionem facit rectam virtus*. Item, ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι μὴ ὄντα ἀγαθόν, *impoſſibile eſt prudentem eſſe, qui non eſt probus.* 4, quia Socrates apud Platonem omnes virtutes morales ſtatuit eſſe prudentias, vt Ariſtot. refert in loco antea citato. Non igitur prudentia poteſt eſſe dux & moderatrix omnium virt. moralium. 4.

Vt igitur ad illas difficultates & obiectiones reſponderi poſſit, obſeruanda ſunt ſequẽtia theoremata. 1, nõ ſimpliciter verũ eſſe, quod ſcientia ſalubrium & inſalubriũ nihil conferat ad ſanitatẽ corporis. Licèt enim non ſit cauſa efficiens proxima ſanitatis vel cõſeruandæ vel recuperandæ: tamen eſt cauſa effic. remota: ſiquidem is, qui nouit quæ ſint ſalubria, quæ inſalubria vel ſibi, vel aliis, eò melius poteſt ſanitatẽ vel ſuam vel aliorum vſu ſalubriũ, & declinatione inſalubrium conſeruare aut reſtituere. 2, prudentiam verã non eſſe ſimplicem & nudam notitiam bonorũ & malorum: ſed eiuſmodi notitiã, quę iudicium hominis de bonis & malis rectè informat, eumq; vi ſua flectit ad bonum appetendũ & perſequendũ; malum verò auerſandũ & fugiendum. Et hoc etiam inde patet, quod ab Ariſt. *prudentia*, definitur *habitus cũ vera ratione agẽdi circa ea, quæ homini bona ſunt vel mala.* Item ab aliis ἐπιστήμη πρακτικὴ ἀγαθῶν καὶ κακῶν. 3, homines improbos non eſſe verè & propriè prudentes; ſed potius verſutos, callidos & malitioſos; quę notitia Græcè dicitur πανουργία. Vnde etiam Lipſius *lib. 1. ciuilis doctrinæ cap. 1.* rectè ait prudentiam ſine virtute calliditatẽ & malitiam, & quid- *Reſpondetur ad præcedentia argumẽta.* 1 2 3

4 libet potius quam prudentiam esse. 4, Neminem esse probum, virtutisque moralis participem, qui est plane imprudens, bonorumque & malorum ignarus propter rationes supra allatas. Ideoque si adolescens aut idiota aliquis sit verè probus, necesse est, vt cognitionem eiusmodi honesti & turpis habeat, cuius vi fuerit excitatus ad appetẽdum & persequendum virtutem. *Ignoti enim nulla est cupido.* 5, Prudentiam esse ducem & moderatricem virtutis moralis ab homine acquirendę. Sed hanc iam acquisitam vicissim aliquo modo esse ducem & moderatricem ipsius prudentiæ: quatenus eam perficit, & ne ad abusum flectat, 6. aut in versutiam degeneret, prohibet. 6, virtutes morales à Socrate dici prudentias, non propriè, sed tropicè, quatenus prudentiæ normâ diriguntur, & sine ea acquiri non possunt, vt etiam Aristoteles *lib. 6. Ethic. N. cap. vlt.* explicat. Hinc etiam doctissimus Goclenius *Quæst. 39. Ethicâ* rectè ait, virtutes dici prudentias: 1, ratione dependentiæ & acquisitionis, quia prudentia necessaria est ad acquisitionem virtutis moralis. 2, ratione connexionis, consensionis & conspirationis, quâ nulla virtus moralis potest esse separata à prudentia; sed omnis cum eâ coniuncta est.

9 *Quod sit obiectum prudentiæ & a quibus causis efficientibus pendeat?*

VT melius intelligatur natura prudentiæ, quam supra causam efficientem, adeoq; ducem & moderatricem omnium virtutum moralium asseruimus, non alienum ab hoc loco esse iudico agere de illius obiecto & causis efficientibus.

Sunt

Sunt autem in genere obiectum prudentiæ τὰ πρακτὰ, hoc est, omnes res contingentes, quæ sub liberam hominis actionem cadunt, siue sint bona, siue mala, siue neutra. Et hoc patet non tantum ex definitione prudentiæ, quam Aristoteles tradit *lib. 6. Ethic. cap. 5.* sed etiam ex duabus aliis, quarum vna est Stoicorum, qui dicunt, prudentiam esse scientiam bonorum, malorum & neutrorum: altera Ciceronis in *libro 2. de Inuentione*, qui prudentiam ait esse rerum bonarum & malarum, & vtrarumque peritiam. *De obiecto prudentiæ.*

Causæ verò efficientes prudentiæ aliæ sunt principales, aliæ minus principales. Principales sunt: 1, naturalis perspicacitas, sagacitas & solertia: quę, Græcè dicitur σύνεσις, ἀγχίνοια, δεινότης. 2, studium Philosophiæ practicæ & historiarum. 3, exercitatio assidua in rebus agendis, & quæ cum ea coniuncta est, obseruatio & experientia rerum singularium. Minus principales sunt: 1, studium Philosophiæ theoreticæ, & quæ ex eo oritur, sapientia. 2, peregrinatio, per quam multa obseruantur ad vsum nostrum conductura. 3, conuersatio cum viris prudentibus, ardensque studium eos imitandi, eorumque dicta & facta exprimendi. Sed notandum, Lipsium *lib. 1. ciuilis doctrinæ cap. 8.* prudentiæ parentes duos tantum constituere; nempe Vsum & Memoriam rerum. Et per Vsum quidem intelligere notitiam humanarum rerum ex visu vel tractatu; per Memoriam verò notitiam similem ex auditu vel lectu. Ac vsum quidem seu experientiam comparare patri; memoriam verò matri. *De causis efficientibus prudentiæ.*

10 *Quæ sint officia prudentiæ, & quæ illi opponantur?*

De officiis prudentiæ.

ETsi officia prudentiæ ex quæstione octaua non difficile est cognoscere: tamen melioris doctrinæ ac intelligentiæ gratia visum est primaria hoc loco tecensere. Primum officium est dis-
1 cernere inter bona, mala & neutra. Alterum est,
2 comparare inter se bona & mala, & videre, vtrum magis vel minus sit bonum vel malum, & sic alteri vel præferendum, vel postponendum. Hinc etiam inter leges impares, quarum aliæ sunt superiores, aliæ inferiores delectum constituit tempore vel libero, vel non libero seu necessario. Ac tempore quidem libero superiores leges semper præferre iubet inferioribus. Vnde ortæ sunt illæ regulæ: *Lex humana cedat diuinæ*: *Communia præferantur minus communibus*; *publica, priuatis*; *leges denique, quæ simpliciter honesta præcipiunt, vtilitati etiam publicæ præferantur*. Tempore vero non libero seu necessario, cum grauiore malo premimur, quod depellere discupimus, sæpè iubet inferiores leges præferre superioribus, ita vt non tam præstantiæ legis, quàm indi-
3 gentiæ & necessitatis nostræ habeatur ratio. Tertium officium est in omni actione primum certum finem & scopum constituere. Deinde benè cõsultare de mediis idoneis ad finem illum consequendum necessariis, eaque ad circumstantias loci, temporis & personarum accommodare.
4 Quartum officium est suadere & permittere electionem inter plura bona & mala, pœnæ præsertim commeritæ proposita: non autem inter mala culpæ, quorum nec maius nec minus est eligendum, sed vtrumque repudiandum. Et propterea etiam Aristoteles *lib. 3. Ethic. Nicomach. cap* 1. ait:

Sunt

Sunt quædam, ad quæ nullus vir bonus se cogi patitur, sed extrema quæque subeunda & mortem potius oppetendam ducit. Quintum officium est præsentia ordinare, futura prouidere, & præterita recordari. Sextum est, æquè & moderatè iudicare de dictis & factis aliorum. 5 6.

Porrò prudentiæ opponitur in defectu quædam imprudentia, quæ est ignorantia bonorum, malorum & neutrorum iudicio destituta: in excessu verò partim versutia vel calliditas, per quam vel ad malum finem bona media, vel ad bonũ finem mala media, ita ordinantur, vt vitiosa fiat accommodatio ad personas, loca & tẽpora: partim nimia lentitudo & festinantia in agendo. *De oppositis prudentiæ.*

II *An prudentia ex æquo in omnes homines cadat?*

STatuitur thesis negat. Rat. sunt: 1, quia causæ effic. prudentiæ, de quibus *Q. 9.* dictum, ex æquo in omnibus hominibus non reperiuntur. 2, quia ordinariè seniores sunt prudentiores iunioribus non tantum propter temperamentum naturale, quod in illis est frigidum & siccum: ideoq; humores & spiritus corporis sedatiores efficit, minusq; perturbationes excitat, nec per has iudiciũ rationis peruertit: sed etiã propter doctrinam & multarũ rerum vsum, quæ in illis maior est quàm in iunioribus, nisi nimio senio incipiant repuerascere. Idcircò Aristoteles *lib. 7. Ethic. Nic. 9.* rectè asserit, Naturam iunioribus viris; senioribus prudentiam largiri. Quo etiam respexit Plato in Timæo, cum inquit, virtutem animi non florescere nisi virtus corporis defloresçat. 3, quia ordinariè viri sunt prudentiores mulieribus, *Pro thesi neg.* *Ratio* 1 2 3

non tantum quia mulieres sunt humidiores viris; & sic spiritus habent crassiores & obtusiores: sed etiam, quia minus in rebus agendis, præsertim publicis, quam viri sunt occupatæ, minusque vsu & experientia rerum valent. 4, quia Philosophi practici prudentiores sunt quam theorici, propterea, quod maiorem sibi rerum agendarum ex assidua illarum tractatione experientiam acquisierunt. Hinc Aristoteles *lib. 6. Ethic. Nicom. cap. 7.* affirmat, Anaxagoram, Pittacum, Thaletem, & multos alios sapientes fuisse non vsque adeo prudentes.

12 *Quomodo prudentia sit diuidenda?*

Prudentiæ species recensentur.

Distributio.

1

ARistoteles *libro 6. Ethic. Nicom. cap. 8.* prudentiam primò diuidit in priuatam & publicam: Priuatam vocat, per quam homo sibi cõsulit seu rectè disponit ea, quæ sibi ad benè beatéque viuendum conducere videntur. Publicam vocat, per quam homo aliis consulit. Fundamentum huius distributionis consistit in eo, quod secundum Aristotelem & Platonem prudens dicatur, qui non tantum sibi, sed etiam aliis hominibus adeoque Reipublicę consulere potest. Verba Aristotelis sunt: φρονίμους οἰόμεθα εἶναι, εἰ πὲ αὐτοῖς ἀγαθὸ, καὶ πὲ τοῖς ἀνθρώποις δύναιντ' ἂν θεωρεῖν. Verba Platonis sunt: φρόνιμόν γε φήσομεν ἀποχρῶντα ξύμβουλον καὶ αὐτὸν αὑτῷ καὶ τῇ πόλει. Deinde prudentiam idem Philosophus diuidit in Oeconomicam & Politicam, seu, quod idem est, in domesticam & ciuilem: quarum illa in domestica; hæc in ciuili hominum societate vsum suum præstat. Tertiò prudentiam ciuilem distribuit in Nomotheticam & Politicam specialiter dictam; quæ rectius dici potest pragmatica: qua-

In Alcib. II.

2

3

quarum illa eſt, per quam homo leges cõdit, magiſtratus conſtituit, imperat, pœnas, & præmia decernit: hęc eſt, per quã homo proximè in ſingularibus actionibus verſatur, & quaſi manibus negotia ad Remp. pertinentia tractat. Poſtremò, prudentiam pragmaticam diuidit in βουλευτικὴν καὶ δικαστικὴν, hoc eſt, in conſultricem & iudicatricem; quarum illa eſt, per quam homo deliberat de rebus ciuilibus: hæc vera eſt, per quam homo iudicat de actionibus aliorum, vtrum legibus ſint cõſentaneæ nec ne; & quibus pœnis vel præmiis dignæ ſint. 4.

13 *An prudentia præſtet ſapientiæ?*

PRo theſi affirmante valent hæc argumenta: 1, quia prudentia conſiſtit in perſpicientia boni & mali: Sapientia verò in perſpicientia veri & falſi. Semper autem ratio boni præfertur rationi veri. 2, quia prudentia ſemper cum virtute morali inſeparabili nexu eſt coniuncta. Sapientia autem non itidem. 3, quia prudentia eſt dux & moderatrix omnium virtutum moralium. Sapientia non itidem. 4, quia prudentia ſine ſapientia ſemper eſt vtilis & honorabilis. Sapientia autem ſine prudentia eſt pernitioſa & ignominioſa, ac veluti gladius acutus in manu furẽtis. 5, quia prudentia reddit hominem probum, Deoque & aliis amabiliorem & gratiorem. Sapientia autem non. 6, quia prudentia rectum vſum omniũ bonorum humanorum parit, & ſine eo nihil nobis bonum eſſe poteſt. Sapientia autem non. 7, quia prudentia puppi ciuitatis prẽſidet, & gubernaculum eius tenet ac moderatur. Sapientia autem non. 8, quia prudentia eſt auriga vitæ humanæ, rectrixque

Pro theſi affirmatiua Argumenta

1
2
3
4
5
6
7
8

omnium actionum nostrarum. Sapientia non item. 9, quia prudentia reddit hominem in omni fortunæ statu instar cubi constantem. Sapientia autem non. 10, quia prudentia magis necessaria est humanæ conditioni, hominique ad futuram vitam properanti est accommodatior & vtilior. 11, quia omnis prudens est probus: non autem omnis sapiens est probus. 12, quia imprudẽtia, quæ opponitur prudentiæ, deterior est insipientia: cum illa semper coniuncta sit cum vitio morali: hæc autem non.

9 10 11 12.

Pro thesi negatiua Argum.

At contra pro thesi negante adduci possunt hæc argumenta: 1, quia prudentia est proles sapientiæ, & ab ea sua principia accipit. 2, quia sapientia est quieta & otiosa: prudentia autem est inquieta & negotiosa. 3, quia sapientia versatur in rebus diuinis & naturalibus: Prudentia verò in rebus humanis, quæ variis mutationibus sunt obnoxiæ. 4, quia sapientia sibi magis est sufficiens, minusque instrumentis Naturæ & Fortunæ indiget, quam prudentia. 5, quia sapientia mentem hominis perficit: Prudentia verò appetitum & voluntatem. 6, quia sapientia hominem eleuat ad summum bonum in contemplatione situm. Prudentia autem ad summum bonum in actione positum. 7, quia Philosophia & vita contemplatiua præstantior est practica. Ergo etiam sapientia præstantior est prudentia.

1 2 3 4 5 6 7.

Deciditur quæstio per distinct. homonymiæ.

Pro decisione quæstionis notandum est, vocabulum *sapientiæ* quandoque ita latè accipi, vt suo ambitu etiam prudentiam comprehendat. Et in hac significatione intelligendus est versiculus ille Phocylidæ:

Αγρὸς

Ἀγρὸς καὶ πόλιας σοφίη καὶ νῆα κυβερνᾷ,
Agros, & vrbes ſapientia, & nauem gubernat.

Quandoque verò ſtrictè ſumi pro ſpecie habitus intellectualis à prudentia contradiſtincta. Et in hac ſignificatione quæſtio propoſita eſt intelligenda, theſisque eius affirmatiua videtur ad virtutem propius accedere, ſi argumenta in vtramque partem adducta accuratè ponderentur, ac inter ſe conferantur. Vbi tamen etiam notandum eſt, vocabulum *prudentiæ* interdum ſumi, vel pro ſapientia ipſa, vel ſaltem in tam lata ſignificatione, vt ſub ſe comprehendat ſapientiã. Et in hac ſignificatione intelligendus eſt totus Cic. de prudentia locus, qui libr. 1. Offic. traditur. Cum enim ibi quatuor virtutes cardinales conſtituiſſet, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem & temperantiam; poſtea ſingulas ordine explicat: ac prudentiam quidem ait conſiſtere in indagatione & cognitione veri. Quod officium ſapientiæ proprium eſt.

14 *An proæreſis recta neceſſaria ſit ad virtutis moralis acquiſitionem tanquam cauſa efficiens propinqua?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia virtus moralis eſt habitus proæreticus, hoc eſt, certo animi conſilio & propoſito ſuſceptus. 2, quia proæreſis recta nihil aliud eſt quam appetitus mediorum legitimorum à prudentia ſuggeſtorum, ad conſequendum finem. In quo propoſitum conſtans viuendi ſecundum legem & rectam rationem includitur. Non poteſt autem virtus moralis ſine eiuſmodi ap-

Pro theſi aſſ.
Ratio 1
2

petitu acquiri. Hinc etiam nemo dicitur naturâ
3 probus, sed ex proæresi. 3, quia nulla actio honesta & proba siue præcedat virtutem moralem, siue consequatur, consistere potest sine recta proæresi. 4, quia Philosophi morales vulgò duas causas propinquas virtutis moralis cõstituunt, nempe mentem & voluntatem, quatenus illa rectè iudicat de honesto & turpi: hæc verò amplectitur & exequitur id, quod menti approbatur. Per duas enim illas causas videntur intelligere nihil aliud quam prudentiam & proæresin rectam. 5, quia proæresis recta in se includit obedientiam. Iam autem obedictia, quatenus sumitur pro actu obediendi, est radix omnium virtutum moralium, & sine ea nulla virtus moralis comparari potest. Ergo neque sine proæresi recta.

15 *An inter causas efficientes principales virtutis moralis proxima & immediata sit assuefactio & exercitatio legitima?*

Prothesi affirmatiua STatuitur thesis affirmatiua, quatenus per assuefactionem & exercitationem hoc loco nihil aliud intelligitur, quàm crebra honestarum
Ratio actionum iteratio. Rationes sunt: 1, quia etiamsi
1 reliquæ causæ efficientes ponantur omnes, quæ supra in præceptis fuerunt enumeratæ, & hactenus in præcedentibus quæstionibus explicatæ & probatæ: tamen nisi accedat assuefactio & exercitatio, fieri non potest, vt virtus moralis ab homine acquiratur. Hac autem posita statim ponitur virtus moralis, ita vt alia causa efficiente in-
2. termedia planè opus non sit. 2, quia sicut virtus intellectualis crebris discendi & meditandi actibus

bus immediatè acquiritur: ita virtus moralis crebrâ honestarũ actionũ iteratione. Et sicut cribris scribẽdi, fabricãdi citharamq; pulsandi actibus fit scriptor, faber, & citharœdus: ita frequenti actionum vel temperantium, vel fortium, vel iustarum repetitione homo fit temperans, fortis & iustus, vt docet Aristoteles *lib. 2. Ethic. Nicom. cap. 1.* vbi etiam prolixè disputat, virtutem moralem nobis nõ innasci, sed ἐξ ἤθους ἢ ὐκ τῶν ἐμοίων ἐνεργειῶν περιγίνεσθαι; hoc est, *ex assuefactione aut ex similibus actionibus acquiri.* Vnde etiam *lib. 3. c. 7.* ait, τὸ ἀγνοεῖν ὅτι ἐκ τῶν κατὰ μέρος ἐνεργειῶν αἱ ἕξεις γίνονται, κομιδῆ ἀνοήτου, *Ignorare, quòd ex agendo circa quælibet habitus fiant, hominis est sensu ferè carentis.* Hinc etiam fit, vt illi, qui in nuda doctrinæ mor. contemplatione versantur, neque illam ad actionem accommodare volunt; nunquam verè virtute morali præditi esse dicantur. Doctrina enim tantum animum informat; exercitatio verò confirmat: Doctrina est veluti oculus; exercitatio veluti manus. Illa monstrat rationem & modum agendi: hæc opus perficit. Nec malè Albertus Magnus ait; *Natura nos facit habiles; ars faciles; exercitatio sola potentes.* Cum quo etiã congruit illud: *Natura incipit, ars dirigit, exercitatio perficit.*

Sed contra hanc sententiam obiici potest. 1, *Si probus iam est, qui probè & honestè agit; sequitur probè & honestè agendo neminem fieri probum, neq; virtutem moralem hoc modo posse comparari. Sed verum prius. Ergo & posterius.* Assumptio probatur, quia iustus, fortis & temperans iam est, qui iustè, fortiter & temperanter agit: non secus ac artifex iam est, qui artificiosè agit. 2, *Si nemo potest* 2.

Obiectio 1

probam & honestam actionem ex se edere, nisi qui habitu virtutis moralis est instructus, sequitur impossibile esse, vt honestarum actionum frequentatione virtus moralis acquiratur. Sed verum prius. Ergo & posterius. Assumptio probatur, quia proba & honesta actio est effectum virtutis moralis, non secus ac opus artificiale est effectum artis. Sicut igitur nemo potest opus artificiale facere, nisi sit artifex, hoc est, habitum artis sibi comparauerit: ita quoque nemo potest probam & honestam actionem ex se edere, nisi habitu virtutis moralis sit instructus.

Distinctio inter actiones probas, quæ præcedunt & consequuntur virtutem.

Pro solutione harum obiectionum primum distinguendum est inter actiones, quæ antecedunt virtutem moralem, & quæ eandem consequuntur. Illæ enim sunt probæ; sed nō fiunt probè, hoc est ex habitu virtutis moralis. Is siquidem requirit tres conditiones essentiales, primò vt is, qui agit, sciens agat; secundò vt volens seu ex proæresi agat, & quidem propter idipsum quod agit; non propter aliud. v.g. vel timorem pœnæ vel vanam gloriam, vel lucrum; tertio vt constanter agat. Hæ verò & probæ sunt, & probè fiunt. 2, Illæ cadunt in non probum, hoc est, eum, qui nondum virtute morali est præditus: hæ verò nonnisi in probum. 3, illæ fiunt cum difficultate & molestia: hæ sine difficultate & molestia. Vnde etiā virtutis per actiones acquisitæ certissimum signū est voluptas, quæ ipsas comitatur. Qui enim habitū nondum adeptus est, is sine voluptate, imò cum dolore & molestia actiones honestas exercet: qui verò iam est consecutus; is easdem nō modò sine molestia; sed etiam delectatione exercet. 4, illæ pen-

pendent immediatè ex recto rationis iudicio, & huic congruente proæresi: hæ verò non. 5, illę sunt imperfectæ & inconstantes; hæ verò perfectæ & constantes. 6. Illæ sunt causa efficiens virtutis moralis, hæ verò eiusdem effecta.

Deinde notandum est, virt. mor. in multis quidem conuenire cum arte; sed rursus in mulris ab eadem discrepare. Nam: 1, propter artē nemo dicitur probus, nisi probè eâ vtatur: propter virtutē autē mor. homo dicitur probus. 2, vt aliquis ex arte operetur, satis est, si secundū regulā artis sciens operetur, etiamsi neq; libenter, neq; constanter. Sed vt aliquis ex virtute agat, non satis est vt sciens agat, nisi etiam agat libenter & constanter. Nam vt Aristot. ait *lib. 2. Ethic. Nicom. cap. 3.* πρὸς τὰς ἀρετὰς τὸ μὲν εἰδέναι μικρὸν ἢ οὐδὲν ἰσχύει· τὰ δὲ ἄλλα οὐ μικρὸν, ἀλλὰ τὸ πᾶν δύναται. ***Ad virtutes comparandas scientia parum aut nihil valet: cætera autem non paruam, sed omnem vim obtinent.*** Postremò obseruandum est, opus artificiale non minus, ac actionem probam & honestam, aliud esse imperfectū, aliud perfectum; quorum prius potest antecedere habitum artis, posterius autem non.

2 *Distinctio inter virtutē moralem & artem.*

3 *Distinctio inter opera artificialia.*

Quòd igitur ad obiectiones attinet; in vtraque concedo antecedens, quatenus intelligitur de posteriore genere actionum probarum & honestarum, quæ virtutem moralem consequuntur. Sed inde non rectè infertur cōsequens, quatenus de priore genere actionum probarū & honestarum intelligitur. Neque valet obiectio ab artifice & opere artificiali ducta. Artifex enim nō est, qui vel fortuitò vel vi naturali ingenii opus artificiale facit; sed qui id facit ex habitu artis. Neq;

Soluuntur obiectiones.

quodlibet opus artificiale est effectum artis; sed tantum id, quod fit ex habitu artis. Hoc enim solum est perfectum; cum reliqua sint imperfecta.

16 *Quæ sint causæ efficientes minus principales virtutis moralis?*

HActenus in quæstionibus præcedentibus partim declarauimus, partim probauimus causas efficientes principales virtutis mos. Consequens est, vt etiam aliquid de causis eiusdem efficientibus, minus principalibus differamur. Ex illis aliæ sunt impulsiuæ, aliæ instrumentales. Impulsiuæ sunt, quæ suâ vi alliciunt, & impellunt hominem ad virtutem moralem sibi comparandam. In illo genere sunt: 1, spes præmii, & metus pœnæ. Nam vt Plutarchus docet *in libello De educatione puerorum*: δύο ὥσπερ ὡσανεὶ στοιχεῖα τῆς ἀρετῆς εἶναι ἐλπίς τε τιμῆς, καὶ φόβος τιμωρίας· *Duo hæc velut elementa seu principia virtutis sunt, spesque præmii, & metus pœnæ.* Ratio ibidem additur, quia spes præmii homines alacriores ad optima studia; metus verò pœnæ tardiores ad mala opera reddit. 2, assidua bonorum exemplorum consideratio. Illa enim magnam vim habet ad virtutis studium. Hinc Terentianus senex filium suum in vitas hominum tanquam in speculum inspicere iubet, & ex aliis sumere exemplum sibi. Quanquam etiam intuitus malorum exemplorum, in quibus turpitudo & noxa vitiorum moralium exprimitur, & hominibus ob oculos ponitur, non rarò plurimũ ponderis habet ad abstrahẽdum eos à vitiis. Hinc Lacedæmonii quandoque seruos vino inebriatos in conspectum suorum liberorum produci curarunt,

De causis impulsiuis virt. moral.

1

2

runt, vt cognoscerent, quanta inesset turpitudo & noxa ebrietati, & sic à teneris annis inciperent ebrietatem auersari & fugere; temperantiam verò colere. Et Plutarchus inter alios modos, quibus iuuentus ad temperantiæ studium traduci potest, iubet ipsi exempla proponere partim eorum, qui ob intemperantiam in calamitates inciderunt; partim eorũ, qui ob temperantiam laudẽ & gloriam bonã sunt consecuti. 3, sunt consilia omniaq; alia argumenta suasoria, quibus homo ad fugam vitii, virtutisq; studium excitatur. Illa enim magnã vim habẽt persuadẽdi hominibus eorumque mentem & voluntatem in meliorem partem flectendi. 3.

De causis instrumentalibus, partim Adiuuantibus.

Porrò, instrumentales causæ virtutis moralis aliæ sunt adiuuantes, aliæ exemplares. Adiuuantes sunt, quarum vi administrâ principales causæ efficientes vtuntur in producendo habitu virtutis moralis. In illo genere est amor honestatis, & turpitudinis odium. Vbi enim duo isti affectus dominantur, ibi facillimè vitium expelli & virtus inseri potest. 1 Vbi autem nullus est honestatis amor, nullum turpitudinis odium, ibi impossibile est, virtutem moralem acquiri. 2, prauorum sodalitiorum fuga & assidua cum probis conuersatio. 2 Quemadmodum enim morbi quidam corporis per contactum ad alios propagantur: ita etiam morbi animi per conuersationem. Et hoc etiam testantur trita illa prouerbia: *Qui claudo cohabitat, subclaudicare discit: Qui picem contrectat; manus contaminat.* Hinc etiam Plutarchus parentibus præcipit, vt liberos à malorũ hominum consortio arceant, ne aliquid vitii inde contrahãt. Contrà, vt Seneca ait *epist.* 94. nul-

la res magis animos honestate imbuit, dubiosque & in prauum inclinantes reuocat ad rectũ, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri & aspici frequenter. Itaque rectè Theognis, cum traditurus esset amico suo Cyrno præcepta moralia, statim in principio post primum præceptũ monet, vt semper cum bonis; nunquam cum malis cõuersetur; propterea quòd
3 à bonis bona; à malis mala discãtur. 3, diligens declinatio cuiuslibet ad vitia & peccata occasionis. Qui enim vitat occasionem peccandi, ille vitat peccatum: Contra, qui non vitat peccatũ, ille sæpè ex improuiso præcipiti cursu in peccatum ruit. Hinc qui vitã vult agere castam, eum oportet fugere partim locum, si ad amorem inuitet; partim colloquium, si Venerem extimulet; partim co-
4. gitationes, si lasciuiam excitent. 4, bonorum exemplorum imitatio & malorum euitatio. Vtraque enim ad virtutem hominem deducit.

Partim exemplaribus. Restat vt de causis exemplaribus virtutis dicamus. Illæ nihil aliud sunt, quàm normæ, secun-
1 dum quas vita hominis est instituenda, virtusque
2 moralis informanda; cuiusmodi sunt partim re-
3. cta ratio, partim exemplar virtutis in aliis nobis propositũ, partim sacra scriptura. de quibus plura in sequente quæstione.

17 *An sola sacra scriptura statuenda sit causa exemplaris virtutis moralis?*

Sententia aliorum exponitur. SVnt multi viri docti, qui statuunt, causam exemplarem virtutis moralis esse solam scriptu-
Ratio 1 ram sacram, præsertim verò decalogum. Rationes sunt:

sunt: 1, quia illa sola tradit præcepta piè sanctéque viuendi; quę sicut à Deo profecta sunt; ita sunt verissima. 2, quia quicunque vitam suam instituit secundum præcepta in scriptura sacra proposita, ille verè probus, virtutisq; moralis est particeps. 3, quia illà varia exempla proponit tum virtutum imitandarum, tum vitiorum fugiendorum. 3.

At contra alii reperiuntur, qui hanc sententiam non simpliciter veram esse arbitrantur. Etsi enim concedunt, solam sacram scripturam esse normam veræ pietatis, adeoque virtutis moralis, quatenus homini Christiano inest, & à Theologo consideratur: tamen aliam putant esse rationem virtutis moralis, prout à Philosopho ethico consideratur, iisq; etiam inest, qui sunt Ethnici & nondũ ad Christianam religionẽ conuersi. Ideoq; præter S. scripturam causam exemplarẽ virt. mor. statuũt partim ὀρθὸν λόγον, h.e. *rectam rationem*, partim exemplar virtutis in aliis nobis propositum. Per rectam autẽ rationem videntur intelligere in doctrina virtutum partim rectum hominis de honesto & turpi iudicium; partim principia practica, omnemq; positiuã, quam viri prudentes ex lege naturali, tanquam riuulum ex fonte deriuant. *Superior sententia improbatur.*

18 *Quomodo alii causas efficientes virtutis moralis recenseant?*

VVlgata opinio Philosophorum est, causas efficientes virtutis moralis esse mentem & voluntatem: illam quidem, quatenus rectè iudicat de honesto & turpi; hanc verò, quatenus amplectitur & exequitur id, quod menti approbatur. *Aliorum opiniones exponuntur.*

Etsi verò hæc opinio cõcedi potest, quatenus per mentem intelligitur non ipsa anima rationalis; neque facultas naturalis intelligendi; sed ipsa intelligentia & notitia boni & mali cum iudicio sano coniuncta: per voluntatem verò non ipsa facultas volendi neque ipsa res volita; sed volitio, hoc est, appetitio boni per intellectum cogniti: tamen in eo erratur, quod menti & voluntati ea officia & opera attribuuntur, quæ sunt totius hominis propria; cuiusmodi sunt rectè iudicare de honesto & turpi, item amplecti & exequi id, quod bonum iudicatur & approbatur. Porrò, causas efficientes virtutis aliter & plenius explicat acutissimus Keckermannus *lib. 1. System. Ethic. cap. 1.* Alias enim docet esse principales, alias minus principales. Ac principales quidem statuit naturam & curam: ad quarum primam refert non tantum intellectum practicum ac voluntatis libertatem & potestatem; sed etiam εὐκρασίαν, hoc est, *bonum temperamentum corporis*, & quæ ex ea sequitur, εὐφυΐαν: Ad alteram refert non tantum bonam educationem & institutionem, quæ fit à parentibus & præceptoribus; sed etiam propriam præceptorum moralium perceptionem & exercitationem. Minus verò principales statuit partim exempla aliorum bene agentium, partim aliorum præmia, quæ ex virtute reportant; & pœnas, quas alii patiuntur propter vitia.

Errata quædam notantur.

Vbi tamen probare non possum. 1, quod intellectus practicus & voluntas, præsertim ea, quæ virtutem causatur, ad naturam referantur. 2, quod intellectus practicus dicatur homini innatus: cũ tamen in infantibus recens natis nulla sit recta ratio,

1

2

tio, neque vlla notitia boni & mali teste scriptura *Deut.* 1 & *Ionæ cap. vltimo* 3, quod voluntati tribuitur eiusmodi libertas & potestas, per quam potest velle & persequi bonum; malum verò auersari & fugere, cum tamen hæc non voluntati, sed homini sit tribuenda, quemadmodum prolixius in Anthropologia nostra docuimus. 3.

19 *An virtus moralis habeat materiam & formam?*

SVnt multi Philosophi, qui asserunt virtutem moralem non tantum habere efficientem & finem; sed etiam materiam & formam: propterea quod nihil habeat essentiam nisi etiam habeat causas internas essentiam illius constituentes; cuiusmodi sunt materia & forma. Sed in assignanda vtraque causa inter se non conueniunt. Aliis enim materia virtutis sunt τὰ πάθη, hoc est, *affectus naturales*; aliis actiones naturales hominis. Similiter forma aliis est habitus proæreticus; alios mediocritas rectâ ratione definita; aliis conformatio voluntatis cum recta ratione; aliis congruentia animi cum lege, seu compositio eiusdem ad honestatem legi naturæ & rectæ rationi congruentem; aliis vita legi congrua. *Opinio aliorum exponitur.*

Cæterum, hæc sententia videtur non esse approbanda propter sequentes rationes: 1, quia falsum est, nihil habere essentiam, nisi etiam habeat causas internas essentiã illius constituentes, nempe materiam & formam: siquidem multa sunt entia, quæ veram habent essentiam, simplicem tamen, & non compositam ex materia & forma. Et propterea etiam *lib.* 3. *Metaphys. cap.* 2. *Qu.* 10. probaui, non omne causatum indigere quatuor *Refutatur superior opinio.* 1

causarum generibus ad sui productionem. 2, quia nihil in virtute morali esse, aut excogitari potest, cui competat definitio materiæ. Licèt enim affectus & actiones naturales possint dici materia actionum moralium : tamen virtutis moralis materia dici nequeunt; sed potius subiectum illius occupans. In his enim moderandis virtus moralis
3. versatur. 3, quia necessaria est connexio inter materiam & formam propriè dictam, ita vt quicquid caret materia, careat etiam forma, & retrò, vt *lib. 3. Metaphysicæ cap. 2. Quæst. 16.* demonstratum fuit. Cum igitur virtus moralis destituatur materiâ; necessariò sequitur, illam quoque destitui formâ. Neque obstant ea, quæ ab aliis pro forma virtutis moralis habentur. Illorum enim nullum est causa interna, per quam virtus moralis est id, quod est; sed est eius vel genus, vt habitus proæreticus; vel subiectum occupans, vt mediocritas; vel causa efficiens, vt confirmatio voluntatis cum recta ratione : Item, compositio animi ad honestatem; vel effectum, vt congruentia animi cũ lege, seu vita legi congrua. Interim tamen non nego, impropriè & analogicè mediocritatem posse dici formam virtutis moralis.

CAPVT IV.

De Subiecto virtutis moralis.

PRÆCEPTA.

1 *Adhuc de Causis virtutis moralis. Sequitur eiusdem Subiectum, quod est vel recipiens, vel occupans.*

2 *Sub-*

2 *Subiectum recipiens virtutis moralis est totus homo, prout ex corpore organico & anima rationali est compositus.* Subiectum virtutis quod sit. 1 Recipiens.

3 *Subiectum occupans, seu obiectum aliud est internum, aliud externum.* 2 Occupans.

4 *Internum partim est voluptas & dolor; partim affectus & actiones hominis, quatenus secundum rectam rationem sunt conformandæ.*

5 *Externum est Deus & homo, erga quos virtus moralis exercenda est.*

QVÆSTIONES.

1 *Quod sit subiectum recipiens virtutis moralis?*

DE hac quæstione discrepantes sunt Philosophorum opiniones. Etsi enim omnes in eo conueniunt, virtutis moralis, prout à Philosopho morali consideratur, subiectum recipiens remotum esse hominem; propinquum verò, animam: tamen cum anima hominis ab ipsis diuidatur in partem rationalem & irrationalem; & ad illam quidem referatur mens & voluntas; ad hanc vero præter facultatem vegetatricem sensus & appetitus sensitiuus, qui duplex statuitur, ἐπιθυμία καὶ θυμὸς, hoc est, *appetitus concupiscens & irascens*: hinc alii existimant virtutem moralem esse in mente; alii in voluntate; alii in appetitu sensitiuo, siue concupiscente siue irascente. Et hanc postremam opinionem passim defendit Aristoteles; præsertim *libr.* 1. *Ethic. Nicomach. cap.* 13. *seu vltimo* & *lib.* 1. *magnorum moralium cap.* 5. & *lib.* 5. *moralium Eudem. cap.* 1. & *lib.* 7. *Phys. auscultationis* *Diuersa aliorum opiniones recensentur.*

cap. 3. Eandem præter cæteros Aristotelis interpretes, prolixè defendit Piccolomineus *in gradu 4. Philosophiæ ciuilis cap.* 7.8.9.10. § 11.

Pro postrema opinione.

Rationes præcipuæ vtriusque sunt; 1, quia virtus moralis est habitus, secundum quem appetitus sensuum subiicitur imperio rectæ rationis. 2, quia virtus moralis versatur in moderandis affectibus eorumq; comitibus voluptate & dolore, qui in appetitu sensitiuo existunt. 3, quia virtus moralis in nobis non gignitur sine alteratione physica: Alteratio autem physica non cadit in rationalem partem animæ, nempe mentem & voluntatem; sed tantum irrationalem, nempe appetitum sensitiuum. 4, quia propterea virtus diuiditur in διανοητικὴν καὶ ἠθικὴν, quod illa sit habitus mentis, hæc verò habitus appetitus sensuum. 5, quia virtus moralis alia est ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ, *appetitu concupiscente*; alia ἐν τῷ θυμοειδεῖ, *appetitu irascente*. Vterque autem est appetitus sensitiuus.

Ratio 1 2 3 4 5.

Superioribus opinionibus reiectis propria sententia exponitur.

Cæterum, neque hæc postrema opinio, neque reliquæ priores, quæ pro subiecto recipiente virtutis moralis habent animam, aut aliquam eius partem seu facultatem, videntur esse approbandæ. Itaque iis reiectis statuo subiectum recipiens proximum & adæquatum virtutis moralis esse totum hominem constantem corpore & animâ.

Ratio 1 2

Rationes huius assertionis sunt: 1, quia virtus moralis prout in Ethica consideratur, nulli enti inesse potest, nisi sit animal rationale, facultatemque naturalem intelligendi & iudicandi, approbandi & improbandi, volendi & nolendi habeat. Hæc autem attributa soli homini competunt. 2, quia solus homo inter omnia animalia per naturam

suam

ſuam aptus eſt ad acquirendam virtutem moralem, vt patet ex *Q. 3. c. 3.* 3, quia ſolus homo diſciplinam rectam ſuſcipere poteſt; & parttim docendo, partim conſulendo, partim promittendo & cõminando, partim rogando, partim laudando & vituperando paulatim à vitiis ad virtutem abduci. 4, quia in ſolum hominem propriè cadit prudentia, proæreſis & obedientia, ſine quibus virtus moralis exiſtere non poteſt. 5, quia ſolus homo ſeipſum in actionibus probis & honeſtis exercere poteſt, & per crebram earũ iterationem habitũ virtutis moralis ſibi vel acquirere, vel acquiſitum confirmare. 6, quia ſolus homo partim ſpe præmii, partim metu pœnæ, partim aſſiduâ bonorum exemplorum conſideratione, partim denique aliis argumentis ſuaſoriis excitari poteſt ad fugam vitii, virtutiſque ſtudium. 7, quia in ſolum hominem cadit partim honeſtatis amor, & turpitudinis odium, partim prauorum ſodalitiorum fuga, & quotidiana cum bonis conuerſatio; partim diligens declinatio omnis ad vitia occaſionis, partim bonorum exemplorum imitatio, & malorum euitatio. 8, quia ſolus homo vitam ſuam ſecundum rectam rationem exemplarq; virtutis in aliis propoſitum inſtituere & conformare poteſt. 9, quia ſolus homo per virtutem perficitur & ad ſtatum naturę ſuæ conuenientem traducitur. 10, quia ſolus homo ob virtutem moralem honoratur, laudatur, beatuſque redditur. 11, quia de ſolo homine verè & propriè virtus moralis tanquam accidens de ſuo ſubiecto prædicatur. 12, quia vnum numero accidens non poteſt eſſe in diuerſis numero ſubiectis: Ideoque cum

3 4 5 6 7 8 9 10 11 12

anima sit substantia non tantum vna numero, sed etiam specie ab homine distincta: sequitur virtutem moralem non posse simul inesse homini & a-
13 nimæ. 13, quia virtus moralis non ineſt nisi substantiæ viuæ & intelligenti. Cum igitur mens, (prout hoc loco vsurpatur) & voluntas, itemque sensus & appetitus sensitiuus non sint substantiæ viuæ ac intelligentes; sed vel facultates vel operationes hominis, & ex consequenti, accidentia; sequitur virtutem moralem illis inesse non posse.
14. 14, quia vitium morale soli homini ineſt, & ob id solus homo vituperatur & punitur.

Proinde, nihil aliud restat, nisi vt ad rationes pro postrema sententia allatas breuiter respõdeatur. Atque vt id commodius fiat, obseruãda sunt sequentia theoremata: 1, animam hominis impropriè ab Aristotele diuidi in partẽ rationalem & irrationalem. Licèt enim concedamus in homine præter animam rationalem esse etiam animam vegetantem & sentientem; illas tamen propriè partes siue essentiales, siue integrales vnius
2 animæ humanæ esse negamus. 2, Appetitum sensitiuum non rectè à Platone & Aristotel. diuidi in appetitum irascendi & concupiscendi, vt ex Zoologia nostra patet. 3, distinguendum esse inter bonitatem moralem, hoc est, probitatem habitualem & actualem; seu, quod idem est, permanentem & transeuntem. Illam enim inesse soli creaturæ intelligenti, eamque perficere & disponere ad benè agendum: hanc verò inesse ipsis actionibus creaturæ intelligentis, easque laudabiles reddere, vt docetur *Metaphysic. lib. 2. cap 4.* 4, virtutem dici aliam intellectualem, aliam moralem, quod

Solutionis fundamenta iaciuntur per Theoremata.

1

3

4.

quod vna crebris intelligẽdi actibus acquiratur: altera moribus, h.e. crebris actionibus honestis.

Soluuntur argumenta pro aliorum opinione allata.

Hinc iam manifestum est: 1, virtutem moralem esse quidem habitum secundum quem appetitus sensitiuus subiicitur imperio rectæ rationis: non autem inesse ipsi appetitui sensitiuo, sed homini. 1

2, virtutem moralem in nobis quidem non gigni sine alteratione Physica appetitus sensitiui: sed inde non sequi, illam eidem inesse. 2

3, virtutem moralem versari quidem in moderandis affectibus, eorumque comitibus voluptate & dolore tanquam in subiecto occupante; non tamen iis inesse tanquam subiecto recipienti. 3

4, virtutem non propterea dici aliam intellectualem, aliam moralem: quod illa sit habitus *mentis*; hic appetitus sensitiui. 4

5, nullam virtutem moralem esse vel in appetitu irascente, vel in appetitu concupiscente. 5

2 *An virtus moralis intrinsecus versetur circa voluptatem & dolorem?*

Sententia affir. defenditur

SEntentiam affirmantem passim in libris suis, præsertim moralibus, defendit Aristoteles. Nâ *lib. 2. Ethic. Nicomach. cap. 2.* ait. περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας ἐστὶν ἡ ἠθικὴ ἀρετὴ, *circa voluptates & dolores est moralis virtus.* Et hoc inde probat. 1, quia ob voluptatem mala agimus; ob dolorem vero ab honestis abstinemus. 2, quia propterea necesse est, vt Plato ait, nos à pueris quodammodo educatos & institutos esse, vt quibus rebus oportet & lætemur & doleamus. Hæc enim est recta institutio. 3, quia virtus moralis versatur circa actiones & affectus. Omnẽ autem affectum & actionẽ sequitur voluptas & dolor. 4, quia propterea sup-

Ratio

1

2

3

4

plicia ſtatuuntur in maleficos, vt dolorum perpeſſione abſtrahantur ab illicitis voluptatum illecebris. Sunt enim κολάσεις ἰατρεῖαί τινες, αἳ διὰ τῶν ἐναντίων πεφύκασι γίνεσθαι, hoc eſt, *ſupplicia ſunt curationes*
5 *quædam, quæ per contraria fieri ſolent.* 5, quia propter voluptates & dolores omnis animi habitus vel fit deterior, vel melior, dum illas conſectamur, & hos fugimus; non quando aut quomodo
6 decet, & cõtrà. 6, quia virtus moralis verſatur circa res expetendas & fugiendas, quarum illæ ſunt honeſtum, vtile & iucundum; hæ turpe, inutile & moleſtum. περὶ πάντα γὰρ ταῦτα ὁ ἀγαθὸς κατορθωτικός ἐστιν· ὁ δὲ κακὸς ἁμαρτητικός. Circa hæc enim omnia vir bonus rectè agere ſolet; improbus verò peccare. His autem omnibus communes ſunt voluptas & do-
7 lor. 7, quia voluptatis & doloris regulâ metiri & dirigere ſolemus actiones noſtras, alii magis, alii minus: ideoque omnis virtutis tractatio circa hęc verſatur. Non enim parum momenti ad actiones
8. affert rectè aut perperam lætari vel dolere. 8, quia qui benè voluptatibus & doloribus vtitur is vir bonus eſt: qui verò malè, improbus. Eandem ſententiam repetit Ariſtoteles *lib. 1. magnorum cap. 6.* vbi etiam hanc rationem ſubiicit: ὅλως οὐκ ἐστὶ λαβεῖν ἀρετὴν καὶ κακίαν ἄνευ λύπης καὶ ἡδονῆς, *omnino non licet accipere virtutem & vitium ſine dolore & voluptate.* Item, *lib. 2. Eudemiorum cap. 2.* ἡ ἠθικὴ ἀρετὴ περὶ ἡδέα καὶ λυπηρά ἐστιν, *virtus moralis circa iucunda & moleſta eſt. Et cap. 7.* πᾶσα ἠθικὴ ἀρετὴ περὶ ἡδονάς ἐστι καὶ λύπας: Vbi etiam hanc rationem addit, ἀνάγκη φαῦλον τὸ ἦθος καὶ σπουδαῖον εἶναι τῷ διώκειν καὶ φεύγειν ἡδονάς τινας καὶ λύπας, *neceſſe eſt malos & bonos mores conſiſtere in voluptatum quarundam & dolorum perſecutione & fuga.*

Item,

Item, *lib. 7. Phys. auscultat. cap. 3.* ἔοικασι ἡ ἠθικὴ ἀρετὴ περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας σωματικὰς; vbi etiam inter alia addit, ex bona dispositione & moderatione voluptatis & doloris oriri virtutem.

Notandum autem est; 1, virtutem moralem non tantum versari circa voluptates & dolores corporis; sed etiam animi, quatenus moderatione indigent. 2, virtutem moralem magis versari circa voluptatem, præsertim corporis, quam dolorem: tum quia voluptas omnibus animalibus est communis, omniumque rerum eligendarum assidua comes; ita vt etiam honestum & vtile iucundum appareat: tum quia à pueritia nobiscum educata est, totamque vitam nostram quasi imbuit & tinxit; ita vt difficile sit eam eluere & abstergere: tum quia, virtus versatur circa difficilius. Est autem difficilius voluptatem quam dolorem moderari.

Notationes subiiciuntur.

1

2. *lib. 2. Ethic. Nicom. cap. 2. sub finem.*

3 *An virtus moralis intrinsecus versetur circa actiones & affectus hominis?*

SEntentiam affirmantem defendit Aristoteles *lib. 2. Ethic. Nicomach. cap. 2.* cum ait, ἀρεταί εἰσι περὶ πράξεις καὶ πάθη, *virtutes* (scilicet morales) *sunt circa actiones & affectus.* Rationes huius assertionis sunt: 1, quia voluptas & dolor sunt comites actionũ & affectuum. Ideoque virtus moralis circa voluptatem & dolorem versari non potest, nisi etiam versetur circa actiones & affectus. 2, quia virtus moralis actiones & affectus hominis moderatur, itáque informat vt cum recta ratione consentiant. Hinc rectè dici solet, affectibus bene vti, esse virtutem; malè verò vti, esse vitium.

Thesis affirmans defenditur.

Ratio

1

2.

Vtrum autẽ virtus moralis circa omnes actio-

Quæstio alia monetur & explicatur.

nes & affectus hominis versetur, de eo non immeritò dubitatur. Sunt enim affectus, perinde ac actiones, alii morales siue recti, siue praui, alii naturales, qui indifferentes sunt, & neque ad bonum, neq; ad malum morale determinati. Ac in naturalibus quidē affectibus & actionibus omnibus, quatenus pendent à libero hominis arbitrio, certum est virtutem mor. versari. Sunt enim capaces non tantum excessus & defectus, in quibus vitium morale consistit; sed etiam medii seu mediocritatis, in qua virt. moralis posita est. Sed in moralibus affectibus & actionibus dubiū est, vtrum virtus moralis versetur. Quatenus enim eiusmodi affectus & actiones sunt probi, eatenus sunt vel causa efficiens, vel effecta virtutis moralis: ideoque eiusdem obiectum esse non possunt: quatenus verò sunt improbi, eatenus ad mediocritatē reduci non possunt: cum suapte naturâ sint mali & vitiosi, neque vllis circumstantiis boni effici queant; cuiusmodi sunt maleuolentia, libido, adulterium, parricidium, & id genus alia. Responderi tamen potest, virtutem moralem versari non tantum circa affectus & actiones omnes naturales, sed etiā morales, quatenus eos vel perficit, & ex minus bonis magis bonos efficit, vel corrigit, sanat aut omninò coercet & extirpat.

Obseruatio.

Notandum autem est, virtutem moralem versari non tantum circa actiones hominis siue internas siue externas; sed etiam circa eiusdem passiones: Non enim tantum actiones; sed etiam passiones humanę moderatione opus habent, vt sint rectæ & laudabiles. Hinc alii Ethici ad obiectum virtutis moralis referunt non tantum volun-

luntatem hominis, consultationem & proæresin; sed etiam sensum & appetitum sensitiuum motumque localem corporis siue totalem, siue partialem.

4 *An affectus omnes suâ naturâ sint mali & vitiosi?*

GRauissima fuit disputatio inter Stoicos & Peripateticos, vtrum affectus omnes suâ naturâ sint praui & vitiosi. Ac illi quidē thesin affirmantē; hi negantē defenderunt. Argumēta Stoicorum sunt: 1, quia affectus sunt motiones à recta ratione contra naturam auersæ, adeoque ægritudines animi virtute curandæ. 2, quia humanam tranquillitatem perturbant & euertunt. Vnde etiam à Latinis dicuntur perturbationes. 3, quia ex falso depraúatóque rationis iudicio oriuntur. 4, quia corrumpunt rectum de rebus iudicium. 5, homines incitant ad omnis generis peccata & vitia. Vnde dicuntur calcaria ad vitia & irritamenta peccatorum. 6, quia affectus omnes sunt voluptate & dolore permixti: qui, vt Plato ait *lib. 1. de legib.* sunt consiliarii amentes ac insipientes. 7, quia à veræ felicitatis via hominē abducunt, & in miseriæ barathrum præcipitant. 8, quia cum virtutibus moral. consistere non possunt; cum illæ animum tranquillum & quietum reddant: hæ verò perturbent. 9, quia digni sunt vt eliminentur, ac procul à sapientis animo arceantur. *Arg. Stoicor. pro thesi affirmatiua* 1 2 3 4 5 6 7 8 9.

Argumenta Peripateticorum sunt: 1, quia affectus sunt motus naturales, quibus homo incitatur ad persequendum bonū, & fugiendum malum. 2, quia à Deo eiusque famulâ Naturâ indita est homini facultas ciendi & recipiendi in se af- *Arg. Peripat. pro thesi neg.* 1 2

3 fectus. 3, quia sunt virtutũ stimuli & calcaria, adeoque instrumenta, quorum beneficio homo potentius in optatum finem fertur, cumulatius illum assequitur, iucundiusque eo fruitur: dum scilicet amanda amat, odiosa odit, speranda sperat, metuenda metuit, deniq; dum irascitur male facientibus, & fauet bene facientibus, adeoque
4 lætatur in bonis, tristatur in malis. 4, quia sine affectibus homo lentus & ignauus est ad agendum, non secus ac nauis ventis destituta tardè & difficulter prouehitur. 5, quia voluptas & dolor, qui
5 sunt perpetui comites affectuum, sunt duo fontes, ex quibus qui haurit, quando & quantum oportet, felix est. 6, quia ex hominum cœtu arcendus est, qui quæ debet, non amat, non odit, non
6 sperat, non metuit, non miseretur, neque quando & quantum debet. 7, quia affectus moderati
7 sunt veluti equi currum vitæ nostræ vehentes in
8. cœlum, adeoque sunt honesti & laudabiles. 8, quia affectibus vtendum non tanquam ducibus & consiliariis, sed tanquam auxiliariis ad explenda Rationis Dominæ mandata.

Subiiciuntur Rationes Theologicæ. His addi possunt rationes Theologicæ; 1, quia affectus etiam Deo & beatis mentibus in scriptura S. tribuuntur. 2, quia affectus à Deo sunt mandati; dum iubemur Deum & proximũ nostrum
1 diligere. 3, quia ipse Christus, qui boni viri perfe-
2 ctissimum exemplar est, affectibus fuit præditus
3 cum in terris versaretur, & etiamnum illos habet. 4, quia vita æterna sine affectibus non erit,
4. sed ardebunt beati amore Dei, & lætitiâ ineffa-
Quæstio decidítur per distinct. bili, orta ex plena Dei agnitione, fruentur.

Cæterum, vt veritas huius quæstionis innotescat,

scat, distinguendum est inter affectus, quatenus sunt naturales aut etiam moderati & moraliter boni; & quatenus sunt immoderati & moraliter mali. De priore genere vera est sententia Peripateticorum: De posteriore verò Stoicorum. Et nisi sententia Stoicorum ad immoderatos affectus restringatur, omninò fatua est, naturę aduersa, virtutique & communi hominum societati noxia: Ideoque reiicienda & damnanda: cum ex illa sequatur ἀπάθεια, hoc est, *vacuitas affectuum*: ex Peripateticorum verò sententia μετριοπάθεια, *affectuum moderamen*.

5 *An in potestate hominis sit moderari affectus?*

PRo thesi affirmante faciunt hæc argumenta; *Pro sententia affirm.*
1, quia in potestate hominis est, sibi virtutem moralem acquirere, & acquisitam exercere. Illud autem fieri non potest, nisi in eiusdem potestate sit moderari affectus. *Argum.* 1
2, quia homo liberè determinare potest affectus suos naturales ad bonum morale, eosque rectæ rationis imperio subiicere. 2
3, quia vana esset omnis puerorum institutio, quâ homo ab ineunte ætate assuefit, vt discat delectari & dolere iis rebus, quibus, quando, & quantum decet, nisi in potestate hominis esset moderari affectus. 3
4, quia vanæ essent omnes leges & præceptiones de sedandis & moderādis affectibus, & fugiendis immoderatis affectibus, si homo planè non posset iis obedire. 4
5, quia nullus homo iure posset vituperari & puniri ob affectuum immoderationem, nisi in eiusdem potestate esset, moderari affectus. 5.

Pro thesi negatiua

At in contrariam partem obiici potest: 1, *Quod* 1 *Argum.*

naturale est, hoc est, *à natura homini insitum, id moderari non est in hominis potestate. Atqui affectus sunt naturales*, hoc est, *à natura homini insiti. Ergo affectus moderari non est in hominis potestate.* 2, *Quod unque moderari homo potest, id est voluntarium. Affectus non sunt voluntarii*, vt qui hominem etiam inuitum inuadunt. *Ergo affectus moderari homo non potest.* 3, *Quodcunque rectæ rationis imperium detrectat, id homo non potest moderari. Affectus rectæ rationis imperium detrectant. Ergo affectus homo non potest moderari.* Assumptionem probat non tantum communis experientia; sed etiam Aristoteles *lib. 1. Ethicorum Nicomach. cap. vltimo*, cum ait, Rationem semper ad optima hominem hortari; sed appetitum sensitiuum rationi repugnare ac reluctari, similemque esse membro paralytico, quod cum dextrorsum mouetur, sinistrorsum perperam fertur. Atque hoc etiam indicat versiculus ille vulgatus:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Responsio ad Argumentũ 1 Responderi autem solet ad primum argmentum, propositionem esse veram de eo, quod simpliciter est naturale, & nullo modo voluntarium: falsam autem de eo, quod secundum quid est naturale simul & voluntarium; cuiusmodi sunt affectus. Illi enim sunt naturales, quatenus à causa efficiente naturali primam suam trahunt originem: & rursus sunt voluntarii, quatenus per proæresin vel ad bonum vel ad malum morale liberè ab homine determinantur.

2 Ad alterum argumentum respondetur, assumptionem non esse simpliciter veram. Licèt enim affe-

affectus quatenus sunt naturales, sæpè hominem inuitum inuadant: tamen sunt voluntarii, quatenus ab homine approbantur vel improbantur.

Ad tertium argumẽtum respondetur, propositionem non esse simpliciter veram. Nam sicut equus, qui aliàs frenos detrectat, tandem domari potest, & insessoris imperio subiici: ita etiam affectus, qui aliquando detrectant imperium rectæ rationis, tandem in gyrum rectæ rationis reduci possunt. 3.

6 *An virtus moralis extrinsecus occupetur & exerceatur erga Deum & hominem?*

HActenus explicauimus interna obiecta virtutis moralis, quæ sunt partim voluptas & dolor; partim actiones & affectus hominis. Restat vt paucis etiam externum obiectum declaretur. Illud vulgò statuitur esse Deus & homo. Ratio huius assertionis: 1, est, quia propterea virtus moralis acquiritur, vt homo per eam bene erga Deum & hominem disponatur. 2, quia virtus moralis nullam ex se actionem edit, cuius obiectum externum non sit Deus & homo. 3, quia charitas quę sub se omnes virtutes morales complectitur, aut respicit Deum aut proximum. Idcirco etiam omnia præcepta decalogi referuntur ad duo summa capita, nempe ad dilectionem Dei & proximi. *De obiecto externo virtutis moralis* *Ratio* 1 2. 3.

Quod si quis obiiciat, hominem exercere debere virtutem moralẽ non tantum erga Deum & proximum; sed etiã erga seipsum: rẽspondeo sicut proximi dilectione includitur dilectio sui ipsius; sic proximi appellatione includi hominẽ ipsum: Vnusquisq; enim sibi maximè est proximus, iuxta *Occurritur obiectioni* 1

2. illud Comici: *Proximus sum egomet mihi.* Neque obstat, si quis dicat, hominem dum erga seipsum virtutem exercet, non esse obiectum virtutis externum. Sicut enim medicus, dum seipsum curat, quodammodo dicitur agere in externum obiectum, quatenus ægrotus distinguitur à Medico: ita etiam homo, dum erga seipsum virtutē moralem exercet, quodammodo dicitur obiectum externum virtutis, quatenus hæc in id agit, quod est extra essentiam suam.

CAPVT V.

De Adiunctis virtutis moralis.

PRÆCEPTA.

1 *Fuit Subiectum virtutis moralis. Sequuntur eiusdem adiuncta, quæ sunt vel propria, vel communia.*

2 *Propria sunt, quod virtus moralis est posita in mediocritate, uniformis, innocens & abusus expers.*

3 *Communia sunt vel primaria, vel secundaria.*

4 *Primaria sunt, quod virtus moralis est spontanea, voluntaria, constans, honesta, & laudabilis.*

5 *Secundaria sunt, quod eadem est ardua, rara, & per se insensilis.*

QVÆSTIONES.

Sententia affir. defenditur

Ratio 1 1 *An virtus moralis in mediocritate sit posita?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia

quia virtus moralis inter duo vitia extrema versatur, quorum vnum in excessu, alterum in defectu consistit. 2, quia moderatur omnes affectus & actiones naturales, vt cum recta ratione congruant. Videmus autem in iis, quod moderatione caret & vel plus vel minus est quam oportet, reprehendi: contra quod moderatum est laudari. 3, quia in artium operibus bonitas & perfectio æstimatur ex mediocritate, si nempe neq; redundent neque deficiant. Ergo multo magis mediocritas requiritur in actionibus virtutis moralis, quæ omni arte est præstantior & nobilior. 4, quia nemo virtutem moralem consequi potest, nisi in affectibus & actionibus suis nimium & parũ declinet; & sic ab vtroque vitio tam excessu quam defectu deflectat, mediamque & quasi regiam viam ingrediatur. 5, quia mediocritas in omnibus rebus est optima: transgressiones verò eiusdem sunt malæ iuxta illud Phocylidę:

2

3

4

5

Πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίαι δ' ἀλεγειναί.

Ergò virtus moralis consistere non potest, nisi mediocritatem obseruet à recta ratione præscriptam. Et hoc etiam testatur Poëta his versiculis aureis:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

6, quia si virtus moralis in extremis, nempe excessu & defectu esset posita: sequeretur, vt extrema plura sunt; vnum verò tantum medium: ita quoque plures esse vnius rei virtutes; & vnum tantum vitium. Sed hoc affirmare est absurdum: cum multi sint peccandi modi: vnus verò tantum rectè agendi. 6.

Pro thes. neg. At in contrariam partem obiici solent hæc ar-
Argum. gumenta: 1, *Si affectus alii suâ naturâ sunt boni,*
1 *alii mali, alii neutri; & ex his soli posteriores, moderationem à virtute morali admittunt, non autem priores: sequitur virtutem moralem non semper in mediocritate esse positam. Sed verum prius: Ergò &*
2 *posterius.* 2, *Si multæ sunt species virtutis moralis, quæ in mediocritate non videntur esse positæ, sequitur sententiam affirmantem quæstionis non esse simpliciter veram. Sed verum est antecedens.* Nam: 1, iustitia soli iniustitiæ tanquam vnum extremum alteri extremo opponitur. *Ergò*, &c. 2, magnanimitas versatur, secundum Aristotelem, non circa mediocres, sed summos honores. 3, magnificentia occupatur, non circa mediocres, sed maximos sumptus. 4, virtus heroica communem hominis
3. conditionem excedit. 3, *Si virtus vitio aduersè opponitur tanquam vnum extremum alteri extremo, sequitur, vllam non positam esse in mediocritate. Sed verum prius, ergo & posterius.*

Soluuntur argumenta pro thesi negatiua allata. Respondeo ad primum argumentum, distinguendum esse inter affectus naturales, qui suâ naturâ sunt indifferentes, hoc est, neque boni neque mali moraliter; & inter affectus morales, qui
1 sunt determinati vel ad bonum vel ad malum morale. De priore genere verum est quando virtus moralis dicitur moderari affectus. De posteriore autem non itidem.

2 Ad alterum argumentum respondeo, & nego vllam virtutem moralem esse, quæ non in mediocritate sit posita, quemadmodum patet ex rationibus supra allatis. Quod verò ad exempla adducta attinet, dico: 1, iniustitiam, quæ iustitiæ oppo-

ni-

ponitur, voce quidem esse vnicam; sed reipsa tamen duplicem, quatenus modò ad nimium, modò ad parum inclinat. 2, magnanimitatem & magnificentiam versari quidem in maximis respectu obiecti; sed non respectu modi: Ideoque dici seruare mediocritatem, quatenus etiam in maximis honoribus & sumptibus modum non excedit. 3, heroicam virtutem seruare quidem etiam medium, sed modo heroico, & supra communẽ hominis conditionem posito.

Ad tertium argumentum respondeo, virtutem quidem dici extremum, quatenus ex diametro opponitur vitio in genere considerato vt bonum, malo: nihilominus tamen rectè etiam dici in mediocritate esse positam respectu duorum extremorum vitiorum, quorum vnum dicitur excessus, alterum defectus. 3.

2 *Qualis sit illa mediocritas, in qua virtus moralis posita est?*

Mediocritas diuiditur in species.

MEdiocritas duplex à Philosophis statuitur, vna realis, quæ vulgo dicitur medium Arithmeticum; altera personalis, quę vulgo medium Geometricum nuncupatur. Prior est, quæ vtrinq; æqualiter distat à suis extremis, sicut centrum ex omnibus partibus æqualiter distat à circumferẽtia. Dicitur autem medium Arithmeticum, quia proportio æqualis numerorum ex tali medio oritur. Sic senarius est medius inter binariũ & denarium: quia tantum excedit binariũ, quantũ excedit à denario. Et de tali medio docet Arist. quod semper idem maneat sine vlla circumstantiarum variatione. Posterior mediocritas est, quæ non

ſeruat æqualitatem diſtantiæ ab vtroque extremo; ſed æqualitatem rationis ſeu proportionis, ſeu, quæ vni extremorum interdum eſt vicinior, ab altero autem remotior: neque plus vel deficit, vel redundat, quam certę loci, temporis & perſonæ circumſtantiæ requirunt. Ideoque non ſemper eſt idem, ſed per circumſtantias variatur, & nonniſi rectæ prudentiæ regulâ definiri poteſt: cum diuerſæ ſint hominum vires, inclinationes & temperamenta. Dicitur autem medium Geometricum, propterea, quod in eo ſeruatur eadem ratio ſeu proportio maioris termini ad medium, & medii ad extremum. Sic ſenarius eſt medius inter nouenarium & quaternarium: ſiquidem eadem eſt ratio ſeu proportio inter nouenarium & ſenarium, quæ eſt inter ſenarium & quaternarium, nempe ſeſquialtera. Sicut enim ſenarius, continet quaternarium, & dimidium eius; ita nouenarius continet ſenarium & dimidium eius.

Quæſtio deciditur.

Quando igitur Ariſtoteles dicit, virtutem moralē conſiſtere in mediocritate; tunc potiſſimum intelligēda eſt mediocritas perſonalis. Ratio huius aſſertionis eſt: 1, quia virtus non æquali prorſus interuallo à ſuis extremis diſtat; ſed cum altero maiorem habet cognationem, quam cum altero. 2, quia virtus accommodare ſe debet circumſtantiis locorum, temporum & perſonarum: quod fieri non poſſet, ſi ſemper æquali interuallo diſtaret à ſuis extremis. Licèt verò iuſtitia commutatiua obſeruet mediocritatem realem, quatenus ſecundum æqualitatem Arithmeticam inæqualia prorſus æquat: tamen reliquæ virtutes omnes mediocritatem perſonalem obſeruant.

Ratio 1

2.

Notan-

Notandum autem hoc loco est: 1, virtutem moralem inter duo vitia extrema medium esse non positiuum, quod constat per participationem vtriusq; extremi, cuiusmodi est tepidũ inter summè frigidum & calidũ; sed negatiuum, quod constat negatione vtriusque extremi, cuiusmodi medium est inter maius & minus æquale; inter cæcum & videns, non videns. Per abnegationem enim & vitationem vtriusque extremi ad virtutem tanquam medium peruenitur. 2, mediũ virtutis non consistere in puncto quodam indiuisibili; sed habere latitudinem quandã, intra quam qui se contineat, bene agere dicitur: ideoque non statim peccare illum, qui non semper quasi centrum medii illius tenet, sed ab eo paulatim deflectit. *Obseruatio* 1. 2.

3 *Quomodo mediocritas, in qua virtus moralis est posita, inueniri & obseruari possit?*

DOcet Aristoteles *lib. 2. Ethic. Nicom. cap. vlt.* difficile esse, medium in vnaquaque re attingere. Quod si hoc verum est de mediis in genere; multo magis est verum de medio virtutis. Est enim magna varietas personarum, locorum & temporum, ita vt quæ actiones specie videntur esse similes, propter circumstantias diuersas fiant dissimiles. Et pro ratione circumstantiarum illarum etiam necesse est, ipsum medium virtutis variari. Proinde opus est normâ directrice, quâ in inuestigando illo medio vtatur. Illa autem ab Aristotele constituitur partim recta ratio, partim prudentia. Vtraque enim instruit hominem, vt in omnibus actionibus; ponderatis accuratè omni- *Mediocritas est inuentu difficilis.*

bus circumstantiis tam personalibus quàm realibus, inter rectum & prauum discernere, & quid singulis personis, locis & temporibus accommodatum sit, dignoscere queat. Vide eadem re *Quæst.* 8. *cap.* 3. Præterea opus etiam est certis adminiculis, quibus adiuti auream mediocritatem in omnibus actionibus seruemus. Illorum verò tria in loco prius citato recensèt Aristoteles. Primum adminiculum est, vt ab extremo, quod medio magis opponitur, maiori studio recedamus: contra verò ad alterum extremum, quod medio est propinquius, magis declinemus. Sed hîc cautio adhibenda est, ne dum ab vno extremo nimis recedimus, in alterum incidamus: & sic idem accidat nobis quod Poëta canit:

Quæ sint adminicula inueniẽdi mediocritatem.

1

Dum vitant stulti vitia in contraria currunt. Item;
Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

2 Alterum adminiculum est, vt ab iis vitiis, ad quæ natura nos procliuiores esse sentimus, maximè in contrariũ nos retrahamus. Quo enim longius ab his receſſerimus, eo facilius ad medium deueniemus: quemadmodum videmus hortulanos teneram plantam suâ naturâ curuam rectificare, flectendo illam in oppositam partem. Tertium adminiculum est, vt in omni negotio quam maximè voluptatem corporis, quæ nobis cum bestiis communis est, caueamus. His addi potest quartum adminiculum, vt semper nobis proponamus non humilia & abiecta; sed alta & sublimia. Sic enim fiet, vt actiones nostras ex voluptate corporis minimè metiamur: cum illa sit res abiecta, &, vt antea dixi, nobis cum bestiis communis.

3

4.

4 *An virtus moralis sit vniformis?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia virtus moralis versatur in mediocritate, quæ semper est vniformis, vitium autem versatur inter duo extrema vitia, nempe excessum & defectum. 2, quia vno modo tantum possumus medium attingere: variis autem modis à medio aberrare. Et hoc testatur etiam Aristoteles *lib. 2. Ethic. Nicomac. cap. 5.* cum inquit, τὸ μὲν ἁμαρτάνειν πολλαχῶς ἔστι, τὸ δὲ κατορθοῦν, μοναχῶς· *Peccare multis modis licet; at rectè facere, vno modo.* Idcircò etiam subiicit hunc versiculum,

Pro thesi affirmatiua
Ratio 1
2.

Ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, πανταχαπᾶς δὲ κακοί.
Boni enim sunt vno modo, mali verò multis modis.

Atque hoc etiam videntur innuere Pythagorei, quando bonum dicunt esse finitum; malum infinitũ. In quo sensu etiam Plato ait, *lib. 4. de Rep.* ἓν μὲν εἶδος τῆς ἀρετῆς, ἄπειρα δὲ τῆς κακίας, *Vna quidem forma est virtutis; infinitæ autem formæ vitii.*

5 *An virtus moralis sit innocens & abusus expers?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia virtus moralis omnibus est vtilis, & nemini noxia ac damnosa. 2, quia virtus moralis in mediocritate est posita, quæ in omnibus rebus est optima & tutissima; propterea quod neque ad nimium, neque ad parum declinet. 3, quia est habitus, quo possumus, volumus & agimus honesta, quando, quantũ, & quomodo decet, obseruatis simul cæteris circumstantiis: seu, est habitus honesta præeligendi & agendi. 4, quia hominem rectè & congruenter disponit erga finem suum, quod est honestum. Ideoque media ad id honestum ducentia non potest non homo præeligere.

Pro thesi affirmante
Ratio 1
2
3
4

5 5, quia rectum vsum cunctorum bonorum hu-
6. manorum docet. Ergò etiam suiipsius. 6, quia homo virtutis moralis habitu præditus non potest male agere; aut, si male agit, desinit esse talis.

Proinde rectè cum Aristot. libro primo Rhetoricorum concludimus, cæteris bonis omnibus nos abuti posse: sola autem virtute morali abuti non posse: imò, per eam consequi, vt cæteris bonis rectè vtamur. Quod si quis obiiciat

Obiectio neque arte hominem abuti posse: cum sit habitus cum recta ratione efficiendi, neque vllus artifex peccet:

Respondetur ad obiect. Respondeo artem habere quidem suam rectitudinem, quam dum obseruet artifex, non peccat: Sed rectum vsum non esse de ratione artis, sicut est de ratione virtutis moralis. Cognitio enim veri non necessariò format actionem probam: cognitio autẽ boni, dum eâ vtimur, necessariò format actionem bonam: siquidem eius vsus est prę-electio boni, quam sequitur actio proba.

6 *An virtus moralis sit spontanea & voluntaria?*

Pro thesi affirmante. PRo thesi affirmante adduci solent hæc argu-
Argum. menta: 1, quia virtus moralis actionibus vo-
1 luntariis acquiritur. 2, quia actiones voluntarias
2 ex se edit. 3, quia legibus præcipitur, quarum ob-
3 iectum sunt res spontaneæ & voluntariæ. 4, quia
4 præmio laudis digna est. Omne autem, quod lau-
dis præmio dignum est, spontaneum & volunta-
5 rium est. 5, quia nemo est inuitè probus, sed sciens
6. & volens. 6, quia vitium omne, quod virtuti morali opponitur, est voluntarium: omnisque homo improbus est sponte malus, vt infra suo loco plu-

ribus

ribus probabitur. Et hanc sententiam etiam approbat & defendit Aristoteles cum alibi, tum *lib. 2. Eudemiorum cap. 6.* vbi expresse asserit virtutem & vitium esse ex numero τῶν ἑκουσίων, hoc est, *rerum voluntariarum.*

7 *An virtus moralis sit constans, honesta & laudabilis?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia virtus moralis est qualitas firma & permanens, suique possessorem in vita & actionibus cõstantem efficit: quippe quæ à firmo secundum rectam rationem viuendi & agendi proposito pendet. 2, quia in mediocritate posita est, quæ est inter nimium & parum. 3, quia rectæ rationi est congrua, naturæque hominis decora. 4, quia per se est eligenda. 5, quia suo possessori verum honorem & gloriam parit. 6, quia nemo virtute morali abuti potest. 7, quia vitium, quod virtuti morali opponitur, est turpe & vituperabile. *Pro sententia affirm.* *Ratio* 1 2 3 4 5 6 7.

His rationibus accedit testmonium Aristotelis, *lib. 1. Rhetor. cap. 9.* cum ait: ἀναγκη τὴν ἀρετὴν καλὸν εἶναι. ἀγαθὸν γὰρ ὂν ἐπαινετόν· *necesse est virtutem honestam esse. Bona enim cum sit, laudabilis est.* *Testimonia.*

At contra constantiam virtutis obiici potest hoc argumentum: *Si medium virtutis pro ratione circumstantiarum ita est variabile vt instar regulæ Lesbiæ flecti, variisque rebus accommodari possit, sequitur virtutem quoque ipsam rem esse inconstantem & variabilem.* *Obiectio.*

Sed verũ prius, vt patet ex Quæst. 3. *Ergo & consequens.* Respondeo per inficiationem propositionis. Licèt enim medium, circa quod virtus in agendo versatur, pro ratione circumstantiarum

varietur: tamen in illâ ipsa varietate habet certam regulam, quâ determinatur; nempe rectam rationem & prudentiam, quemadmodum definitio virtutis ab Aristotele tradita testatur. Ideoque non sequitur, virtutem propterea esse inconstantem & variabilem: cum omnis habitus sit qualitas firma & constans, & sic difficulter mutabilis.

8 *An virtus moralis sit ardua & rara?*

Pro thesi af. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1,
Ratio
1 quia virtus moralis in mediocritate est posita. Difficile autem est in vnaquaque re medium assequi. 2, quia est honesta & præclara. Omne autem honestum & præclarum est difficile, iuxta illud, χαλεπὰ τὰ καλά. 3,
2
3 quia non nisi magno labore acquiritur. Idcirco Hesiodus *lib. 1. operum & dierum*, canit Deos sudorem posuisse ante virtutem, viamque ad eam esse longam & arduam. Cum quo illud Virgilii congruit:

Semita virtutis dextrum petit ardua collem;
Difficilemque aditum primum spectantibus offert.

4. 4, quia secundum Aristotelem *libr. 2. Ethic. Nicomach. cap. 9.* ἔργον ἐστὶ σπουδαῖον εἶναι. ἐν ἑκάστῳ γὰρ μέσον λαβεῖν ἔργον, *operosum est esse probum. In vnoquoque enim medium capere est operosum.* 5, quia in paucis hominibus virtus moralis reperitur iuxta illud Poëtæ:

Rari quippe boni, vix sunt numero totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.

9 *An virtus moralis per se sit inuisibilis?*

Pro thesi affirmatiua STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1,
Ratio
1 quia virtus moralis neque est lux & color, neque lucis & coloris particeps. 2, quia non per propriam speciem seu imaginem; sed per alienam,
2

suorum

ſuorum nempe effectorum cernitur. 3, quia nemo eſt, qui ex ſolo aſpectu per ſe diſcernere poſſit inter virum probum & improbum.

Hinc Ariſtoteles *libr.* 1. *magnorum moralium cap.* 21. inquit: οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι τὸν σπουδαῖον θεωρεῦντες κρίνουσιν ἐκ τοῦ πράττειν, διὰ τὸ μὴ δυνατὸν εἶναι δηλῶσαι τὴν ἑκάστου προαίρεσιν· *Alii homines probum virum inſpicientes ab actione diiudicant, propterea quod non poſſibile cuiuſque proæreſin declarare.* Item, εἰ ἦν εἰδέναι τὴν ἑκάστου γνώμην ὡς ἔχει πρὸς τὸ καλὸν, καὶ αὐτοῦ τοῦ πράττειν σπουδαῖος ἂν ἐδόκει εἶναι· *Si liceret cuiuſque mentem, quomodo erga honeſtatem eſſet affecta, cognoſcere; etiam citra actionem probus eſſe videretur.*

CAPVT VI.

De Effectis virtutis moralis in genere.

PRÆCEPTA.

1 *Adhuc de adiunctis virtutis moralis. Sequuntur eiuſdem effecta in genere. quæ ſunt partim proba, partim beata vita.*

2 *Proba vita eſt, quæ vi virtutis moralis degitur, ſeu quæ rectæ rationi eſt conformis.* *Vita proba quid.*

3 *Beata vita eſt ſtatus hominis probi, per quem in hoc mundo felix eſt.* *Vita beata quid.*

4 *Eaque conſiſtit in bonis partim internis, partim externis.*

5 *Interna bona ſunt partim bona conſcientia, partim tranquillitas animi, partim bona corporis valetudo.*

Conscientia bona quid.

6 *Bona conscientia est notitia rectè factorum, quam homo secum in pectore gestat, orta ex virtute morali.*

Tranquillitas animi quid.

7 *Tranquillitas animi est lætitia* εὐθυμία, *ex bona conscientia resultans.*

Bona corporis valetudo quid.

8 *Bona corporis valetudo est dispositio secũdum naturã corporis viuentis, per quam aptum est sine molestia & impedimento exercere actiones suæ naturæ conuenientes.*

9 *Externa bona sunt partim gloria, partim amicitia honesta, partim rerum sufficientia.*

Gloria quid.

10 *Gloria est honesta aliorum de viro probo ob virtutem existimatio.*

11 *Eius comites sunt honor & laus vera.*

12 *Honor verus est reuerentia externa, viro probo in signum virtutis à recto eius iudice tributa.*

13 *Laus vera est commendatio viri probi verbis expressa propter illius virtutem.*

Amicitia honesta quid

14 *Amicitia honesta est coniunctio proretica amicorum propter virtutis similitudinem suscepta, mutuisque veræ beneuolentiæ & amoris officiis declarata.*

Sufficientia rerum quid.

15 *Sufficientia rerum est possessio diuitiarum ad statum vitæ felicem necessariarum.*

QVÆSTIONES.

1 *An sit discrimen inter probam & beatam vitam?*

Sunt

SVnt quidam Philosophi, qui non distinguunt inter probam & beatam vitam, sed vnam pro altera sumunt. In illorum etiam numero videtur esse Aristoteles, qui beatè viuere nihil aliud esse putat, quam benè, hoc est, virtuti conuenienter viuere: & felicitatem hominis in hac vita definit ἐνέργειαν ψυχῆς κατ' ἀρετὴν τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ, h. e. *actionem animi secundum virtutem perfectissimam in vita perfecta.* Verum hæc sententia tametsi à pleriſq; Peripateticis defendatur, videtur tamen non esse approbanda. Differũt enim inter se proba vita, & beata vita tanquam causa efficiens & effectum, seu tanquam meritum & præmium. Nemo enim in hac vitâ potest beatè viuere, nisi probè, seu secundum virtutis præscriptum viuat. Hinc etiam proba vita definitur, quæ vi virtutis moralis degitur, seu quæ rectæ rationi est conformis: vita beata verò, status hominis est probi, per quem in hoc mundo felix est. Et sicut improba vita est causa efficiens miseriæ: ita proba vita est causa efficiens felicitatis. Hoc ita esse testatur Franciscus Patricius *libr.* 1. *de regno*, *titulo* 7. cum ait: *Actiones secundum virtutem duces nobis sunt & effectrices felicitatis: contrariæ autem nos in miseriam mœrorisque barathrum præcipitant.* Item, *lib.* 6. *tit.* 6. vbi paucis mutatis eandem sententiam repetit: *Actiones nostræ si ex virtute manabunt, duces nobis ad felicitatem erunt: sin verò à vitiis; in barathrum miseriarum nos præcipitabunt.* Neque obstat, quod idem autor in priore citato loco summum hominis bonum definit animi continuatam actionem secundum virtutem. In illa enim aut imitatus est sententiam Aristotelis, aut saltem

Opinio aliorum exponitur.

Refutatur superior opinio.

tropicè locutus est, dum causam efficientem, proximam felicitatis pro definitione essentiali eiusdem posuit: cuiusmodi definitiones complures apud Aristotelem etiam reperiuntur.

2 *An homo in hac vita possit esse felix?*

IN hac quæstione alii thesin negantem, alii affirmantem defendunt.

Pro thes. neg. Argum.

Argumenta pro thesi negante sunt: 1, quia felicitas est bonum solidum & constans, extra fortunæ aleam positum, solisque substantiis diuinis & æternis competens. In hac autem vita terrena & caduca tale bonum, & tale eius subiectum non 1 2 datur. 2, quia hæc vita variis miseriis & calamitatibus est obnoxia, variisq; curis & perturbationibus agitatur: Et quo homines in hoc mundo sunt opulentiores, & in eminentiore dignitatis gradu collocati, eo grauioribus curis premuntur, & 3 à vera animi tranquillitate absunt. 3, quia homo in hoc mundo secundum Aristotelem, est *Stob. serm. 96.* ἀσθενείας ὑπόδειγμα, καιροῦ λάφυρον, τύχης παίγνιον, μεταπτώσεως εἰκών, φθονεροῦ συμφορᾶς πλάσιγξ, τὸ δ' λοιπὸν φλέγμα καὶ χολή· hoc est, *imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, seu ludibrium, casus imago, inuidiæ & calamitatis trutina; cætera pituita & bilis.* Et rectè ait Bernhardus: *Nunquam in honore sine labore; nunquam in prælatione sine tribulatione; nunquam in sublimitate sine vanitate quis esse potest.* 4. quia felicitas non in peregrinatione, sed in patria; non in cursu, sed in termino cursus; non in pugnâ, sed in victoriâ consistit. Vita autẽ, quam homo in hoc mundo degit, nihil aliud est, quàm peregrinatio, pugna & quasi via ad felicita-

citatem veram. Argumenta pro thesi affirmante sunt: 1, quia felicitas pendet à virtute morali, eiusque actionibus. Ergo cum homo in hac vita possit sibi virtutem moralem comparare, & secundum illam agere: sequitur, hominem in hac vita posse esse felicem. 2, quia felicitas consistit partim in bonis internis; cuiusmodi sunt bona conscientia, tranquillitas animi, & bona corporis valetudo: partim in bonis externis, cuiusmodi sunt gloria, amicitia honesta, & sufficientia rerum. Hæc autem omnia bona homo in hac vita consequi potest. Ergo potest etiam in hac vita esse felix. 3, quia homo à Deo creatus est non ad miseram, sed beatam vitam in hoc mundo agendam. Ergò etiam finis illius in hac vita fieri potest particeps. 4, quia homo in hac vita potest fieri miser. Ergo etiam felix. Cui enim vnum contrarium inest, ei etiam potest inesse alterum; nõ quidem simul, sed successiuè.

Pro thesi affirmante Argum. 1

2

3

4.

Pro resolutione quæstionis distinguendum est inter felicitatem terrenam & cœlestem; temporalem & æternam; quarum illam homo in hac vita reipsa, tametsi rarò sinceram omnique ex parte perfectam: neq; sine summa difficultate, consequi potest, hanc verò non, nisi in spe.

Quæstio decidi tur per distinct.

3 *An bona conscientia sit pars felicitatis humanæ, & à virtute morali pendeat?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia nemo in hac vita felix est, nisi sibi benè sit conscius. Nemo autem sibi benè conscius est, nisi secundum virtutem moralem agat. Est enim bona conscientia nihil aliud, quam no-

Pro thesi affirmatiua Ratio 1

titia rectè factorum, quam homo secum abditam
2 in corde habet. 2, quia felicitas humana non potest consistere sine tranquillitate animi, quam Græci vocant εὐθυμίαν, & quæ cum hac coniuncta est, bonâ fiduciâ & spe. Illa autem non aliunde,
3 quam ex bona conscientia oritur. 3, quia mala cõscientia est pars miseriæ humanæ, & à vitio morali pendet. Ergo cum contrariorum sint contraria attributa, sequitur, bonam conscientiam esse partem felicitatis humanæ, & à virtute morali
4. pendere. 4, quia nemo in hac vita felix est, qui in perpetua tristitia, anxietate & formidine versatur. Talis autem est, qui sibi malè est conscius. Siquidem conscientia mala instar tortoris & carnificis animum hominis intus vrit, cædit, lancinat, & nunquam metu vacuum esse sinit. Cum igitur felicitas humana cum mala conscientia consistere non possit, sequitur ad illam constituendam necessario bonam conscientiam requiri. Hinc rectè ait Cicero in Catone maiore: ***Conscientia bene actæ vitæ multorumque benefactorum recordatio, iucundissima est.*** Et Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei, ***Tranquillitate conscientiæ nihil excogitari beatius potest.*** Quam ob causam etiam danda opera est viro bono, vt in omni vita transuersum vnguem à recta conscientia non discedat.

4 *An bona Naturæ & Fortunæ sint necessaria ad felicitatem terrenam?*

Pro thesi affirmante Argum. 1

PRo thesi affirmante afferuntur hæc argumenta: 1, quia bona Naturæ & Fortunæ sunt instrumenta externa virtutis moralis. Ergò sicut instrumenta Opifici sunt necessaria ad opus perficien-

ciendum: ita etiam virtuti bona Naturæ & Fortunæ ad felicitatem perficiendam. 2, quia virtus moralis bonis Naturæ & Fortunæ destituta redditur impotens ad exercendas suas actiones; non secus ac faber torpet sine instrumentis: & oculus sine lumine externo. 3, quia nemo in hac vita felix est, qui eget iis bonis, quibus opus habet, & sine quibus virtutem moralem aut planè non, aut difficulter acquirere & exercere potest. Talia autem sunt bona Naturæ & Fortunæ, præsertim verò bona corporis valetudo, amicitia & sufficientia rerum, hoc est, bonorum externorum ad vitam benè conseruandam & agendam necessariorum possessio: Idcirco rectè ait Callimachus Poëta, diuitias sine virtute nunquam hominem efferre: virtutem autem sine diuitiis parum admodum eum illustrare. Et Sappho Lesbia non muliebriter inquit, parum prodesse diuitias sine virtute, sed cum ea coniunctas accumulare vitam beatam. Cum quibus etiam consensit Solon, qui felicem eum esse pronuntiat, qui ex virtute optimè agit, & rebus externis mediocriter abundat. Nec non Aristoteles *lib. 1. Eth. Nic. c. 9* inquiens: ἡ δὲ εὐδαιμονία φαίνεται καὶ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν προσδεομένη. Ἀδύνατον γὰρ ἢ οὐ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα. *Felicitas videtur bonis externis indigere. Impossibile enim est, aut non facile res præclaras agere, cui nullæ facultates suppetunt.*

At in contrariam partem obiici potest: 1, quod felicitas est præmium solius virtutis moralis. Idcoque non opus habet bonis Naturæ & Fortunæ. 2, quod virtus moralis seipsâ est contenta, sibique sufficiens ad felicitatem homini concili- *Protheſi negatiua arg.* 1 2

andam: Ideoque nihil extra se desiderat. 3, quod virtus moralis maximè fulget in paupertate, aliisque miseriis & calamitatibus, quando homo eas sedato & moderato animo perfert. 4, quod sequatur ex illa hypothesi, quę statuit bona Naturæ & Fortunæ esse necessaria ad felicitatem terrenam, virum bonum non esse felicem, quando est ægrotus, vel pauper, vel præter meritum infamia notatus. Sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens.

4.

Quæstio deciditur per distinct.

1

2.

Pro decisione quæstionis distinguendum est primum inter id, quod simpliciter est necessariũ, & quod necessarium est secundum quid, seu ex certa hypothesi. Deinde inter felicitatem terrenam, quatenus omnibus modis est perfecta & illustris, & quatenus est minus perfecta & illustris. Dico igitur bona Naturę & Fortunæ non esse simpliciter necessaria, ad felicitatem; sed tantum secundum quid, quatenus ea omnibus modis debet esse perfecta & illustris. Et in hoc sensu facile argumenta in vtramque partem allata inter se conciliari possunt.

5 *Quid sit gloria, & quomodo ab honore & laude differat?*

Gloriæ definitio traditur.

ARistoteles *libr. 1. Rhetoric. cap. 5.* docet, δόξαν εἶναι τὸ κατὰ πάντων ἀγαθῶν ὑπολαμβάνεσθαι, hoc est, *gloriam esse, ab omnibus virtute præditum existimari.* Ex his igitur colligitur, gloriam nihil aliud esse, quam honestam aliorum de viro probo ob virtutem existimationem. Qui enim virtutis habitum contraxit, eumque honestis actionibus exercet & declarat, ille apud rectè iudicantes præmii loco hoc consequitur, vt ab omnibus pro viro ho-

ro honorabili & laudabili habeatur. Vnde etiam gloria dicitur testimonium & præmium virtutis. Et Romani templa Virtutis & Honoris ita iunxerunt, vt nemo ingredi posset in templum Honoris, nisi per *templum Virtutis* transiret. Differt autem *gloria*, quæ ab aliis vocatur *bona fama*, Græcè δόξα, propriè loquendo ab *honore*, & *laude*, quod honor, Græcè τιμὴ, est reuerentia externa viro probo in signũ virtutis à recto eius iudice tributa: laus verò Græcè ἔπαινος, est commendatio viri probi ob virtutem verbis expressa. *Diserimen inter gloriam, honorem & laudem traditur.*

Interim sciendũ est: 1, hæc tria vocabula, nempe gloriam, honorem & laudem, sæpè in communi loquendi consuetudine inter se confundi; neque semper in propria & natiua sua significatione vsurpari. 2, Honoris certos esse gradus, eosque pẽdere partim à diuersitate meritorum; partim à diuersa conditione eorum, quibus tribuitur; partim ex diuersa quantitate & qualitate eorum, quæ honoris loco exhibentur: quæ etiam reddi solent maiores & illustriores ex dignitate tribuentis, ex conditione loci, temporis, modi, consuetudinis & similium. Nam præclarum est, honorari & laudari à viro honorato & laudato: præclarum est honorari publicè, sponte cum applausu & consensione multorum, & sic deinceps. *Obseruatio.* 1 2.

6 *An honor sit individuus comes virtutis?*

PRo thesi affirmante proferri solent hæc argumenta: 1, quia honor est effectum virtutis: Ideoque à sua causa separari non potest. 2, quia *sicut vmbra, corpus lumini oppositum; sic honor virtutem sequitur. Vmbra autem inseparabiliter* *Prothesi affirm.* 1 2.

sequitur corpus oppositum lumini. Ergo etiam honor virtutem.

Pro thesi negatiua Argum.

Pro thesi negante stat partim communis experientia, quæ testatur, non omnes virtute præditos honorari; sed multos contemni; aut saltem
1 negligi: partim ratio: 1, quia honor consistit in libero honorantis arbitrio, ita vt possit eum, quibus
2. debetur, vel tribuere, vel non tribuere. 2, quia homines non semper virtutem aliorum perspectam habent, aut saltem de ea, quam nouerunt, non rectè iudicant: quippe quorum iudicium aut inuidiâ, aut odio, aut maleuolentiâ aliisque affectibus & rebus est corruptum & deprauatum. Vnde rectè Christus ait: *Non est propheta inhonoratus, nisi in patriâ suâ, & inter cognatos, & domi suæ.* Quod dictum hoc versiculo eleganter exprimitur:

In patriâ non est laudatus gente Propheta.

Quæstio deciditur per theoremata.

Pro decisione quæstionis obseruanda sunt sequẽtia theoremata: 1, honorem semper viris probis ob virtutis meritũ deberi; etiamsi non semper
1 actu exhibeatur. Ideoque rectè dici, honorem inseparabiliter consequi virtutem, si non facto, sal-
2 tem iure. 2, honorem esse pręmium virtutis, quod viro probo non à quolibet homine; sed tantum à recto & congruente eius iudice tribui potest. Ideoque etiamsi multi homines sint, qui peruersis præiudiciis & affectibus excæcati non rectè iudicent de alterius virtute, & propterea eos, vt decet, non honorent: tamen honor virtutem inseparabiliter consequitur respectu eorum, qui re-
3 ctè de ea sentiunt, cuiusmodi sunt viri probi. 3, virtutem sæpè externo paupertatis velo non secus ac solẽ obductâ nube occultari, ita vt in conspe-

spectum aliorum peruenire non possit. Ideoque mirum non esse, si non semper honor, qui iure ei debetur, ipso facto consequatur. 4, nullum ferè virum doctum & probum in sua patria posse inclarescere, non suâ, sed alienâ culpâ, nempe ob prauum & corruptum iudicium, quod populares plerumque de virtute sui popularis habent. Quæ iudicii corruptio & deprauatio oritur, partim ex inuidia, partim ex consideratione familiæ humilis & obscuræ, ex qua natus est, partim ex quotidiana cum eo conuersatione. Nam id, quod inde vsque à pueritia obiectum fuit sensibus nostris, solet vilescere, & veluti satietate fastidiri. Vnde dici solet,

4. *Cur nemo honoratus in patria sua.*

Quod rarum, charum est; vilescit quotidianum.

7 *Vtrum honor sit honorantis, an honorati?*

OCcasionem huic quæstioni præbuit Aristoteles *lib.* 1. *Ethic. Nicomach. cap.* 3. vbi probaturus, summum bonum non consistere in honore, hanc rationem affert, quod honor magis est honorantis, quam honorati. Vt autem veritas huius quæstionis rectius intelligatur, primum argumenta in vtramque partem proferam: deinde meam sententiam liberè subiiciam.

Pro thesi igitur negante faciunt hæc argumenta: 1, quia præmium est eius, cui competit res, cuius est præmium. Honor autem est præmium virtutis, quæ non honoranti, sed honorato competit. 2, quia eius est vnumquodque, cui tribuitur. Honor autem honorato tribuitur. Transit enim ab honorãte in honoratum. 3, quia eius est honos qui ab honore denominatur. Iam autem non is,

Pro thes. neg. Argum. 1 2 3

qui confert, sed in quem confertur honor, ab eo
4. honoratus denominatur. 4, quia dedecus non est eius, qui infert, sed cui infertur. Ergo etiam honor. Oppositorum enim est eadem ratio.

Pro thesi affirm. At contrà pro thesi affirmante valent hæc argumenta: 1, quia honor est bonum externum & alienum, non proprium. Ergo non est in honorato, sed honorante. 2, quia honor est actio honorantis, pendens ab eius iudicio, affectu & præelectione. Ergò est bonum honorantis, non honorati.

Argum. 1 2.

Quæstio deciditur per theoremata. Pro decisione quæstionis notanda sunt sequentia theoremata: 1, honorem modò actiuè, modò passiuè vsurpari. Priore modo esse honorātis: posteriore verò honorati. 2, honorem magis esse honorati quam honorantis, si dignitatē & meritum eius spectes, nempe virtutem, cuius cognitione & admiratione impellitur ad præstandum honorē viro probo. Si verò spectes ipsum iudicium & proæresin, actionemque externam ab vtraque causa pendentem; ita honorem magis esse honorantis, quàm honorati.

1 2.

8 *An vir probus semper dignus sit honore?*

Pro thesi affirm. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia in viro probo semper est meritum, seu causa meritoria honoris, nempe virtus eiusque actio. 2, quia nemo potest viro probo eripere virtutem, neque indignum honore efficere. 3, quia vir probus etiamsi præter meritum iniuria ab alio vel verbali, vel reali afficiatur; tamen propterea non minus honore dignus est, quamprius fuerit: imò, si eum patienter, ac, vt decet, ferat, maiore

Ratio 1 2 3

hono-

honore dignus est. 4, quia solum vitium morale, eiusque prauæ actiones reddunt hominem honore indignum. Cum igitur vir probus careat vitio morali, neque prauas actiones ex se edat, non potest fieri indignus honore, nisi desinat esse vir probus, & incipiat esse malus. 4.

Errant igitur: 1, illi, qui existimant se per aliorum iniurias honore suo ita spoliari, vt planè eo sint indigni. 2, qui existimant se honorem suum aliorum iniuria sibi ereptum non posse recuperare, nisi parem aut maiorem iniuriam illi inferant. Qui enim iniustè agunt, tãtum abest, vt honorem recuperent, vt potius hoc modo seipsos honore priuent, eoque planè se indignos efficiant. Interim, quia contingere potest, vt vir probus, qui læsus est, ab aliis iudicetur non læsus: idcircò ei pro veritate patefaciendâ laborandum est, vt alii intelligant se iniustè læsum esse. *Error aliorũ taxatur.* 1 2.

Sed posset quis hoc loco quærere, an vir probus ob improbitatem & infamiam suorum, puta, parentum, cognatorum, liberorum, vxoris, possit reddi indignus honore? Respondeo, minimè, nisi ipse occasionem ad eiusmodi improbitatem & infamiam præbuerit. Nemo enim tenetur reddere rationem, nisi eorum, quæ in sua potestate sunt. Neque quisquam propter alterius, sed solum propter proprias actiones honore indignus redditur. *Alia quæstio obiter inspersa.*

9 *An mortui sint honorandi?*

Diuersæ aliorum opiniones recensentur.

ANtiqua est quæstio, non tantũ inter Philosophos, sed etiã Theol. agitata & disceptata, v-

1 trum mortui sint honorandi. Fuerunt enim non-
nulli, præsertim ex Ethnicis veræ & Christianæ
religionis cognitione destitutis, qui nullum pla-
nè honorem, ne sepulturæ quidem, mortuis tri-
buẽdum esse censuerunt. Existimarũt enim mor-
tem esse extremam omnium rerum lineam: ni-
hilque post mortem boni reliquum manere, cu-
ius gratiâ defuncti sint honorandi: & cum ipsi
quoque omni sensu tam boni quam mali care-
ant, quippe qui sint non entia, rem vanam & in-
anem esse de iis honorandis vllam curam & cogi-
2 tationem suscipere. Alii verò fuerunt, & etiam-
num sunt, vel ex iis, qui nomen suum inter Chri-
stianos profitentur, qui quidem superiorem tan-
quam impiam & profanam auersantur & dete-
stantur: Sed tamen in mortuis honorandis nimis
sunt superstitiosi; eóque audaciæ & temeritatis,
ne dicam, impietatis, progrediũtur, vt eos etiam,
qui cum in viuis essent, aliquâ insigni siue veræ,
siue falsæ sanctimoniæ opinione claruerunt, di-
gnos iudicent, quibus religiosus aliquis cultus
exhibeatur, quique, vt singulares hominum apud
Deum patroni & intercessores, inuocentur. Vt
ergo prior opinio in defectu; ita hæc posterior in
3. excessu peccat. Cum autem medium in omnibus
rebus sit optimum & tutissimum, videtur certè
probanda esse sententia eorum, qui in honoran-
dis mortuis, neque ad parum, neque ad nimium
deflectunt; sed mediam & quasi regiam viam te-
nent & obseruant. Illi enim duplicem inprimis
honorem esse statuunt, qui cum aliis piè defun-
ctis, tum præcipuè viris bonis de Ecclesia & Re-
publica bene meritis, etiam post obitum ab ho-
mini-

minibus præstari possit & debeat; vnum, honestam sepulturam, alterum honorificam eorundem recordationem & commendationem.

Rationes ipsorum sunt: 1, quia cùm certò credamus & sciamus omnes eos, qui piè in Domino moriuntur, esse viua veræ & Catholicæ Ecclesiæ, quæ mysticum Christi corpus est, membra esse filios Dei ex gratia adoptatos; esse amicos & fratres nostros, imò, etiam Christi; esse denique nobiscum vitæ & beatitudinis æternæ hæredes, qui aliquando etiam ex sepulchris suis, in quibus ad tempus dormierint & à laboribus suis quieuerint, à Christo Iudice, excitandi sint, & in cœlestem patriam transferendi: nostri officii est, ad testificandam fidem nostram, ad publicè profitendum fraternitatem & communionem illam spiritualē, quæ nobis cum iis intercedit, ad declarandum amorem nostrum, honestè eorum funera deducere & inhumare. 2, quia ipsa iustitia, quæ suum cuique tribuit, postulat, vt ob virtutes insignes, quæ in defunctis eluxerunt, præclarasque actiones, quibus de Ecclesia & Republica optimè meruerunt, honorificam semper eorum vsurpemus mentionem & memoriam, & in aliorum præsentia dignis laudibus eos tum publicè, tum priuatim exornemus & celebremus. 3, quia licèt ipsi mortui honorem eiusmodi non desiderent & expetant; cum rebus humanis exempti simul etiam omnium bonorum externorum curam abiecerint: tamen æquum & pium est, vt præclara Dei dona, quibus ornati fuerunt, in iis suspiciamus & commendemus: Imò ad communem societatis humanæ vtilitatē plurimum con-

Postrema opinio approbatur.

Ratio 1

2.

3.

fert extare tam priuatim, quam publicè aliorum de pietate & virtutibus defunctorum testimonia, partim vt alii ad ipsorum imitationem inuitentur & inflammentur, partim vt inimicis & maleuolis hominibus, qui eiusmodi honorem mortuis inuident, os obstruatur, omnisque calumniandi & obtrectandi ansa præcidatur.

10 *An amicitia sit necessaria ad benè beatéque viuendum?*

Pro thesi affirm. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia sine amicitia nemo potest benè beatéque viuere, teste Aristotele *lib.* 8. *Ethic. Nic. cap.* 1. cum

Ratio 1 inquit, οὐδεὶς φίλων ἄνευ ἕλοιτο ζῆν, ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα, *Absque amicis viuere nemo expetit, cætera omnia bona habens.* 2, quia in nulla ætate & fortunâ

2 carere homo amicitiâ potest. Nullus enim esset fructus rerum prosperarum, nisi homo haberet, qui illis æquè ac ipse gauderet. Aduersas verò res difficile esset pati sine iis, qui illas grauius etiam, quam tu ferres. Vnde rectè Isodorus lib. 3. de summo bono: *Amicitia prosperas res dulciores facit; & aduersas communione temperat, & leuiores reddit.* Cui astipulatur etiam Cicero pro Planco, cum ait non posse esse iucunditatem vitæ, sublatis amicitiis. Item in Lælio, Nemini posse esse vitam vitalem, qui in amici mutuâ beneuolentiâ non acquiescat. Quam ob causam etiam *verus amicus* ab Augustino dicitur *dimidium animæ, vitæque medicamentum.* 3, quia non aquâ, igne &

3 4 aëre pluribus locis vtimur, quam amicitia. 4, quia solem ex mundo tollere videntur, qui amicitiam

5 è vita tollunt. 5, quia vita sine amicis insidiarum & metus est plena, vt testatur Cicero *lib.* 1. *de finibus.*

ens. 6, quia amicitia est pietatis custos, & æqualitatis magistra, vt ait Ambrosius *lib. 3. Officiorum sub finem.* 7, quia nulla domus tam stabilis, nulla tam firma ciuitas est, quæ non odiis & dissidiis funditus euerti possit. Vnde Agrigentinum Græcum virum ferunt dixisse, quæ in rerum natura, totóque mundo constarent, quæque mouerentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. 6 7.

II *Quomodo amicitia in genere sit definienda?*

VT definitio amicitiæ rectius assignari ac intelligi possit, sciendum est, amicitiam modò propriè, modò impropriè sumi: propriè quidem pro relatione seu habitudine amici vnius ad alium: impropriè verò modò pro sympatheiâ naturali, siue illa sit inter res inanimatas, siue animatas; siue ex cognitione oriatur, siue sine cognitione; modò pro cognatione naturali, cuiusmodi est inter parentes & liberos, inter fratres & sorores aliosue cõsanguineos; modò pro coniunctione voluntariâ vel coniugum, vel affinium, vel ciuium, vel contribulium, &c. Sed in proposita quæstione non accipitur, nisi in propria significatione. Et sic definitur amicitia, modò consensio similium; modò consensio dissimilium; modò voluntatum, studiorum, sententiarumque summa consensio; modò diuinarum, humanarumque rerum cũ beneuolentia & charitate summa consensio, modò beneuolẽtia inter eos, qui se amant nõ latens; modò mutuus amor, seu beneuolẽtia, quæ vel virtutis, vel voluptatis, vel cõmodi causâ suscipitur, mutuisque officiis declaratur & colitur; modò vnio duorũ vel pluriũ in aliquo bono mo-

Homonymia vocabuli excutitur.

Diuersæ definitiones amicitiæ recensentur & examinantur.

rali, nempe honesto, iucundo aut vtili. Verum ex his definitionibus nulla ferè est, quæ non sit vitiosa. Nam primum in singulis, exceptâ vltimâ, genus est vitiosum: cum illud neque *consensio*, neque *amor*, neque *benevolentia* esse possit: propterea, quod ex illis rebus vnaquæque sit causa partim procreans, partim conseruans amicitiæ. Deinde ex differentiis, quæ generi adduntur, aliæ sunt falsæ, aliæ veræ quidem, sed nimis generales, quæ definitionem suo definito latiorem faciunt.

Propria definitio assignatur. Proinde omissis aliorum definitionibus, amicitia in genere videtur esse definienda coniunctio proæretica amicorum inter sese, orta ex boni ipsis cogniti approbatione & appetitione eius adipiscendi & fruendi gratiâ. Cum enim amicitia sit relatio vnius ad alium; idcirco loco generis proximi posui *coniunctionem proæreticam*, ad excludendam *coniunctionem naturalem*, quæ suo ambitu amicitiam non comprehendit: Deinde loco differentiæ posui partim ipsa entia relata, nempe *amicos*; partim causam efficientem, quæ est cum *cognitio*, tum *approbatio* & *persecutio boni in alio existentis*, siue illud sit verũ bonum, siue apparens bonum; siue honestum, siue vtile, siue iucundum; partim denique finem, qui est boni cogniti & cupidi adeptio & fruitio.

12 *Qua sit causa efficiens amicitiæ in genere consideratæ?*

Aliorum opiniones exponuntur.

1 DE causa efficiente amicitiæ sunt diuersæ Philosophorum opiniones. Alii enim statuunt

2 amicitiam oriri ex indigentia: alii ex similitudine

3 vitæ & morum: alii ex boni in aliis cogniti approbatione & appetitione, siue illud bonum sit verum

rum bonum, siue apparens bonum: & rursus siue honestum siue vtile, siue iucundum.

Argumenta pro prima opinione sunt: 1, quia nemo amicitiam cum alio contrahit, nisi aliquod in eo bonum appetat. Omnis autem appetitio præsupponit indigentiam eius, quod appetitur. Vnde Socrates apud Platonem in conuiuio fingit Peniam, id est, *paupertatem* seu *indigentiam* esse matrem Amoris. 2, quia sine amicitia nemo potest benè beatéque viuere: propterea quod illa expleat indigentiam boni ad benè beatéque viuendum necessarii. *Argumenta pro prima opinione.* 1 2.

Argumenta pro secunda opinione sunt: 1, quia simile amat simile, &, vt Cicero ait, *in dialogo de amicitia*, nihil amabilius, nihil copulatius, quam morum similitudo bonorum. Vnde etiam ab eodem ea dicitur iucundissima amicitia, quam similitudo morum coniugauit. 2, quia dissimilitudo vitæ & morum est causa corrumpens amicitiæ. Ergò similitudo est eiusdem causa procreans. *Argumenta pro secunda opinione.* 1 2.

Argumenta pro tertia opinione sunt: 1, quia nulla est vera amicitia absque amore. Amor autem oritur ex boni in alio cogniti approbatione & appetitione. 2, quia immediata oritur ex mali in alio cogniti auersatione & fuga. *Argumenta pro tertia opinione.* 1 2.

Cæterum, ex his opinionibus tertia & postrema videtur reliquis esse præponenda. Licèt enim hæ quoque simpliciter non sint reiiciendæ: cum indigentia sit causa impulsiua cuiusque amicitiæ: similitudo verò vitæ & morum sit causa quidem procreans amicitiæ, sed non cuiuslibet: tamen illa sola causam proximam procreantem & conseruantem, & quidē adæquatā amicitiæ exprimit. *Postrema opinio reliquis præfertur.*

13 *Quis sit finis amicitiæ in genere consideratæ?*

Opiniones aliorum recẽsentur & excutiuntur.

FInem amicitiæ alii statuunt vitæ coniunctionem: alii boni in alio cogniti approbati & cupiti adeptionem & fruitionem. Ex quibus sententiis prior est falsa, siue per *coniunctionem vitæ*, intelligatur *coniunctio amicorum familiariter inter se conuersantium*; siue ipsâ *conuersatio familiaris*. In priore enim sensu *coniunctio* non est finis, sed genus amicitię, vt patet ex definitione suprà allata. In posteriore verò *coniunctio vitæ* est causa partim procreans, partim conseruans.

Posterior opinio præfertur priori.

Proinde posterior potius sententia est approbanda. Nulla enim amicitia vel initur, vel conseruatur nisi eo fine, vt amici bonum in aliis amicis cognitum approbatum & desideratum adipiscantur, eoque cum voluptate quadam fruantur.

14 *Quomodo amicitia in genere considerata sit distribuenda?*

Distributiones Aristotelis enumerãtur.

TRes reperiuntur amicitiæ distributiones apud Aristotelem *in libro* 8. *Ethic. Nicomach.* Prima sumitur à causa partim efficiente, partim finali amicitiæ, quæ est τὸ ἀγαθὸν φιλητὸν, *bonum amabile*. Cum enim hoc sit triplex; honestum, vtile & iucundum: hinc etiam fit, vt amicitia alia sit honesta, alia vtilis, alia iucunda. Quarum prior ab Aristotele modò κυρίως, *propriè*, modò τελεία, *perfecta* dicitur amicitia: tum quòd honestas illius conciliatrix est, tum quod honestatis gratiâ suscipitur & colitur. Posteriores duæ dicuntur amicitiæ impropriæ & imperfectæ: tum quòd futu-

1

futuræ vtilitatis vel iucunditatis gratiâ ineuntur & coluntur: tum quia ab vtilitate & iucunditate præsenti conciliantur. Etsi verò Philosophus statuit, has tres species amicitiæ non esse vniuocas, sed æquiuocas, quæ nomine quidem conueniant; sed definitionem generis ex æquo non participent: propterea quod propriè & per se nomen amicitiæ competat honestæ duntaxat amicitiæ; impropriè verò & per accidens ob similitudinem quandam etiam amicitiæ vtili & iucundæ; tamen hæc sententia non videtur approbanda: cum definitio generalis amicitiæ ita supra fuerit constituta, vt ex æquo possit singulis amicitiæ speciebus accommodari.

Altera distributio sumitur ex adiuncta dignitate personarũ in amicitiam coëuntium. Cum enim illius respectu personæ aliæ sint pares seu æquales; aliæ impares, seu inæquales: hinc amicitia ab Aristotele alia ἐν ἰσότητι, *in æqualitate*; *alia* ἐν ὑπεροχῇ, *in quadam eminentiâ* & *excellentiâ* esse constituitur. In quarum priore obseruanda est æqualitas κατὰ ποσὸν, *secundum quantitatem*, vt paria paribus compensentur; in posteriore æqualitas κατ' ἀξίαν, vt pro ratione personarum vnicuique pro merito tribuatur. Eiusmodi amicitia est senis erga iuuenem; patris erga filium; magistratus erga subditos; diuitis erga pauperẽ, docti erga indoctum. In quâ amicitiâ partim diuersi fines sunt amicorum, propter quos se mutuo amant; partim diuersa officia, quæ sibi mutuò præstant; partim diuersæ virtutes, quæ in illis reperiuntur. Sic pauper amat diuitem alio fine quam diues

2 *Distrib.*

pauperem: & diues alia officia præstat pauperi, quam pauper præstare potest diuiti: quemadmodum etiam alia virtus in diuite, quam in paupere elucet.

3 *Distrib.* Tertia distributio ducitur à differentiis societatis humanæ. Cum enim hæc alia sit priuata, alia publica: hinc etiam amicitia alia dicitur priuata, alia publica seu politica.

15 *Quid sit amicitia honesta & quomodo ab amicitia vtili & iucunda differat?*

Diuersa aliorum definitiones recensentur & examinantur.

IN definienda amicitia honesta inter se variant Philosophi. Aliis enim est summus confirmatusque amor, mutuus duorum aut ad summum trium à morum virtutisque similitudine profectus: Aliis proborum hominum mutuus, conspicuus, confirmatusque amor, ex probitatis cognitione consurgens, ad vitæ honestæ coniunctionem perducens: Aliis virtus seruans mutuum & reciprocum, eumque apertum ac confirmatum duorum inter se beneuolētiæ affectum: Aliis virtus reciprocæ beneuolentiæ æquitate quadam similes inter se moribus ac virtute concilians: Aliis iustitia tribuens amico ex beneuolentia & humanitate mutuum amorem: Aliis vnio duorum sibi mutuo notorum, orta ex mutua & efficaci beneuolentia, quam peperit consensus & conspiratio in vera virtute morali, ad exercitia virtutis facilius & rectius obeunda. Ex quibus definitionibus sola illa, quæ est clarissimi & acutissimi Dn. Keckermanni *in Systematis Ethici lib. 3. cap. 6.* est vera & perfecta: reliquæ autem omnes sunt vitiosæ, præsertim ratione generis, quod in amicitia neque

1
2
3
4
5
6.

que amor est, neque virtus, neque iustitia: cum illa neque affectus sit, neque habitus aliquis moralis, seu, neque motus, neque qualitas, sed mera relatio. Idcirco à me etiam in præcepto 14. huius capitis amicitia honesta definita est coniunctio amicorum propter virtutis similitudinem susceptа, mutuisq; veræ beneuolentiæ & amoris officiis declarata.

Propria definitio assignatur.

Differt autem amicitia honesta ab vtili & iucunda: 1, quod illa est perfecta; hæ imperfectæ. 2, quod illa tantum est inter viros probos: hæ etiam inter improbos. 3, quod illam procreat sola virtus; has sola vtilitas aut iucunditas. 4, quod illa susciptur solius honestatis; hæ solius vtilitatis aut iucunditatis gratia. 5, quod illa est stabilis & constans; hæ verò instabiles & mutabiles. 6, quod illa veram vtilitatem & voluptatem cum honestate coniunctam præstat: hæ verò non. 7, quod ad illam contrahendam plurimum temporis requiritur, quatenus in eam non recipitur, nisi qui probè exploratus & probatus fuerit; ad has verò parum. 8, quod in illa non est locus suspicionibus, calumniis & iniuriis: in his verò est. 9, quia in illa per se sibi amici mutuò benè volunt & faciunt, demptis & voluptatibus & commodis; in his verò non.

Discrimen inter amicitiam honestam, vtilem & iucundã exponitur.

1
2
3
4
5
6
7
8
9.

16 *An amicorum omnia sint communia?*

VSitatum & tritum communi sermone proverbium est, *amicorum omnia esse communia.* Eius mentionem facit non tantum Euripides in Oreste, cum ait, κοινὰ τὰ τῶν φίλων: Sed etiam Terentius *in Adelphis*, & Cicero *lib.* 1. *Offic.* Illud verò originem habet ex ipsa natura amicitiæ, quæ sine

Sententia affir. secundum quid est vera.

communione esse & conseruari non potest. Sed illa communio intelligi debet partim de conuersatione mutua, partim de mutua officiorum honestorum præstatione, partim de communi & licito bonorum fortunæ vsu. Non enim simpliciter omnia inter amicos sunt communia; sed tantum ea, quæ salua honestate & pietate saluâque interdum rerum proprietate amicorum vnus alteri communicare potest.

17 *Quæ studia & officia amicus amico præstare debeat, ad colendam, & conseruandam amicitiam, præsertim honestam?*

NOn satis est, inire cum alio amicitiam, nisi etiam curetur, vt rectè amicitia inita colatur & conseruetur. Non potest autem coli & conseruari, nisi amicus amico debita studia & officia præstet. Illa autem omnia officia videntur mutui, sinceri & constantis amoris ambitu comprehendi. Necesse enim est, vt amici sese mutuò, syncerè & constanter ament. Ille verò amor mutuus in se includit & complectitur non tantum mutuam beneuoleniam, & beneficentiam; sed etiam concordiam, sympatheiam & conuictum. Debet igitur amicus ad præstandum mutuum amorem: 1, benè velle suo amico. 2, ei benefacere. 3, idē cum ipso in rebus honestis sentire. 4, congaudere cum ipso in rebus secundis; & condolere in rebus aduersis. 5, eius conuictu, hoc est, consuetudine & conuersatione delectari.

Recensentur officia amicorum.
1 In genere.
2 In specie.
1
2
3
4
5.
Quæ sit mēsura officiorum amicis debitorum.

Illorum autem officiorum mensura & regula debet esse verus & incorruptus amor sui. Quæ enim vnus, quis sibi ipse cupit & tribuit, aut ab amicō

amico tribui vult: illa etiam amico, qui nihil aliud est, quam alter idem, velle & tribuere debet.

18 *An omnia in gratiam amicorum sint facienda & patienda?*

CVm amicus, vt paulò antè dictum est, sit alter idem, & quasi vna anima in duobus corporibus habitans, videtur inde concludi posse omnia in gratiam amicorum esse facienda & patienda. Sed hæc sententia simpliciter non est admittēda, nisi restringatur ad omnia, quæ cum honestate & pietate non pugnant. Nihil enim in vllius amici gratiam est faciendum & patiendum, quod honestati & pietati aduersatur. Idcircò rectè Pericles dixit, *gratificandum esse amicis, sed vsque ad aras.* Et Cicero *libr. 3 Offic.* ait: *Cum in amicitia, quæ honesta non sunt, postulantur, religio & fides anteponenda est amicitiæ.* Ac licèt amicorum næui, præsertim non admodum deformes, sint tolerandi ac dissimulandi: tamen scelera & flagitia minimè sunt toleranda, sed propter illa amicitiæ renunciandum est, ne infamiæ nota contrahatur: cum plerumque tales habeamur, quales sunt ii, cum quibus conuersamur.

Sententia affirm. secundum quid approbatur.

19 *An in amicitia requiratur conuictus & conuersatio crebra?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia non potest esse mutua officiorum communicatio sine conuersatione. 2, quia inter quos vel nulla, vel rarior est cōuersatio & collocutio, in eorū amicitiâ facile oritur suspicio, diffidentia, & tandē plenaria obliuio & dissolutio amicitiæ. Vnde etiam inter amicos absentes crebrū requiritur literarū cōmerciū. 3, quia amici cōuersatio neces-

Pro thesi affirm.
Ratio
1
2
Aristoteles lib. 8. Ethic. Nic. c. 5. item lib. 9. cap. 12. Kecker. in lib 3. Syst. Eth. cap. 6.
3

saria est in vtraque fortuna: in secunda quidem ad iucunditatem; in aduersa verò ad auxilium & solatium: & vita solitaria in vtraque fortuna est
4 molesta. 4, quia videmus iuuenes propterea ad conciliandam amicitiam esse aptos, quod sint in conuersando amabiles: contra senes non esse aptos ad conciliandam amicitiam, quia sunt mo-
5 rosi & solitarii. 5, quia amici conspectus amico
6 valdè est iucundus. 6, quia omnis societas requi-
7 rit conuersationem. Ergo etiam amicitia. 7, quia ex conuersatione amicus cognoscit suum ami-
8 cum esse incolumem, quo nihil ei est gratius. 8, quia possunt inter se amici per conuersationem exercere studia virtutis, & alter per alterum fieri
9. melior. 9, quia ad contrahendum amicitiam necessaria est conuersatio, quatenus ex ea paulatim nascitur morum & studiorum similitudo, quæ efficacissimè gignit amicitiam.

Obiectio. At contra hanc sententiam obiici potest hoc argumentum: Si in amicitia requiritur conuictus & conuersatio crebra, sequitur amicitiam non posse esse inter absentes, præsertim longo loco-

Respondetur ad obiect. rum interuallo seiunctos. Respondeo primum cum Aristotele, amicitiam considerari posse vel κατὰ τὴν ἕξιν, *secundum habitum & propositum mentis*, vel κατὰ τὴν ἐνέργειαν, *secundum actum*. Priori modo amicitiam posse etiam esse inter absentes: posteriori autem modo tantum inter præsentes. Deinde respondeo, amicitiam non tantum habitualem, sed etiam actualem posse esse inter absentes: si modò literas frequentes inter se commutent. Illud enim literarium colloquium analogiâ re-

giâ respondet colloquio & conuersationi, quæ est inter præsentes.

20 *An amicitia facilè & citò cum aliquo sit contrahenda?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia ad amicitiam contrahendam opus est tempore & consuetudine vitæ longiori, iuxta prouerbium: *Multi modi satis vnâ edendi, vt homines inter se veram amicitiam contrahant.* 2, quia cum in animis hominum multæ sint latebræ, multi recessus; prius explorare oportet, an alter alterius amore dignus sit, & num alter alteri tutò fidere possit, quam amicitia nitatur. 3, quia sicut in aliis rebus *quod citò fit, citò perit*: ita amicitia etiam, quę citò suscipitur, citò desinit. 4, quia argumentum est magnæ temeritatis, citò alicui fieri amicum, antequam ipsum rectè nosse didiceris.

Pro thesi negatiua — *Ratio* 1 — 2 — 3 — 4.

21 *An amicitia cum multis sit contrahenda?*

PRo thesi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia vera amicitia in summo gradu amoris consistit, qui advnum potius quam ad multos extendi potest. 2, quia in vera amicitia alter debet valde placere alteri amico: vnus autem pluribus simul valde placere non potest: imò, qui studet omnibus placere, tandem nemini placet; & qui vult omnibus esse amicus, tandem nemini est amicus. 3, quia ad amicitiam contrahendam requiritur diuturna exploratio eorum, qui amici sunt futuri; Multos autem simul explorare est difficile. 4, quia nemo potest simul multis gratificari & inseruire. Vt enim fluuius in multos deductus riuos fluit tenuis ac languidus: sic beneuolentia in multos distracta langueſcit. 5, quia multitudo

Pro thesi neg. *Argum.* 1 — 2 — 3 — 4 — 5

amicorum homini plus tædii & moleſtiæ quàm voluptatis affert; non ſecus ac copia condimentorum non reddit cibos ſuauiores, ſed nauſeam veſcenti mouet. 6, quia cum amicus teneatur ad amici fortunam conformari, ſi plures haberet amicos, cogeretur ad variam eorum fortunam ſimul lætari & triſtari, multiſque contrariis affectibus duci. 7, quia πολυφιλίαν prohibet Pythagoras in Symbolo ſuo, *Ne multis manum iniicias.* Et Ariſtoteles virum bonum neque vult eſſe ἄφιλον, neque πολύφιλον, hoc eſt, *neque nullorum, neque multorum amicorum.*

6

7.

CAPVT VII.

De iis, quæ virtuti morali ſunt oppoſita.

PRÆCEPTA.

1 Fuerunt effecta virtutis moralis in genere. Reſtant quæ eidem ſunt oppoſita, nempe vitium morale & ſimulatio virtutis moralis.

Definitur vitium morale.

2 Vitium morale eſt habitus proæreticus, per quem homo promptus redditur ad improbè turpiterque viuendum.

Diſtribuitur vitium moralis.

3 Eſtque vel excedens, vel deficiens.

4 Excedens vitium eſt, per quod homo à medio ad nimium declinat.

5 Deficiens vitium eſt, per quod homo à medio ad parum declinat.

Cauſæ efficientes vitæ moralis explicantur.

6 Cauſa efficiens vitii moralis, & quidem prima, eſt Diabolus, omnis mali autor.

7 Secunda, & quidem remota, partim eſt natura-

naturalis propensio ad malum ex temperamento corporis orta; partim praua educatio & institutio, partim conuersatio assidua cum improbis.

8 *Propinqua partim est imprudentia, partim crebra prauorum actuum iteratio.*

9 *Simulatio virtutis moralis est, quando homo improbus speciem apparentem probitatis induit ad fallendum alios.*

QVÆSTIONES.

1 *Quid sit vitium morale, & quomodo virtuti morali opponatur?*

Homonymia vocabuli excutitur.

Definitiones aliorum recensentur & examinantur.

QVemadmodum virtus alia est naturalis, alia intellectualis, alia moralis: ita etiam vitium aliud est naturale, aliud intellectuale, aliud morale. Sed de solo morali hoc loco agitur. In quo definiendo video Philosophos inter se non consentire. Aliis enim est recessus à medio, quod virtus moralis obseruat: aliis priuatio rectitudinis moralis, debitæ inesse homini: aliis affectio praua animi cum lege & rectâ ratione pugnans: aliis habitus animi proæreticus in nimium vel parum declinans. 1 2 3 4.

Ex quibus definitionibus priores duæ videntur planè nõ esse approbandæ. Vitium enim morale est habitus, & consequenter qualitas. Ideoq; neq; per recessum, qui est motus; neq; per priuationem definiri potest. Posteriores autẽ duæ sunt quidem meliores, sed tamen labis omninò non expertes, siue genus spectes, siue subiectum recipiens, siue alia attributa definiti. Itaque perfectior est definitio, quâ vitiũ morale dicitur habitus

Propria definitio assignatur.

Quomodo vitium morale virtuti opponatur.

Error Piccol. taxatur.

proæreticus, per quem homo promptus redditur ad improbè turpiterque viuendum. Vnde porrò colligitur, vitium morale opponi virtuti morali non priuatiuè, sed aduersè. Illud enim non minus ac virtus moralis est ens; sed in eo differt, quod virtus moralis est ens bonum: vitium verò morale est ens malum: Proinde errat Piccolomineus, qui statuit omne vitium, quâ vitium, esse defectum, priuationem, & modo aliquo non ens.

2 *An vitium & peccatum inter se differant itemque vitium & vitiositas?*

Statuitur thesis affir.

SVnt multi, qui vitium & peccatũ inter se confundunt, & sic vnum pro altero sumunt. Sed sciendum est, hæc duo inter se plurimum differre. Peccatum enim propriè designat actionem malam, aut saltem omissionem actionis bonæ, quæ actioni virtutis opponitur: Vitium autẽ propriè designat habitum malum, qui opponitur virtuti. Dicimus enim vitium esse, v.g. in equo, quando permanentem aliquam qualitatem habet, ob quam sæpè aut cespitat, aut terretur, aut fræno retineri nequit. Quocirca etiam rectè Aristoteles *libr. 7. Ethic. Nicom. cap.* 8. vitium comparat hydropi seu siti permanenti. Et Augustinus *in libro de perfectione iustitiæ cap.* 4 simile esse dicit vitium curuitati; peccatum verò claudicationi. Sicut enim curuitas est qualitas permanens, à qua oritur claudicatio tanquam effectum à sua causa: ita etiam vitium est qualitas permanens, à qua oritur actio praua seu vitiosa.

Quod autem ad vitium & vitiositatem attinet, etsi hæc vocabula ab Autoribus Latinis sæpè inter

ter se confunduntur, ita vt etiam Cicero *libr. 4. Tuscul. Quæst.* dicat, vitiositatem virtuti esse contrariam: tamen videtur vitium à vitiositate esse distinguendum. Vitium enim propriè notat habitum malum seu vitiosum: Vitiositas verò ipsam malitiam seu prauitatem, quæ nihil aliud est, quam priuatio bonitatis alicui enti inesse debitæ. Ideoque vitium semper est ens, tametsi malum; vitiositas verò nunquam est ens.

3 *An vitium morale vno peccandi actu possit contrahi?*

PRo thesi negante afferri solent hæc argumenta: 1, quia vitium morale est habitus proæreticus. Nullus autem habitus proæreticus vno actu acquiri potest. 2, quia vitium morale assuetudine comparatur. Assuetudo autem non constat ex vno; sed ex pluribus actibus iteratis: Idcircò etiam proxima causa efficiens vitii moralis in præceptis statuitur crebra prauorũ actuum iteratio. 3, quia vitium morale hominem promptum & facilem reddit ad malè agendum. Promptitudo autem & facilitas eiusmodi non vno actu comparatur. 4, quia virtus moralis non potest vno actu bono contrahi. Ergò neque vitium morale. 5, quia vitium morale non potest deponi & corrumpi vna actione proba. Ergò neque acquiri & generari. *Pro thesi negatiua arg.* 1 2 3 4 5.

At in contrariam partem obiici potest hoc argumentum: *Si vitium naturale vno peccãdi actu contrahi potest, etiam vitium morale. Sed verum prius: Ergo & posterius.* Assumptio probatur, quia experientia testatur, per vnum lapsum sinistrum sæpè curuitatem in tibiâ contrahi, & per vnam immo- *Obiectio.*

deratam corporis repletionem à cibo & potu fa-
Respondetur ad obiect. ctam morbum contrahi. Respõdetur autem ma-
gnam esse dissimilitudinem inter vitium natu-
rale & morale. Illud enim esse inuoluntarium
& ad sui productionem non semper necessario
similium actuum frequentationẽ requirere: Hoc
verò esse voluntarium, & non nisi per crebras a-
ctiones malas contrahi posse.

4 *An vitium morale sit spontaneum & voluntarium?*

Prothesi affirm. PRo thesi affirmante adduci solent hæc argu-
Argum. menta; 1, quia vitium morale actionibus vo-
luntariis acquiritur. 2, quia voluntarias ex se edit
1 actiones. 3, quia lege prohibetur. Lex autem ver-
2 satur circa ea, quæ in libero hominis arbitrio sunt
3 posita. 4, quia hominem vituperio & pœnâ dignũ
4 efficit. 5, quia omnis homo improbus sponte est
5 malus, spontéque peccat: siquidem posset non
esse malus, sed bonus; neque malè, sed benè age-
re, si modò vellet: propterea quod per voluntа-
tem & proæresin principium est & quasi geni-
6. tor suarum actionum moralium. 6, quia homo
post peccatum commissum sæpè pœnitudine ma-
læque conscientiæ morsu ita cruciatur, vt seipsum
accusetac increpet. Id autem non fieret, nisi sci-
ret, se sponte peccasse, & potuisse non peccare, si
modò voluisset.

Obiectio ex Platone. Argumenta. At in cõtrariam partem obiicitur auctoritas &
sententia Platonis, qui in Protagorâ sub personâ
Socratis ait, vitia esse inuoluntaria, neminemque
1 fieri sponte malum, spontéque peccare: tum quia
2 vitium morale est ægritudo animi, deterior ægri-
tudine corporis, quæ inuoluntaria est: tum quia
homo

homo non nisi ex insciția peccat: tum quia nemo 3.
appetit seu vult malum, quatenus est malum; sed
tantum bonum. Respondent autem thesis affir- *Soluuntur*
mantis assertores ad primum argumentum, ægri- *argumenta*
tudinem corporis non semper esse inuoluntari- 1
am, cum homo, qui vitam dissolutam & intem-
perantem agit, omniaque medicorum præcepta
& consilia aspernatur, sæpè sponte in morbum in-
cidat, & propterea reprehendatur. Ac etiamsi æ-
gritudo corporis semper esset inuoluntaria, inde
tamen non sequitur, animi ægritudinem quoque
esse talem: cum longè alia sit ratio huius, quam il-
lius. Ad alterum argumentum respondent, ho- 2
minem non semper peccare ex insciția: imò, fre-
quenter esse causam illius insciție, quâ peccat, vel
propter negligentiam, quâ non cognoscit legem,
quam scire debebat; vel propter vitæ dissolutio-
nem; vt, cum ebrius redditur: Et propterea etiam
eiusmodi insciție pœnam à Legislatoribus con-
stitui: Insuper hominem sæpè notitia legis habi-
tuali præditum esse; sed eâ non vti ob negligenti-
am, prauam assuetudinem, appetitumque vehe-
mentem voluptatis, mentis lucem obscurantem.
Ad tertium argumentum respondent, neminem 3.
appetere malum, quatenus est malum, sed qua-
tenus videtur sibi esse bonum. Et quod interdum
ea, quæ per se mala sunt, videntur bona, eius cau-
sam etiam in nobis esse, vel inconsiderationem &
insciția volũtariam, vel prauam assuetudinem,
vel vitæ genus rectæ rationi aduersum. Ideoque
etiam rectè hominem interdum dici sei-
psum excæcare, mentisque acie
priuare.

Kecker. lib. 1. Eth. c. 2.

§ *Quotuplex oppositio sit spectanda in comparatione virtutis cum suis extremis vitiis?*

Oppositio triplex explicatur.

NOn eadem & simplex, sed triplex oppositio est spectanda in comparatione virtutis cum suis extremis vitiis: Vna medii & extremorum; altera extremorum inter se; tertia extremorum cum medio. Quod ad primam oppositionem attinet, virtus suis extremis vitiis ita opponitur, vt alterum excedat seu superet; alterum deficiat & superetur: atque ita cum vno extremorum comparata sit maius quid; cum altero verò comparata sit minus quid. Quod ad alteram attinet, maior est pugna duorum extremorum vitiorum inter se, quam cum virtute: tum quia extrema à se inuicem longius distant, quam à medio: tum, quia maior est dissimilitudo inter extrema quàm inter medium & extremum. Hinc etiam fit, vt propter similitudinem & affinitatem, quam extrema habent cum medio, vitium vnum interdum virtutis speciem induat, & sub ea hominem fallat. Idcircò Cicero in Partitionibus diligenter discernere iubet vitia, quæ virtutem imitantur, ne nos fallant. Nam, vt Iuuenalis canit Satyra 4.

1

2

Fallit nos vitium specie virtutis & vmbra,
Cum sit triste habitu, vultuque & veste seuerum.

Et secundũ Ouidium *lib. 1. De remedio amoris*:

——mala sunt vicina bonis: errore sub isto
Pro vitio virtus crimina sæpè tulit.

3. Quod denique ad tertiam oppositionem attinet, sciendum est, extrema vitia virtuti opponi non æqualiter, sed vnum magis, alterum minus. Interdum enim pro diuersa natura virtutum vitium excedẽs magis aduersatur virtuti, interdũ vitium deficiens: propterea, quod vnum virtuti est similius,

milius, alterum dissimilius; ideoque magis cauendum.

At obiici aduersus secundam oppositionem potest, vitia extrema genere inter se conuenire, & specie tantum differre: virtutem autem cum vitio etiam genere discrepare, ideoq; non rectè dici virtutem minus cum vitiis, quam vitia inter se pugnare. Resp. distinguendum esse inter duplicem pugnam. Virtus enim vitio opponitur, vel absolutè & secundum naturam suam, quatenus est bonum quid: atque hoc modo virtus magis pugnat cum vitiis, quam vitia inter se: vel comparatè tantum secundum similitudinem, quam virtus cum extremis, & extrema inter se habent. Et hoc modo maior est similitudo virtutis tanquam medii cũ vitiis extremis, quam extremorum inter sese; adeoque maior pugna extremorum inter se quam cum medio. *Obiectio.* *Solutio obiectionis.*

6 *An vitium morale sit causa efficiens miseria humana?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia à vitio morali profluunt actiones malæ, quæ hominẽ in miseriæ barathrũ præcipitant. 2, quia vitiũ morale ex se gignit malam conscientiam, quæ nihil aliud est quàm notitia malefactorum, quam homo secum in corde abditam gestat; semperque secum tristitiam & metum trahit. 3, quia hominem dignum vituperiis & pœnis, adeoque inglorium & infamem efficit. 4, quia rectum omnium bonorum terrenorum vsum corrumpit & tollit, & in eius locum abusum substituit. 5, quia hominem efficit Deo probisque omnibus inuisum, odiosum & detestabilem. 6, *Prothesis affirm.* *Ratio* 1 2 3 4 5 6

quia hominem Diabolo assimilat & ab æternæ beatitudinis consortio excludit. 7, quia virtus moralis est causa efficiens felicitatis humanæ. Ergò cum contrariorum sint contraria effecta, sequitur vitium morale esse causam efficientem miseriæ humanæ.

Finis Libri primi.

ETHICÆ GENERALIS
LIBER SECVNDVS.
In quo agitur
De virtutibus moralibus, quas homo partim erga Deũ, partim erga seipsum principaliter exercere debet.
CAPVT I.
De Diuisione virtutis moralis; & speciatim de pietate.
PRÆCEPTA.

Hactenus explicata est natura virtutis moralis. Sequitur eiusdem diuisio, secundum quam virtus moralis alia est ordinaria, alia extraordinaria.

2 *Ordinaria est virtus moralis quæ communem hominum naturam & sortem non excedit. Vnde etiam ab aliis dicitur* virtus communis, virtus ciuilis.

3 *Est ergo vel pietas, vel probitas.*

4 *Pietas*

4 *Pietas est virtus moralis, per quam homo promptus redditur ad cultum religiosum Deo præstandum.* Pietas desi. nitur.

5 *Ei in excessu opponitur superstitiositas; in defectu impietas.*

6 *Superstitiositas est vitium morale, per quod homo procliuis est ad colendum Deum alio quam decet, modo.*

7 *Impietas est vitiũ morale, per quod homo à cultu religioso Deo præstando est alienus.*

1 *An virtus moralis possit diuidi in species essentialiter inter se distinctas.*

FVerunt olim multi Philosophi, qui thesin negantem defenderunt. Rationes ipsorũ sunt: Opinio aliorum exponitur.
1, quia omnes virtutes morales sunt eiusdem naturæ, & non nisi nominibus & obiectis differunt. Ratio 1
2, quia virtutes moral. inter se non sunt oppositæ; cum omnes possint esse in vno & eodem subiecto. 2
Species autẽ eiusdem generis inter se sunt oppositæ; cum per oppositas differentias constituantur,
3, quia virtutes morales ita inter se sunt cõnexę, vt 3
positâ vel sublatâ vnâ in homine, reliquę etiam omnes simul ponantur, vel tollantur. Species autẽ distinctę sub eodẽ genere positæ nõ ita se habent, vt vnâ positâ vel sublatâ, etiam altera ponatur vel tollatur. 4, quia communis forma omnium virtutum mor. est prudentia, quatenus mediũ illarum, 4
in quo versantur, præscribit. 5, quia omnes virtutes morales sub iustitia vniuersali comprehenduntur, iuxta illud Theognidis: 5.

Ἐν δ' ἰ δικαιοσυνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή' στι. Superior opinio reiicitur.

Cæterum, hæc opinio simpliciter est falsa

& absurda: confundit enim inter se ea, quæ partim definitionibus, partim causis efficientibus & finibus, partim obiectis, partim effectis propriis differunt. Neque obstant rationes allatę. In prima enim distinguo primum inter naturam genericam & specificam; ac concedo quidem, virtutes omnes morales esse eiusdem naturæ genericæ, sed specificæ nego. Deinde nego easdem solis nominibus inter se differre; non autem ipsâ essentiâ specificâ: cum obiectis inter se differant, etiam ex concessione Aduersariornm, à quibus solet peti differentia specifica virtutum moralium.

Soluuntur Rationes

1

2 In alterâ dico, virtutes morales inter se esse oppositas, non ratione subiecti recipientis, in quo omnes simul inter se conueniunt; sed secundum ea, in quibus inter se dissentiunt, vt sunt propria essentia, propria causa, efficiens & finis, proprium obiectum & effectum.

3 In tertiâ petitur principium, hoc est, pro vero & certo sumitur quod tamen falsum est & controuersum, vt in alia quæstione postea demonstrabitur.

4 In quartâ falsum est, prudentiam esse formam communem virtutum moralium: cum potius sit generalis illarum causa efficiens, vt *libr.* 1. *Ethica generalis cap.* 3. *Quæst.* 8. probatum fuit. Ac etiamsi concederetur hoc, nondum tamen inde probari posset conclusio: cum vnum & idem ens possit habere formam genericam & specificam.

5. In quintâ concedo, omnes virtutes morales sub iustitia vniuersali comprehendi; sed inde non concluditur, illas inter se specie non differre.

2 An virtus moralis rectè distribuatur in vniuersalem & particularem?

VSitata & recepta est apud Philosophos diuisio virtutis moralis in vniuersalem & particularem. Vniuersalem vocant, quæ omnes virtutes particulares ambitu suo complectitur. Eaque vulgò dicitur iustitia vniuersalis, & definitur obedientia erga omnes leges, seu habitus obtemperandi omnibus legibus. Quanquam etiam non ineptè dici potest charitas vel obedientia generalis. Est enim charitas generalis habitus rectè diligendi Deum, nosmetipsos & proximum. Obedientia verò generalis, (quatenus sumitur non pro actione, sed pro qualitate) est habitus parendi omnibus legibus. Vbi autem est eiusmodi charitas & obedientia; ibi est iustitia vniuersalis: itaque iustitia vniuersalis, charitas & obedientia generalis inter se non differunt reipsâ; sed tantum nominibus & ratione. Particularem autem vocant singulam speciem virtutis moralis sub vniuersali comprehensam; cuiusmodi est temperantia, fortitudo, liberalitas, veracitas, &c.

Opinio communis exponitur.

Charitas generalis quid.

Obedientia generalis quid.

Hinc igitur patet, diuisionem illam virtutis moralis in vniuersalem & particularem planè esse ineptam & ridiculam. Perinde enim est, ac si quis genus aliquod, v.g. animal, diuidat in vniuersale & particulare. Ipsum enim genus est vniuersale, quod sub se particularia comprehendit. Sic etiam ipsa virtus moralis generaliter sumpta est vniuersalis, & sub se reliquas omnes virtutes particulares, tanquam species, continet. Ideoque errant illi qui iustitiam vniuersalem seu charitatem & obedientiam generalem putant esse speciem

Superior opinio reiicitur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0157
DFG

aliquam virtutis moralis generaliter sumptę: cum planè ab ea non differant, nisi solis vocabulis.

3 *An virtus moralis rectè distribuatur in dirigentem & directam?*

Opinio aliorum commemoratur.

SVnt quidam ex recentioribus Philosophis, qui virtutem moralem diuidunt in dirigentem & directam. Dirigentem vocant virtutem communem seu vniuersalem; quæ tanquam norma speciales virtutes regit & gubernat: eamq; præsupponere asserunt amorem Dei, suiipsius & proximi. Et hanc subdiuidunt in prudentiam & iustitiam vniuersalem tanquam species. Directam vocant virtutem specialem seu particularem, quæ per virtutem communem, nempe prudentiam & iustitiam vniuersalem regitur.

Improbatur opinio aliorum.

Verum hæc distributio non minus, ac superior, videtur reiicienda esse. Nam: 1, secundum interpretationem ipsorum Auctorũ, coincidit cum eâ, quæ in præcedente quæstione fuit reprobata:

Ratio

1 Ideoque etiam eodem vitio laborat. 2, prudentiam inter virtutes mor. numerat, quæ tamen non est virtus mor. sed intellectualis, adeoq; causa efficiens & dux omnium virt. moralium, vt patet ex *c. 3. lib.* 1. Neque valet exceptio, quâ prudentia statuitur esse quædam virtus mixta ex intellectuali & morali. Ac intellectualis quidẽ dicitur esse ratione subiecti & causæ effic. quia pendet ab hominis ingenio & iudicio: moralis verò, ratione obiecti & finis; quia per se non perficit intellectum sed appetitum: & non tam tendit ad felicitatẽ contemplatiuam, quam practicam. Illa enim exceptio in duobus potissimũ petit principium: 1, quod prudẽtiam statuit virtutẽ mixtam esse ex intellectuali &

2.

Occurritur exceptioni.

li & morali: cum tamen tantum sit intellectualis, ex communi Arist. & aliorum Philosophorũ sententia. 2, quod negat prudentiam per se perficere intellectum: cum tamen sit virtus intellectualis, adeoque notitia bonorum, malorũ & neutrorũ. Ac etiamsi vera & solida prudẽtia indiuisibili noxa cum virtute morali sit coniuncta, adeoque sit causa illius efficiens propinqua: inde tamẽ probari non potest, quod sit species virtutis moralis.

4 *An virtus moralis recte distribuatur in ordinariam & extraordinariam?*

STatuitur thesis affirmatiua. Ratio est, quia virtus moralis alia ordinario & vsitato modo homini inest, ita vt intra communes naturæ & conditionis humanæ terminos maneat & contineatur: alia vero eidem inest extraordinario & inusitato modo, ita vt communes naturæ & conditionis humanæ terminos excedat, seu hominem supra communem conditionem eleuet. Prior vulgo dicitur virtus communis seu ciuilis; posterior, virtus Heroica. *Thesis affir. defenditur.*

Quod si quis obiiciat, hanc distributionem nõ esse generis in species, sed subiecti in sua accidentia: respondeo, illam per se quidem non esse diuisionem generis in species: cum membra ipsius tantum secundum magis & minus differant: sed tamen hoc loco pro eiusmodi diuisione sumi & vsurpari: cum meliores & accuratiores differentiæ specificæ non occurrant. Necesse enim erat, distinguere inter se virtutem communem & heroicam, & vtramque seorsum explicare. Id quod fieri non potuisset, nisi diuisio illa fuisset statim ab initio expressa. *Prolepsis.*

5 *An virtus moralis rectè distribuatur in inchoatam seu imperfectam, & perfectam?*

An virtus moralis recipiat magis & minus.

VT veritas huius quæstionis rectius intelligatur, necesse est, vt alia huic cognata excutiatur; vtrum virtus moralis recipiat magis & minus. Sunt enim alii, qui thesin negantem; alii qui affirmantem defendunt.

Arg. pro thes. neg.

Argumenta pro thesi negante sunt: 1, quia virtus moralis in medio geometrico posita est, quod vnum est & indiuiduum, & nonnisi vno modo attingi potest. 2, quia quicquid recipit magis & minus, id cum cõtrario misceri potest. Virtus autem moralis cum vitio contrario misceri non potest. 3, quia quicquid recipit magis & minus, id nõ est perfectum & absolutum. Virtus autem moralis est perfecta & absoluta: siquidem perficit id cui inest, & actionem eius. 4, quia sicut recto nihil est rectius; ita neque bono quicquam est melius. 5, quia si virtus moralis reciperet magis & minus, non esset media inter excessum & defectum. Ei enim quod inter excessum & defectum est medium, non conuenit vel adiectio, vel detractio.

1 2 3 4 5.

Argumenta pro thesi affirmatiua

Argumenta pro thesi affir. sunt: 1, quia in nobis ipsis & aliis deprehendimus virt. moralẽ per gradus recipi, & in vno magis, in alio minus esse perfectam. 2, quia virtus mor. acquiritur per assuefactionẽ honestarumq; actionum exercitationem. Ergò quo maior vel minor est assuefactio, honestarumque exercitatio, eò magis etiam & minus virtutis moralis habitus comparatur. 3, quia non omnes viri boni æquè digni honore censentur, nec omnibus æquales honores distribuũtur. Ergò cum honor sit præmium virtutis, sequitur hanc

1 2 3

non

non omnibus æqualiter ineſſe. 4, quia delectatio, quâ afficimur in obeũdo virtutis munere, & quæ ſignum eſt habitus contracti, non eſt æqualis in omnibus. Vnus enim magis, alter minus actionibus probis delectatur. Ergo neque virtus moralis æqualiter omnibus ineſt. 5, quia vitium morale eiuſque actiones recipiunt magis & minus, vt patet ex gradibus delictorum: Ergò etiam virtus moralis. 6, quia contraria ſententia, quæ ſtatuit virtutem moralem in indiuiduo eſſe poſitam, nec vllo pacto recipere magis & minus, manifeſtè aduerſatur experientiæ & rectæ rationi. 4 5 6.

Cæterùm, pro deciſione quæſtionis huius obſeruanda ſunt ſequentia theoremata; 1, virtutem moralem duplicem habere perfectionem; vnam eſſentialem, alteram accidentalem. Secundum priorem non recipere magis & minus. Illam enim eſſe indiuiduam, neque vel intenſionem vel remiſſionem admittere. Secundum poſteriorem verò recipere magis & minus. 2, virtutis moralis medium habere latitudinem quandam, intra quam ita contineatur, vt ab exceſſu & defectu ſit & maneat diſcreta. Atque reſpectu illius latitudinis virtutem moralem recipere magis & minus. 3, virtutem moralem duobus modis conſiderari poſſe ſecundum perfectionem ſuam accidentalem, vel quatenus omnibus numeris eſt abſoluta, vel quatenus non eſt omnibus numeris abſoluta. Ac priore quidem modo non recipere magis & minus: poſteriore autem recipere magis vel minus pro intenſione ſeu remiſſione rerum, quæ ad virtutem vel conſtituendam, vel exercendam requiruntur.

Pro deciſione Q. theorem. traduntur. 1 2 3.

Soluuntur Argumenta. Supereſt igitur, vt ad argumenta pro theſi negante allata reſpondeatur.

1 In primo nego ſimpliciter verum eſſe, quod medium virtutis moralis ſit planè indiuiduum, & non niſi vno modo attingi poſſit. Licèt enim hoc cõcedi poſſit de virtute omnino perfecta tam ſecundum accidens quam ſecundum eſſentiam: tamen cõcedi nequit de virtute mor. indefinitè cõſideratâ. Eius enim medium, tametſi vnum ſit; tamen habet latitudinem quandam, intra cuius terminos rectitudo conſiſtit. Præterea, etiamſi ſimpliciter concederetur, virtutis moralis mediũ eſſe indiuiduum: tamen inde neceſſariò non ſequeretur, virtutem moralem non recipere magis & minus: cum erga vnum & indiuiduum medium homo vario modo affectus eſſe poſſit, modò conſtanter, modò inconſtanter.

2 In altero argumento nego propoſitionẽ. Nam in iis, quę habent medium per negationẽ vtriuſq; extremi, remiſſio non fit per admixtionem contrarii; ſed per acceſſum, & receſſum ab aliquo extremorum. Tale autem ens eſt virtus: Ideoque ei magis & minus conuenit per acceſſum ad exacte perfectũ, & receſſum ab eo in illa latitudine quæ eſt extra vitium.

3 In tertio argumento propoſitio eſt vera de eo, quod omnibus numeris eſt perfectum & abſolutum. Sed ita virtus moralis ſemper non eſt in homine. Ideoque in hoc ſenſu aſſumptio eſt falſa.

4 In quarto argumento non ſimpliciter verum eſt, quòd recto nihil ſit rectius, niſi id quod rectũ eſt, abſolutè & exactè ſit rectum, quale in Mathematicis locum habet.

In

In quinto argumento negatur propositio connexa. Ei enim quod inter excessum & defectum est medium, conuenit magis & minus, quãdo habet latitudinem aliquam, vt virtus moralis. 5.

Cum itaque iam satis demonstratum sit, virtutem moralem certo quodam modo recipere magis & minus, inde iam concluditur quoque, virt. moralem rectè distribui in inchoatam seu imperfectam & perfectam. Etsi enim non est distributio generis in species, sed subiecti in sua adiuncta: tamẽ vtilis est & obseruatione digna, ad euellendum grauẽ aliorum errorem, qui putant virtutis habitum non per gradus, sed vna vice perfectè acquiri. 2. virtutem inchoatam & imperfectam non posse dici virtutem, sed semiuirtutem. *Decisio quæstionis proposita.* *Prolepsis.*

6 *Quomodo virtus moralis perfecta ab imperfecta differat?*

ETsi non difficile est ex præcedente quęstione declarationem huius petere: tamen clarioris doctrinæ gratiâ visum est nonnullas, easq; præcipuas differentias hoc loco attingere, quibus virtus mor. perfecta ab imperfecta discernitur.

Prima differentia est, quod virtus perfecta est habitus exactus constans & difficulter mutabilis: Virtus autem imperfecta est habitus inchoatus, incõstans & facilè mutabilis, 2, quod virtus perfecta non nisi lõgâ & crebrâ honestarum actionum exercitatione & iteratione acquiri potest: virtus autem imperfecta breui exercitatione & assuefactione cõparatur. 3, quòd virtus perfecta excludat in homine omnem pugnam rectæ rationis & appetitus: virtus autem imperfecta non itidem. 4, quod virtus perfecta summam & plenam in agen- *Differentia* 1 2 3 4.

do voluptatem homini parit: virtus autem imperfecta ſemiplenam voluptatem, nempe cum moleſtia aliqua mixtam.

7 *An detur certus numerus virtutum moralium?*

IN quæſtione prima huius capitis probatum fuit, virtutem moralem rectè diuidi in ſpecies eſſentialiter inter ſe diſtinctas. Iam igitur quæritur, an illarum ſpecierum detur certus aliquis numerus nec ne? In ea enim re videntur Philoſophi inter ſe diſſentire: cum alii plures, alii pauciores ſpecies virtutis moralis recenſeant. Alii enim quatuor tantũ ponunt, quas vocant Cardinales, nempe prudentiam, fortitudinẽ, iuſtitiam & temperantiam. Alii his quatuor addunt ſanctitatem, vt Plato. Alii vndecim conſtituunt, vt Ariſtoteles *lib.* 2. *Ethic. Nicom.* cuiuſmodi ſunt fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, moderata honoris appetitio, magnanimitas, manſuetudo, affabilitas, vrbanitas, veracitas, & iuſtitia. Alii his vndecim addunt amorẽ noſtri, ſapientiam, prudentiam, pietatem, parſimoniam, beneuolentiam, obedientiam, hoſpitalitatem, amicitiam, gratitudinem, verecundiam, taciturnitatem, ciuilitatem, humilitatem, grauitatem, miſericordiam, ſpem & id genus alias. Etſi verò ex tanta opinionum varietate videatur concludi poſſe, non dari certum numerum virtutum moralium: tamen contraria ſententia magis eſt approbanda. Ideoque deinceps etiam in recenſendis & tractandis ſpeciebus ſingulis virtutis moralis, quantum fieri poteſt, dabo operam, vt eius veritas eluceſcat.

Opiniones aliorum recẽſentur.

1

2

3

4.

Quæſtio deciditur.

Inte-

Interim de superioribus opinionibus in genere sciendum est: 1, illas annumerare speciebus virtutis moral. quę reuera species illius non sunt: sed aut virtus vniuersalis, vt caritas & obedientia; aut virtutes intellectuales, vt sapientia & prudentia; aut affectus, vt beneuolentia, misericordia, spes; aut effectum virtutis moralis, vt amicitia, *&c.* 2, illas confusè sine certo ordine enumerare species virtutis moralis. Id quod magnum in docendo vitium est, magnamque secum affert obscuritatem. *Superiores opiniones examinantur.*

8 *An virtutes morales ita inter se sint connexæ, vt vna sine altera consistere nequeat?*

COmmunis opinio Philosophorum moralium tam veterum, quàm recentiorum est, virtutes morales tam indissolubili vinculo inter se esse connexas, vt vna sine altera consistere nequeat. *Pro communi opinione.*

Argumenta ipsorum sunt: 1, quia sicut vitia summoperè dissident, & cum virtutē, tum seipsa mutuo destruunt: ita ex aduerso summa est consensio & harmonia inter virtutes morales, quæ sibi mutuò respondent seque mutuò perficiunt. 2, quia omnes virtutes morales pendent à prudentia tanquam duce & moderatrice. 3, quia omnes diriguntur ad honestum tanquam communem finem. 4, quia non tantum honestum constanter amant & expetunt omnes; sed etiam seipsas mutuò diligunt: cum vnaquæque in se sit honesta. 5, quia virtutis vniuersalis ambitu omnes comprehenduntur. 6, quia actiones à virtutibus moralibus prodeuntes ita inter se conspirant & *Argum.* 1 2 3 4 5 6

sunt colligatæ, vt vna perfectè sine altera exerceri non possit. 7, quia à qualibet virtute morali homo absolutè probus denominatur; non secus ac à quolibet vitio morali dicitur absolutè improbus. Nemo autem dicitur absolutè probus, nisi qui omnibus virtutibus simul est præditus: nisi velimus statuere, aliquem simul absolutè probum, & improbum dici posse. 8, quia omnes virtutes moral. pendent à proæresi recta: Proæresis autem recta, sequitur rectam consultationem: recta consultatio sequitur rectã finis expetitionem. At cui recta proæresis, consultatio, finisq; expetitio competunt, ei necesse est omnes virtutes competere. 9, quia omnes particulares virtutes morales constituunt vnam virtutẽ vniuersalem, tanquam membra integrum. Integrum autem est, quod omnibus suis membris cõstat. 10, quia nulla virtus moralis omnibus suis numeris est absoluta, nisi cum cæteris sit iuncta: siquidem sese mutuo perficiũt, augent, sibique opem ferunt. 11, quia per cuiuslibet virtutis actiones rectè paramur erga communem finẽ, nec perfectè exercemur pro vna, quin exerceamur pro aliis. 12, Hoc idem testatur Aristoteles *lib. 5. Ethic. ad Nicomach. cap* 13, cum inquit, in virtutibus naturalibus fieri posse, vt inter se separentur: In virtutibus autem moralibus, secundum quas homo absolutè dicitur probus, nõ posse. Cæterum, contra hanc sententiã alii obiiciunt sequentia argumenta: 1, quia communis experientia testatur, in vno homine hanc, in alio aliam virtutem moralem reperiri. Et propterea etiam Protagoras apud Platonem asserit, multos extitisse viros fortes, qui neq; fuerint temperan-

7 8 9 10 11 12

Contra communem opinionem. Argumenta. 1

tes,

tes, neque iusti. Et rursus multos extitisse temperantes & iustos, qui non fuerint fortes. 2, quia si virtutum moral. vna sine altera consistere nequit, sequitur neminem esse virtute morali præditum: cum nemo reperiatur, in quo omnes virtutes morales simul refulgeant, nihilq; desideretur. 3, quia virtutes nonnullæ inter se pugnare videntur, ita vt vna alterã repellat, v.g. liberalitas magnificentiam, moderata honoris appetitio, magnanimitatem. 4, quia conditiones quorundam hominum pugnare videntur cum conditionibus quarundã virtutum: siquidẽ viri pauperes & obscuri nõ possunt esse magnifici & magnanimi. 5, quia virtutes mor. assuetudine honestarumq; actionum iteratione acquiruntur. At sæpè contingit, vt aliquis in actionibus huius virtutis magis, quã alterius versetur; magisq; ad vnũ, quàm ad alterũ actionum genus sit facilis; magisq; abundet instrumentis & opportunitatibus pro vna quàm pro altera virtutis actione. Et quoniam homo actionibus temperantiæ non euadit fortis: neque actionibus fortitudinis temperans, sed fortis: Ideo potest homo vnam virtutem moralem acquirere sine aliis. 6, quia connexio virtutum moralium neq; est de essentia illarum, neque essentiam necessariò consequitur; sed tantum contingenter. 7, quia si vna virtus non posset esse sine altera, sequeretur inde: 1, vnam esse causam procreantem alterius. 2, vnam non prius in nobis quàm alteram generari. 3, vnã in homine positã omnes poni, & vnã destructa omnes destrui. 2 3 4 5 6 7.

Pro enodatione huius quæstionis Piccolom. *gradu 4. Philosophiæ ciuilis cap. 41. & seq.* distin *Quæstio deciditur per distinct.*

Decisio Pic. guit primò inter virtutes morales, quatenus sunt inchoatæ & imperfectæ, & quatenus sunt perfectæ, omnibusque numeris absolutæ. Priore modo concedit virtutes morales non esse necessariò inter se connexas, sed vt plurimum seiunctas inueniri. Posteriore autem modo negat. Deinde distinguit inter attributa virtutum moralium interna, necessaria & essentialia, cuiusmodi sunt prudentia, præelectio, honesti desiderium, constantia; & inter attributa externa contingentia & separabilia: cuiusmodi sunt, quòd homo per naturam ad vnum potius quàm aliud actionis genus est facilis: quod magis abundet instrumentis vnius quàm alterius virtutis: quod magis per varias occasiones versetur in vno, quàm alio actionis genere: quòd in vno eodemque homine modò vna, modò alia virtus refulgeat ob externas circumstantias. Respectu priorum attributorũ ait, virtutes morales perfectas esse inter se necessariò connexas, non autem respectu posteriorum.

Verum hæc sententia Piccolominei grauibus videtur difficultatibus non carere. Nam: 1, virtus
1 moralis aut nunquam, aut rarissimè inuenitur in homine omnibus numeris perfecta & absoluta, sed plerumque imperfecta. Et hoc etiam indicare voluit Diogenes cum in meridie accensâ lucernâ hominem exactè probum quæreret, & nullum
2 se inuenire posse affirmaret. 2, etiamsi fieri posset, vt virtus aliqua moralis in homine esset perfecta; non tamen vlla firma & solida ratio proferri potest, cur necesse sit cum ea cæteras omnes necessariò esse connexas. 3, imò, quia vnaquæque vir-
3. tus habet non tantum communia attributa; sed etiam

etiam suam propriam essentiam, suas proprias causas, sua propria obiecta & adiuncta, videtur vna absque altera in vno & eodem homine existere posse. Et hoc etiam ipse Piccolomineus, quasi sui oblitus, fatetur *sub finem cap. 2. grad. 4.* quando ait, virtutes cum Scoto vt imperfectas, & quoad ea, quæ sunt propria singularum, & quoad extrinsecus concurrentia, non esse necessariò complicatas.

Proinde concludo virtutes morales esse quidem inter se necessariò connexas ratione communium attributorum, quibus inter se consentiunt & conueniunt; non autem ratione propriorum attributorum; & sic vnam absque altera in homine existere posse. *Propria decisio.*

Restat igitur, vt ad argumenta pro thesi affirmante allata breuiter respondeamus. In primo concedimus summam esse consensionem & harmoniam inter virtutes morales, quâ sibi mutuò respondent, seque mutuò perficiunt, nempe accidentaliter; Sed inde non sequi illas ita inter se esse connexas, vt vna absque altera in homine consistere nequeat. In secundo, tertio, quarto & quinto argumẽto exprimuntur communia duntaxat attributa virtutum moralium, quorum respectu concedo illas inter se esse connexas; sed inde non concluditur, quod ratione propriorum attributorum inter se non sint seiunctæ. In reliquis argumentis omnibus petitur principium, Falsum enim est: 1, omnium virtutum actiones ita inter se esse colligatas, vt vna sine altera perfectè exerceri non possit. 2, à qualibet virtute morali hominẽ absolutè dici probum: cum dicatur pro- *Soluuntur arg. pro thesi affir. allata.* 1 2 3.

bus tantum ſecundum quid: 3, ei, cui competit recta proæreſis, conſultatio & expetitio honeſti, in genere competere omnes virtutes morales: cum vnaquæque virtus à propria proæreſi & expetitione honeſti pendeat. 4, virtutem vniuerſalē habere ſe ad particulares virtutes tanquā integrum ad ſua membra: cum habeat ſe tanquam genus ad ſuas ſpecies. 5, nullam virtutem mor. omnibus ſuis numeris poſſe eſſe abſolutam, niſi cum cæteris ſit coniuncta. 6, nos perfectè exerceri non poſſe pro vna virtute, quin exerceamur pro aliis.

9 *An virtus moralis imperfecta in certas ſpecies diuidi poſſit?*

Opiniones aliorum recēſentur.

PIccolomineus *gradu 3. ciuilis Philoſophiæ*, virtutem moralem imperfectam, quam vocat *ſemiuirtutem*, in tres ſpecies diuidit, nempe obedientiam, continentiam & tolerantiam. Obedientiam, *cap.* 10. vocat diſpoſitionem, quâ vnum alteri ſubiicitur, implens mandata eius. Continentiam vocat affectionem probam, ſequētem rectam rationem, quâ homo abſtinet à voluptatibus repugnante cupiditate. Tolerantiam vocat affectionem probam rationem rectam ſequentem, quâ homo perfert dolores repugnante iraſcendi appetitu. Alius verò ex recentioribus Philoſophis virtutem imperfectam, quam dicit eſſe bonum & virtuti conſentaneū affectū, diuidit primum in imperfectam genere tantū, & imperfectam genere & affectu ſimul. Deinde virtutē genere imperfectam diuidit, vt alia ſit quoad nos, vt pudor ſeu verecundia; alia, quoad proximū, vt ſympatheia, immunitas ab inuidia, immunitas à ſuſpicione: alia partim ad nos, partim ad alios, vt æmulatio

1

2.

& pœ-

& pœnitentia. Postremò virtutem genere & affectu simul imperfectam diuidit in continentiam & tolerantiam, quarum illa versatur circa voluptatem, & Græcè dicitur ἐγκράτεια; hæc circa dolorem; & Græcè dicitur καρτερία.

Superiores opiniones examinantur.

Etsi vero simpliciter improbari non possit, quod virtutis moralis imperfectæ certæ species constituantur: tamē superiores diuisiones videntur non esse approbandæ: tum quia in iis multæ species ponuntur, quæ planè non sunt virtutes morales imperfectę; sed vel affectus, vt pudor, sympatheia, æmulatio & pœnitentia; vel carentia affectus, aut motus mali, vt immunitas ab inuidia & suspicione; vel virtus vniuersalis, vt obedientia; tum quia angustiores sunt suo diuiso; cum tot sint species virtutis imperfectæ, quot sunt species virtutis perfectæ.

10 *An virtus moralis rectè diuidatur in pietatem & probitatem?*

Thesis affir. defenditur.

REperiuntur nonnulli ex recentioribus Philosophis, in quorum numero etiam est Lipsius *lib. 1. ciuilis doctrinæ cap. 2.* qui virtutem moralem diuidunt in pietatem & probitatem. Per pietatem intelligunt eam, quæ erga Deum exercetur. Per probitatem eam, quæ erga nos & alios homines exercetur. Ideoque sumpta est hæc diuisio ab obiecto externo virtutis moralis. Sed cōtra illam distributionem obiici potest: 1, In omni legitima diuisione species inter se dissentire; neque vnam sub altera contineri. Id autem hoc loco nō fieri. Probitatem enim nihil aliud esse, quàm virt. moralem: Ideoq; sicut virtus mor. sub se comprehēdit pietatem, tanquam speciē: ita etiam probi-

Obiectio 1

2 tatem, pietatem. 2, pietatem non tantum exerceri erga Deum, sed etiam erga parentes, patriam, &c. 3, pietatem non ab Ethico, sed à Theologo esse considerandam. Ad saluandam igitur hanc diuisionem, respõdendum est: 1, vocabulum probitatis modò latè & propriè vsurpari pro virtute morali in genere accepta, modo strictè & synecdochicè pro specie virtutis moralis pietati oppositâ. Atque in hac postrema significatione vsurpari, quoties virtus moralis diuiditur in pietatem & probitatem. 2, vocabulum pietatis modò propriè sumi pro virtute quam erga Deum homo exercet; modò impropriè & metaphoricè pro charitate & reuerentia, quam homo debet parentibus & patriæ. Sed hoc loco in priore tantum significatione vsurpari. 3, Pietatem non tantum à Theologo, sed etiam à Philosopho Ethico considerari, non tamen vno & eodem modo ac fine. Ethicum enim considerare pietatem, quatenus est species virtutis moralis & medium consequẽdi temporalem ac terrenam felicitatem: Theologum verò, quatenus est species virtutis Christianæ & medium consequendi æternam ac cælestem beatitudinem.

3. *Respondetur ad obiect.*

1 *Homonymia explicatur.*

1 *Probitatis.*

2 *Pietatis.*

3 *Quomodo pietas ab Ethico & Theologo consideretur.*

II *Quid sit pietas?*

Definitiones aliorum recensentur & examinantur.

DIuersæ pietatis definitiones apud Philosophos reperiuntur. Aliis enim est iustitia aduersus Deum, vt Ciceroni *lib.* 1. *de Natura Deorum*: aliis rectus de Deo sensus, & rectus in Deum cultus, vt Lipsio *lib.* 1. *ciuilis doctrinæ cap.* 2. aliis virtus, quâ legitimo Deum honore veneramur: aliis virtus, quia rectè de Deo sentimus, eundemque ritè colimus.

1

2

3

4.

Sed

Sed nulla ex his definitionibus est, quæ naturam & essentiam pietatis videatur rectè & perspicuè exprimere. Prima enim est ambigua partim ob vocabulum iustitiæ loco generis positũ, quod sumitur modò pro iustitia vniuersali, quæ nihil aliud est, quàm virtus moralis; modò pro iustitia particulari; & sic à pietate distinguitur tanquã vna species generis ab alia: partim ob vocabulũ *aduersus*, quod modò cõtra, modò erga significat.

Altera definitio explicat tantum partim causam efficientem, pietatis, quæ est rectus de Deo sensus seu vera Dei cognitio; partim effectum illius, quod est rectus in Deum cultus. Imò, si rectus de Deo sensus, & rectus in Deum cultus sunt partes seu membra pietatis, vt author huius definitionis vult; etiam hoc respectu definitio non potest consistere. Integrum enim non sunt ipsa membra, ex quibus constat; & vice versâ, ipsa mẽbra non sunt integrum.

Posteriores duæ definitiones partim genus remotum ponunt pietatis, non proximum; partim loco differentiæ specificæ, effectum assignant, aut etiam simul efficientem. Itaq; perfectior & clarior definitio pietatis supra in præceptis tradita fuit, cum dicitur virtus moralis per quam homo promptus est ad cultum religiosum Deo præstandum. *Propria definitio assignatur.*

12 *An pietas inter virtutes morales à Philosopho Ethico rectè numeretur?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia omnes homines non tantum iure naturæ sunt obligati ad colendum Deum; sed etiam omnes, modò sint sanæ mentis, communi consen- *Pro thesi affirmante Ratio* 1

ſu fatentur, Deum religiosè eſſe colẽdum. Et propterea etiam Ariſtoteles *lib.* 1. *Topicor. cap.* 9. caſtigatione & pœnâ dignos iudicat eos, qui dubitant
2 vtrum Deus ſit honorandus. 2, quia ſumma apud homines virtus eſt pietas erga Deum, vt Plato ait
3 *in Timæo.* 3, quia pietas eſt principium, caput & fundamentum cæterarum virtutum. Qui enim pius eſt erga Deum, ille à vitiis & peccatis, quantum fieri poteſt, ſibi cauet, & ſe totum aliarũ virtutum ſtudio tradit. Et propterea non malè dicit Seneca *in epiſt. Neceſſe eſt virum bonum ſummæ erga Deum pietatis eſſe.*
4. 4, quia non tantum ipſa Dei natura & opera Ethnicos ad pietatem inuitarunt, vt Cicero *lib.* 1. *de natura Deorum* teſtatur: ſed etiam ſpes felicitatis futuræ, & metus ſupplicii futuri. Et propterea rectè dixit Plato in Gorgiâ: *Lex & ſemper & nunc etiam extat apud Deos, vt quicunque homines iuſtè piéque vitam egiſſent, cum è vita migrarent, ad beatorum inſulas profecti, in omni felicitate viuerent à malis longè ſeiuncti: Qui verò iniuſtè impiéque vixiſſent, in punitionis iuſtique ſupplicii carcerem, quem tartarum vocant, irent.*

Idem in Epinomide ait: *Hic tibi ſit propoſitus finis, vt Dei cultu & vitæ puritate optatum tandem exitum conſequaris.* Idem teſtatus fuit Socrates, qui vt Cicero narrat *lib.* 1. *Tuſculanarũ queſt.* paulò ante mortem differuit, duas eſſe vias, dupliceſque curſus animorum è corpore excedentium. Nam qui ſe humanis vitiis contaminaſſent, & ſe totos libidinibus dedidiſſent, quibus cæcati velut domeſticis vitiis atque flagitiis ſe inquinaſſent, vel in Republica violanda fraudes inexpiabiles

biles concepissent: iis deuium quoddam iter esse seclusum à concilio Deorum: qui autem se integros, castosque seruauissent: quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seseque ab his semper seuocauissent: essentque in corporibus humanis vitã imitati Deorum: his ad illos, à quibus essent profecti, reditum facilem patere.

13 *An pietas & religio inter se differant?*

Thesis affir. defenditur.

ETsi pietas & religio vulgò sæpè inter se confunduntur, ita, vt vocabulum vnum pro altero sumatur: tamen in accurata docendi ratione inter se sunt distinctæ.

Religio definitur.

Pietas enim est virtus moralis, quâ homo prõptus est ad cultum religiosum Deo præstandum. Religio verò est ipse cultus, qui Deo præstatur. Et hoc testatur etiam August. *lib.* 10. *de ciuit. Dei*, cum ait: *Religio nihil aliud est quam cultus Dei.*

Notatio religionis explicatur.

Et propterea Græcè modò θρησκεία, modò λατρεία, modò θρησκεία appellatur. Ac si notationem nominis Latini spectes, dicitur *religio*, vel à *relegendo*, vt Cicero vult *lib.* 2. *de natura Deorum*, quod is, qui omnia, quæ ad cultum Dei pertinent, diligenter retractat & quasi relegit, sit religiosus: vel à *religando*, vt vult Lactantius, quod hoc vinculo pietatis obstricti Deo & religati simus: vel à *relinquendo*, quod is, qui religiosus est, relinquere debeat res mundanas. Hinc etiam Iustus Lipsius *libr.* 1. *ciuilis doctrinæ capite* 3. cultum Dei definit, quod sit cogniti numinis veneratio, certis legibus, cerimoniisque deuincta: Eumque religionẽ vulgò appellari dicit. De qua religione obseruandum est dictum Iamblichi, quod extat

in libro de mysteriis Ægyptiorum, Sect. 10. Religione nullum aliud iter ad felicitatem esse breuius & tutius.

14 *An cultus Dei rectè distribuatur in internum & externum, & vter sit melior?*

Thesis affir. probatur.

CVm omnes naturales hominis motus ita instituti debeant, vt Deus per eos colatur; Illi autem alii sint interni, alii externi: idcircò rectè cultus Dei alius dicitur internus, alius externus.

Quid cultus Dei internus.

Internus enim cultus consistit in motibus hominis internis: externus verò in motibus hominis

Quid externus.

externis secundum legem Dei conformatis. Et hanc distributionem etiam ponit Lipsius in loco prius citato, vbi internum cultum definit eum, qui in animo & ex animo Deo vero preces concipit, laudes & grates: externum qui hæc eadem per ritus & gestus expromit. Quanquam hæ definitiones, si accuratè examinentur, non videntur

Definitiones Lipsianæ examinantur.

vitio carere. Nam precatio, laudatio, & gratiarum actio pertinent quidem ad cultum internum ratione conceptionis, quæ fit in animo; sed ratione vocalis prolationis ad cultum Dei externum. Et propterea cultus externus nõ tantum per ritus & gestus, sed etiam per loquelam peragitur. Nihil dicam, quod vtraque definitio Lipsiana tam interni, quam externi cultus propriè non competit

Aliorum opinio subiũgitur & examinatur.

ipsi cultui, sed homini, qui eum præstat. Quod autem alii internum Dei cultum in Dei cognitione & timore duntaxat positum esse arbitrantur: externum verò in precatione & gratiarum actione: hæc quoque sententia non videtur vtrumque cultũ Dei perfectè sed imperfectè explicare. Non

enim

enim tantum Deus internè colitur, dum cognoscitur & timetur; sed etiam cum homo eum diligit, omnesque cogitationes & affectus suos ad gloriam Dei dirigit. Neque tantum externè Deus colitur, cum homo precatur & gratias ei agit; sed etiam cum libenter legit & audit verbum eius sacramentaque vsurpat, aliasque ceremonias diuinitus institutas obseruat.

Internus cultus melior externo.

Porrò licèt vterque cultus coniunctus Deo sit gratus & acceptus: Et propterea rectè Cicero *lib. 2. de Natura Deorum* dicat, cultum Deorum esse optimum, eundemque castissimum, atque sanctissimum, vt eos semper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce veneremur: tamen internus longè est nobilior & pretiosior externo: Cum Deus affectum animi internum potius, quam actiones externas corporis respiciat. Idcircò rectè ait Seneca, *optimum animum pulcherrimum Dei cultum esse*. Imò, externus cultus ab interno separatus, Deo est exosus & detestabilis. Proinde opera danda homini est, vt non tantum externa voce, gestu & ritu; sed simul internè puro animi affectu Deum colat ac veneretur, præsertim, cum Christianorum omnis religio sit, sine scelere & sine macula viuere, vt docet Lactantius *lib. 5. instiut. cap. 9.*

Admonitiũcula.

15 *Quæ vitia pietati opponantur?*

CVm omnis virtus moralis versetur inter duo extrema vitia, quorum vnum excedit, alterum deficit: sequitur idem de pietate non posse negari. Sunt autem extrema illa vitia, superstitiositas & impietas; quarum illa in excessu opponitur pietati; hæc in defectu. Superstitiositas est vi-

Superstitiositas.

tium morale, per quod homo propensus est ad
Impietas. Deum aliter, quam ipse vult, colendum. Impietas est vitium morale, per quod homo alienus est à cultu religioso Deo præstando. Et sicut pietas est caput & fundamentum omnium aliarum virtutum, propterea quod qui erga Deum bene est affectus, is etiam erga alios congruenter sese habet: ita impietas est fons & radix omnium aliorum vitiorum: propterea quod qui erga Deum malè est affectus, neque erga alios benè possit esse dispositus. Differt autē superstitiositas à superstitione tanquā vitiū à suo obiecto vel effecto. Superstitio enim propriè est falsus & prauus cultus Dei,
Superstitiositas differt à superstitione. & aduersè opponitur veræ religioni. Vocatur autem superstitio vel ex eo, quod olim superstitiosi
Superstitio definitur. dicebantur, vel qui totos dies precabantur &
Eius notatio explicatur. immolabant, vt sui sibi liberi superstites essent, vt vult Cicero *libr. 2. de natura Deorum*: vel qui superstitem memoriam mortuorum, aut superstites imagines suorum parentum domi tanquam Deos colebant, vt vult Lactantius: vel quod superstantium, hoc est, cælestium & diuinarum rerum, quæ supra nos stant, inanis & superfluus timor sit superstitio. Vnde etiam Græcè dicitur δεισιδαιμονία, quasi dicas, *Dæmonum metus*. Nam vt Cicero ait libro 1. de natura Deorum, *In superstitione ineſt inanis metus Deorum.* Hinc etiam Ethnici superstitionem passim detestati sunt. Vn-
Superstitio detestabilis. de Cicero lib. 2. de diuinatione ait: *Adrem agendam non superstitionem habeas, sed rationem ducem.* Item, *Vt religio propaganda eſt, quæ eſt iuncta cum cognatione Naturæ: ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes eruendæ.* Idem lib. 1. de finibus bonorum &

ma-

malorum inquit: *Superstitione qui imbutus est, quietus esse, nunquam potest.*

CAPVT II.

De Philautia.

PRÆCEPTA.

1 *Tantum de Pietate. Sequitur probitas, quæ est virtus moralis, per quam homo rectè erga semetipsum aliosque homines disponitur.* — *Probitas definitur.*

2 *Estque duplex; una, quæ nosmetipsos respicit, altera, quæ alios homines.* — *Probitas diuiditur.*

3 *Probitas, quæ nosmetipsos respicit, certis classibus distinguitur secundum suas species.*

4 *Primæ classis sunt Philautia & Autarkeia.* — *1. Classis specierum probitatis.*

5 *Philautia est virtus moralis, qua homo propensus est ad seipsum moderatè diligendum.* — *Philautia definitur.*

6 *Ei opponitur in excessu, Authadeia, in defectu Autostygia.* — *Eius extrema vitia explicantur.*

7 *Authadeia est vitium morale, quo homo nimis seipsum & sua diligit.*

8 *Autostygia est vitium morale, quo homo seipsum & sua negligit ac odit.*

QVÆSTIONES.

1 *Quid sit probitas?*

NOn eodem modo probitas à Philosophis moralibus solet definiri. Aliis enim est recta in moribus & actione omni vita ex honesti norma: aliis virtus, per quam nos in humanis re-

ctè gerimus: aliis virtus moralis, quæ actiones in vita instituit ex honesti & decori normâ. Ex quibus definitionibus prior plane est vitiosa siue genus spectes, siue differentias generi additas. Cum enim probitas sit virtus moralis, & hæc sit qualitas; sequitur probitatem per vitam rectam definiri non posse. Cumque reliqua quæ generi adduntur, virtuti morali in genere competant, non possunt propriè soli probitati attribui. Posteriores duæ sunt quidem meliores priore: sed hoc in iis desideratur, quod altera genus remotum exprimit non proprium: altera genericam non specificam differentiam. Itaque perfectior videtur definitio supra posita, quâ dicitur virtus moralis, quâ homo rectè erga se aliosue homines disponitur.

Definitiones superiores examinantur.

1

2 & 3.

Obseruatio.

Vbi tamen obseruandum est, quod antea etiam monui, vocabulum probitatis hoc loco non in propriâ & latâ significatione vsurpari, quatenus idem est ac virtus moralis, & pietatem tanquam speciem suo ambitu comprehendit: Sed in stricta & impropria, quatenus est species virtutis à pietate distincta.

2 *An Philautia sit virtus moralis?*

Pro thesi af. Argum.

PRo thesi affirmante faciunt hęc argumenta: 1, quia Philautia est habitus proæreticus: per quem homo promptus redditur ad probè honestéque viuendum. 2, quia moderatur amorem sui, ne vel ad nimium vel ad parum deflectat. 3, quia versatur inter duo extrema vitia, quorũ vnũ Græcè dicitur αὐθάδεια, quasi dicas *sui placentia*, Latinè *nimius sui amor*; alterum αὐτοστυγία, Latinè *sui odium*, seu *neglectus*.

1

2

3.

At

At in contrariam partem obiici potest, Philautiam aut esse speciem affectus naturalis, nempe amoris; aut saltem esse speciem vitii moralis, quæ à Latinis dicitur *nimius seu cæcus amor sui*. Ideoque inter species virtutis moralis non posse numerari. *Obiectio.*

Respondeo esse Homonymiam in vocabulo Philautiæ, quod modò sumitur pro specie amoris & consequenter affectus naturalis: modò pro specie vitii moralis, quo homo nimis seipsum & sua amat: modò verò pro specie habitus moralis, per quem homo propensus est ad se ipsum moderatè diligendum. In prioribus duabus significationibus non est species virtutis moralis; in posteriore verò est. *Respondetur ad obiect.* *Homonymia Philautiæ excutitur.*

3 *An homo seipsum amare debeat?*

HÆc quæstio à Philosophis in vtramque partem disputari solet.

Argumenta pro thesi affirmante sunt: 1, quia homo pro facultate tenetur imitari Deum. Cum igitur Deus seipsum amet, homo etiam seipsum amare debet. 2, quia simile debet amare simile. Homo autem sibi apprime est similis. 3, quia lex Naturæ & Dei præcipit, vt homo diligat proximum suum sicut semetipsum. Cum igitur dilectio nostri sit regula & norma dilectionis proximi, sequitur hominem prius seipsum quam alios amare debere: præsertim, cũ sibi maximè sit proximus. 4, quia amor sui pendet à notitia sui. Cum igitur homo seipsum nosse debeat, ergo etiam amare. 5, quia homo sibi bene velle & bene facere debet, suique conseruationem & perfectionem appetere ac quærere. 6, quia reprehendi solent illi, qui sibi malè volunt, maléq; faciunt, seque in *Pro thesi affirm.* *Argum.* 1 2 3 4 5 6.

Pro thes. neg. Argum. pericula & miserias coniiciunt. Argumenta pro
thesi negante sunt: 1, quia amor sui à Philosophis
1 numeratur inter vitia moralia, & qui seipsos a-
2 mant, neglectis aliis vituperari solent. 2, quia a-
mor sui excæcat homines, iisque occasionem ad
multa vitia & peccata præbet. Ex eo enim quòd
nosmetipsos diligimus, fit, vt labores fugiamus,
voluptatem sectemur, nobis in omnibus indul-
geamus & parcamus; nos laudemus & commen-
demus; alios negligamus & spernamus; ad nostra
vitia cæci simus, ad aliena oculati; denique pro-
prium & priuatum commodum alieno & publi-
3 co præferamus. 3, quia illi laudari & commendari
solent, qui neglectis & posthabitis seipsis pro Dei
gloria, pro salute patriæ & Reipub. diuitias & san-
4. guinem suum profundere solet. 4, quia sacra scri-
ptura passim hominem hortatur, vt seipsum ab-
neget; neque alium ab homine amorem exigit,
quàm Dei & proximi.

Pro decisione quæst. Pro decisione quæstionis obseruanda sunt ali-
quot theoremata: 1, Amorem sui alium esse mo-
1 deratum seu rectum, alium immoderatum &
2 prauum. 2, amorem sui moderatum esse, quando
homo seipsum amat, quando, quantum, quomo-
do & in quibus debet: Et hunc esse honestum &
licitum: tum quia legi Naturæ & rectæ rationi est
consentaneus: tum quia per hunc homo perfici-
tur, & ad virtutem actionesque probas rectè dis-
3 ponitur. 3, amorem sui immoderatum esse, quan-
do seipsum amat, quando, quantum, quomodo
& in quibus non decet. Et hunc esse turpem ac
illicitum: tum quia legi Naturæ & rectæ rationi
est contrarius: tum quia per hunc homo fit dete-

rior,

rior, & ad virtutem actionesque probas ineptior. 4, hominem alium esse probum, alium improbum. Ac probum quidem seipsum amare debere: cum in seipso amando nihil agat, nisi quod honestum est, legique Naturæ & rectæ rationi consentaneum, ipsumque perficiat: Improbum verò non debere amare seipsum: cum in se ipso amando plerumque agat, quod turpe est, legique Naturæ & rectæ rationi repugnans, ipsumque peiorem efficiat. Et hanc distinctionem affert etiam Aristoteles *lib. 9. Ethicorum ad Nicomach. cap. 8.* vbi eandem quæstionem prolixè tractat. Sic enim verba eius sonant: Τὸν μὲν ἀγαθὸν δεῖ φίλαυτον εἶναι. καὶ γὰρ αὐτὸς ὠνήσεται τὰ καλὰ πράττων, καὶ τοῖς ἄλλοις ὠφελήσει. τὸν δὲ μοχθηρὸν οὐ δεῖ. βλάψει γὰρ ἑαυτὸν καὶ τοὺς πέλας φαύλοις πάθεσιν ἑπόμενος. hoc est, *probum quidem decet sui amantem esse. Etenim ipse sibi proderit honesta agens & aliis. Improbum autem non. Nocebit enim & sibi, & proximis pravis affectibus obsequens.* 4.

Quod si igitur hæc theoremata obseruentur, inde facilè intelligi potest, quid de vtraque parte quæstionis propositę ac vtriusque argumentis sit sentiendum ac iudicandum.

4 *An homo primo & maximè seipsum amare debeat?*

PRO thesi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia homo primò & maximè amare debet Deum tanquam summum bonum, suumque creatorem ac benefactorem. 2, quia homo publicum bonum præferre debet priuato. 3, quia proximum suum diligere debet sicut seipsum. Ergò non magis seipsum, quam proximum amare debet. *Pro thesi negatiua Arg.* 1 2 3.

Pro thesi affirm. Pro thesi verò affirmante adducuntur hæc argumenta: 1, quia Deus maximè seipsum amat. Cũ igitur homo pro facultate Deum imitari debeat,

Argumenta.
1 maximè etiam seipsum amare debet. 2, quia homo sibi maximè est similis, amicus & proximus. 3,
2
3 quia homo prius & potius tenetur seipsum perficere, quàm alios. 4, quia non licitum est salutem
4. proximi potius, quam suam appetere & consectari.

Quæstio deciditur. Pro decisione quæstionis sciendum est, non simpliciter, sed secundum quid verum esse effatum illud, quo asseritur, quod homo primò & maximè seipsum amare debeat. Nam primò homo Deum primò & maximè amare debet. Deinde post Deum homo primò & maximè amare debet quandoque seipsum, in iis nempe rebus, quæ pertinent ad bonum honestum, ipsiusque hominis perfectionem; inprimis verò ad salutem æternam: quandoque verò proximum in iis, nempe quæ spectant ad bonum, vtile & iucundum.

Vnusquisque tenetur de sua vltima & absoluta perfectione esse solicitus.

5 *Quæ vitia opponantur philautiæ, quatenus est virtus moralis?*

AD meliorem & clariorem cuiusque virtutis moralis notitiam plurimum confert extremorum vitiorum consideratio & cognitio. Idcirco etiam in Philautiæ naturâ plenius explicandâ & intelligendâ vtile est videre, quæ extrema vitia ei opponantur. Illa autem sunt partim αὐθαδεια, hoc est, *nimius & cæcus sui amor*, qui interdum etiam per synecdochen generis dicitur à Græcis φιλαυτία: partim αὐτοσυγία, hoc est, *sui odium* aut saltem *neglectus*, quam αὐτοπμέλειαν vocare quis commodè

Vitia extrema Philautiæ opposita explicantur.

modè posset. Sicut autem vera & bona Philautia facit, vt homo sibi ipse benè velit: benè faciat, secum consentiat, sibi libenter & iucundè viuat, sibi congaudeat, sibi condoleat, denique sui salutem, incolumitatem & perfectionem inprimis expetat & procuret: ita contra vitia opposita faciunt, vt homo sibi malè velit, malè faciat, secum pugnet, secum non libenter & iucundè viuat, se suaque imprudenter negligat; denique sui corruptionem & destructionem sub specie boni sibi attrahat; quemadmodum videmus fieri non tantum in iis, qui in seipsos sunt crudeles, mutilando corpus, aut infamiam mortemque vltrò sibi accersendo: sed etiam in iis qui voluptatibus corporis sunt dediti, & studio illarum partim bona animi negligunt, partim bona corporis & fortunæ dissipant & corrumpunt.

Effecta bona philautiæ & contrariorũ vitiorum traduntur.

6 *An authadeia seu cæcus sui amor vitium sit valdè pernicioſum & deteſtabile?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia est principium & fundamentum omnium vitiorum. 2, quia perstringit & excæcat oculos mẽtis, ne homo seipsum rectè possit agnoscere. 3, quia facit vt homo in grauissimis peccatis sibi facilimè ignoscat & blandiatur; erga alium vero peccantem iudicem inclementissimum agat; etiam ea calumnians, quæ recta sunt, siniſtrè interpretans, quæ sunt dubia, exaggerans quæ leuia sunt. 4, quia facit, vt insipiens, & imprudens sibi sapiens & prudẽs videatur, sapienterq; & prudenter agere. Similiter vt impius & improbus sibi pius & prudens videatur, piéque & probè agere. 5, quia omnium virtutum, tam intellectualiũ, quam

Pro thesi affirm.
Ratio
1
2
3
4
5

moralium est remora & impedimentum; quatenus efficit, vt homo indigentiã illorum bonorum non agnoscat, & propter ignorantiam illam neque ea bona appetat, quærat & sibi comparet: præsertim cum vitio αὐθαδείας fascinatus putet se
6 iam habere ea, quæ non habet. 6, quia facit vt homo seipsum admiretur, de se ipso arroganter loquatur, aliorum admonitiones contemnat aut ægrè ferat, nihilque aliud rectum putet, quam
7 hoc, quod ipse facit. 7, quia facit, vt homo bona sua maiora; & vitia minora iudicet quam reuerâ
8. sunt. 8, quia facit, vt homo seipsum fallat & decipiat. quod deceptionis genus omnium est grauissimum, vt testatur Plato in Cratylo inquiens: τὸ ἐξαπατᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' αὑτοῦ πάντων χαλεπώτατον, *Falli ipsum à se ipso res est omnium grauissima.* Idcircò idem Plato in lib. 5. De legibus cum dixisset, τὸ ἀληθείᾳ γε πάντων ἁμαρτημάτων διὰ τὴν σφόδρα ἑαυτοῦ φιλίαν αἴτιον ἑκάστῳ γίνεσθαι ἑκάστοτε, *reuerâ omnium peccatorum propter nimium sui amorem causam vnicuique semper existere*; postea subiicit hanc admonitionem: Διὸ πάντα ἄνθρωπον χρὴ φεύγειν τὸ σφόδρα φιλεῖν αὐτὸν, τὴν δὲ αὑτοῦ βελτίω διώκειν δεῖ, *Quamobrem omnem hominem oportet fugere nimium sui amorem, & se meliorem sequi decet.*

Testimonium Platonis.

7 *Vnde oriatur cæcus amor sui, & quomodo euitari possit?*

Causæ exponũtur αὐθαδείας.

DVæ sunt causæ, ex quibus tanquam fontibus cæcus sui amor promanat. Prima est ignorantia sui; altera est prauum & corruptum hominis de se suisque rebus iudicium ortum ex sui ignorantia. Quando enim homo seipsum non rectè cognoscit, neque perspicit quæ bona vel mala sibi

sibi adsint vel desint, fieri aliter non potest, quin perperam de se suisque rebus iudicet, & sic sibi ipsi placere incipiat.

Quomodo αὐτάδεια vitari possit.

Qui igitur cupit hoc deterrimum vitium euitare, ei opera danda est, vt seipsum suaque rectè noscat. Id quod etiam monet diuinum illud, omniumque ore celebratum sapientũ apophthegma γνῶθι σεαυτὸν, quod foribus templi Delphici inscriptum fuisse narratur, tanquam oraculum ab ipso Apolline profectum. Idcircò etiam Crœso Delphicum oraculum consulenti, quonam itinere posset ad felicitatem peruenire, responsum fuit, *Si teipsum cognoueris.*

CAPVT III.

De αὐταρκείᾳ.

PRÆCEPTA.

Αὐτάρκεια definitur.

1 *Fuit Philautia. Sequitur* Αὐτάρκεια, *quæ est virtus moralis diuitiarum appetitum & studium moderans.*

Vitia αὐταρκείᾳ opposita explicantur.

2 *Ei in excessu opponitur auaritia, in defectu contemptus diuitiarum, Græcè* ἀφιλοχρηματία.

3 *Auaritia est vitium morale, quo homo nimium appetens est diuitiarum, in iisque colligendis totus occupatur.*

4 *Contemptus diuitiarum est vitium morale, quo homo planè negligit & aspernatur diuitias, neque de iis per iusta media acquirendis vllam curam suscipit.*

QVÆSTIONES.

1 *An* αὐτάρκεια *sit virtus moralis?*

Pro thesi affirmativa

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia

Ratio

1 αὐτάρκεια est habitus proæreticus, per quem homo promptus redditur ad probè honestéque viuendum. 2, quia versatur in mediocritate, quæ est

2 inter nimium & parum. 3, quia appetitum diuitiarum moderatur & refrenat, ne vel in excessu, vel defectu peccet. 4, quia quicunque αὐτάρκης est,

4 hoc est, *qui sufficere sibi putat quæ habet*, suisque rebus contentus est, ille in numero proborum virorum habetur, & per se laudem & honorem meretur.

Idem testatur Cicero paradoxo vltimo, cum ait: Qui virtute prædíti sunt, contenti sunt suis rebus; satis esse putant, quod adest, nihil appetũt, nulla re egent; nihil sibi deesse putant; nil requirunt: Improbi verò & auari plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est, cui,

5 quod haberet, esset satis. 5, quia ad αὐτάρκειαν, tanquam singularem Christianorum virtutem hortatur nos scriptura S. cum alibi, tum 1. *ad Tim.* 6.

6 *In epistol ad Hebr. cap.* 13. ψ. 5. ψ. 6. 7. 8. Ἐσὶ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια μετ' αὐτάρκειας. οὐδὲν γὰρ εἰσενέγκαμεν εἰς τὸν κόσμον, δῆλον, ὅτι οὐδὲ ἐξενεγκεῖν τι δυνάμεθα. ἔχοντες δὲ διατροφὰς καὶ σκεπασμάτα, τούτοις ἀρκεσθησόμεθα. *Est quæstus magnus pietas cum animo suâ sorte contento. Nihil enim importauimus in mundum, manifestum, quod neque exportare quicquam possumus. Habentes verò tegumenta & alimenta, iis*

7. *contenti erimus.* 7, quia ad αὐτάρκειαν tanquam virtutem moralem hortantur nos viri sapientes & prudẽtes, Chrysostomus enim inquit: χρὴ αὐτάρκως τοῖς τὰ ἰδια ἔχειν καὶ ἀρκεῖσθαι τοῖς θεοῖς. *Oportet nos propriis bonis contentos esse, & Deo gratias agere.* Item, Cato Romanus:

Com-

Commoda natura nullo tibi tempore deerunt,
Si contentus eo fueris, quod postulat vsus.

Item Horatius:

Is non est pauper cui rerum suppetit vsus. Item,
Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet.

At in contrariam partem obiici potest, αὐτάρκειαν propriè significare sufficientiam, seu sufficientem copiam & possessionem rerum necessariarum: Ideoque inter species virtutis moralis non esse numerandam. Respondeo per inficiationem antecedentis. Vox enim αὐτάρκεια deriuatur ab adiectiuo αὐτάρκης, quod propriè significat *eum, qui sibi sufficit*, seu *sua sorte contentus est*. Ideoque propriè significat non tam ipsam sufficientiam rerum necessariarum, quam habitum, per quem homo sufficere sibi putat, quæ habet, suâque sorte contentus est. *Obiectio.* *Respondetur ad obiect.*

2 *An diuitiæ homini sint expetendæ?*

PRo thesi affirmante adduci possunt hæc argumenta: 1, quia diuitiæ sunt bona à Deo hominibus concessa. 2, quia sunt instrumenta & adiumenta virtutis tam comparandæ quam exercendæ. 3, quia pariunt homini honorem, fauorem, amicitiam, affinitatem, nobilitatem & felicitatem. 4, quia succurrunt humanæ indigentiæ & necessitati. Vnde Demosthenes 1. Olynthiaca inquit: Δεῖ χρημάτων, καὶ οὐδὲν τούτων ἰσχυρότερον ἐστι τῶν δεόντων γενέσθαι. 5, quia in morbis & calamitatibus multum solatii & subsidii præstant. 6, quia sine diuitiis miserè, obscurè & incommodè viuitur. Et propterea etiam Theognis suadet in præcepto 15. vt paupertatem omnibus modis fugiamus: cùm virum bonum magis, quam senectus *Pro thesi affirm. Argumenta.* 1 2 3 4 5 6.

cana & febris domet: quod libertatem dicendi & faciendi adimat, adeoque ipsa morte sit peior.

Pro thesi negatiua arg.

At contra pro thesi negante afferri queunt hęc argumenta. 1, quia diuitię magnis laborib. & pericu-
1 lis acquiruntur, magnis curis & solicitudinibus
2 conseruantur, magnis doloribus amittuntur. 2, quia excæcant & corrumpunt mentem hominis, eique ansam præbent ad omnis generis peccata & vitia, cuiusmodi sunt impietas, iniustitia, superbia, luxuria, contumelia, ignauia, rixæ, contentiones & bella. Vnde rectè à Poëta vocātur irritamēta malorum. Et Euripides verè dixit· πολλῶν τὰ χρήματ' αἴτι ἀνθρώποις κακῶν. Item Isocrates ad Demonicum: πλοῦτος κακίας μᾶλλον ἢ καλοκἀγαθίας ὑπηρέτης ἐστὶν, ἐξουσίαν μὲν τῇ ῥᾳθυμίᾳ παρασκευάζων, ἐπὶ δὲ τὰς ἡδονὰς τοὺς νέους
3 παρακαλῶν. 3, quia spoliant nos veris & melioribus bonis, aut saltem ab eorum studio & acquisitione abstrahunt; cuiusmodi sunt virtutes, earumque actiones, tranquillitas animi, & id genus alia.
4 4, quia non tantum grauissima sarcina sunt homini in via virtutis currenti; sed etiam tegumen-
5 tum & quasi pallium multorum vitiorum. 5, quia iter ad salutē æternam homini intercludunt. Vnde Christus ait, facilius esse, camelum per foramē acus transire, quam diuitem intrare in regnū Dei.
6 6, quia nunquam tantum adferunt commoditatis, quin longè plus incommodorum secum tra-
7. hant. 7, quia contemptus diuitiarum commendatur, non tantum in Ethnicis, sed etiam Christianis. Vnde Seneca epist. 63. ad Lucilium ait: *Breuissima ad diuitias per contemptum diuitiarum via est*. Et Crates Thebanus laudatur, quod Athenas ad Philosophiam discendā profecturus, magnum

auri

auri pondus, quod secum gestabat, abiecerit, existimans, se non posse virtutes & diuitias simul possidere. 8, quia paupertas liberat hominem à curis & solicitudinibus, eumque ad studium doctrinæ & virtutis impellit. Vnde etiam à Diogene vocatur αὐτοδίδακτον ἐπικούρημα πρὸς φιλοσοφίαν, *sponte doctũ subsidium ad Philosophiam*; item, ab Antiphane ἡ τρόπων διδάσκαλος, *magistra morum*. 8.

Quæstio deciditur per theorem.

Cæterum, vt veritas quęstionis rectius explicetur ac intelligatur, notanda sunt sequentia theoremata: 1, Diuitias per se quidem esse naturaliter bonas bonorumque causam; sed per accidens fieri malas malorumque causas, partim propter nimium earum appetitum, iniustamque acquisitionem; partim propter nimiam & anxiam curam ac sollicitudinem, quam homines impendunt in iis conseruandis; partim propter nimiam fiduciam, quam in iis homines collocãt; partim deniq; propter abusum varium & multiplicem. 2, Diuitiarũ appetitum alium esse moderatum, aliũ immoderatum. Priorem esse licitum, posteriorẽ illicitũ. 3, Illum verè esse diuitem, non qui multũ possidet diuitiarũ; sed qui contentus est diuitiis sibi à Deo concessis, iisque benè vtitur, nihilque sibi deesse putat rerũ ad vitam necessariarũ. 4, contemptũ diuitiarum non laudari absolutè, sed cõparatè consideratum, quatenus scil. homo præ veris, cælestibus & æternis bonis vilipendit diuitias terrenas & caducas. 5, οὐ τὸ πλουτεῖν καλὸν, ἀλλὰ τὸ ἐκ καλῶν πλουτεῖν, vt ait Lycurg. Itẽ χρήματα πορίζειν μὲν οὐκ ἀχρεῖον, ἐξ ἀδικίης δὲ πάντως κάκιον, vt ait Democ. Hinc Plato interrogatus quantas opes habere cõueniret, dixit quantæ possidẽti neq; insidias pariunt, neq; rerũ necessa- 1 2 3 4 5

6 riarum inopiam. 6, melius esse honestè & sine
molestia pauperem esse, quam diuitem turpiter
7. & cum molestia. 7, paupertatem pro indigentia
rerum ad vitam necessariarum sumptam per se
esse naturaliter malam & non bonam; tametsi per
accidens quandoque sit bona, & causa bonorum.

3 *Quid sit αὐτάρκεια, & quæ vita ei opponantur?*

Definitiones aliorum exponuntur.

DEfinitur αὐτάρκεια à Philosophis modò virtus,
1 quâ quis in opum suarum mẽsura quasi suf-
ficienti sibi copia acquiescit; modò virtus, quâ a-
2 nimus suâ sorte contentus est; modò virtus mora-
3 ralis, quoad nos, quæ moderatur desideriũ opum
& possessionũ seu facultatũ externarũ, vt nempè
præsentia boni consulamus, nec plura, quàm pro
occasione tẽporis possidere possumus, anxiè de-
sideremus. Illæ autem definitiones omnes con-
ueniunt in vero sensu cum eâ, quæ à me in præce-
ptis est assignata, cum dicitur virtus moralis diui-
tiarum appetitum & studium moderans.

Vitia αὐταρκείᾳ opposita explicantur.

Porrò αὐταρκείᾳ in excessu opponitur auaritia,
quæ Græcè dicitur modò φιλοχρηματία, modò φιλαρ-
γυρία, modò πλεονεξία, modò αἰσχροκέρδεια. Est enim vi-
tium morale, per quod homo turpi lucro studet,
& insatiabili accumulandi diuitias cupiditate tra-
hitur. In defectu verò opponitur contemptus di-
uitiarum, qui Græcè vocatur ἀφιλοχρηματία. Est e-
nim vitium morale, per quod homo planè negli-
git & aspernatur diuitias, neque de iis iustè acqui-
rendis vllam curam suscipit.

Pro thesi affirm. Ratio

4 *An omni homini αὐταρκεια sit colenda; auaritia vero fugienda?*

1 STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1,
quia

quia αὐτάρκεια est præclara & necessaria virtus moralis: auaritia verò tetrum & detestabile vitium morale. 2, quia αὐτάρκεια moderatur desiderium opum, ne vel ad nimium vel ad parum deflectat, hoc est, ne homo vel plus vel minus, quam decet, diuitias appetat. Auaritia verò impellit hominem ad nimiam & insatiabilem diuitiarum appetitionem & persecutionem. 3, quia αὐτάρκεια facit, vt homo contentus sit suâ sorte, bonisque præsentibus, eaque tueri & conseruare studeat: & sic non tantum supplet defectum earum rerum, quæ nobis desunt; sed etiam prohibet, ne homo contemnat & fastidiat præsentes possessiones, & captando maiores, præsentes illas amittat: quemadmodum cani Æsopico contigisse legimus, qui veram carnem è faucibus amisit, dum eius vmbram in aquis maiorem visam captat. Contrà autem auaritia facit, vt homo nunquam satis habere sibi videatur, sed quo plus possidet diuitiarum, eò semper plus appetat & quærat: & sic illarum studio sæpè vitam & possessiones suas præsentes in extrema pericula deducat, iuxta illud Democriti: Τὸ πλέον ἐπιθυμία τὸ παρὸν ἀπόλλυσι. *Eius quod plus est cupiditas perdit id quod præsens est.* 4, quia αὐτάρκεια hominem verè facit diuitē & beatum, iuxta illud Ciceronis in paradoxo vltimo: *Cui tanta parsimonia est, vt ad liberaliter viuendum facilè contentus sit; qui nihil quærit, nihil appetit, nihil optat melius, hic demum diues appellandus est.* Item, *Contentum suis rebus esse maxima sunt certissimaque diuitiæ.* Cui consentit illud Socratis: ὁ ἐλαχίστοις δεόμενος πλουσιώτερος· αὐτάρκεια γὰρ ἐστι φύσεως πλοῦτος, *qui paucissimis cōtentus est, hic ditior est. Sufficientia enim est naturæ*

opulentia. Item illud Chrysosto. πλούσιός ἐστιν ὁ πολλὰ κεκτημένος, ἀλλὰ ὁ μὴ πολλῶν δεόμενος. *Diues est, non qui multa possidet, sed qui non multis indiget.* In quam sententiam etiam Lucretius canit:

Diuitiæ grandes homini sunt viuere parcè,
Æquo animo: neque enim est vnquam penuria parui.

Contrà autem auaritia hominem verè facit pauperē & miserum. Auaro enim tam deest quod habet, quam quod non habet: quatenus animo vtendi bonis præsentibus destituitur. Et in ipsa bonorum abundantia est egentissimus semperque metu eorum quæ habet amittendorum affligitur. 5. quia αὐτάρκεια est fons multorū bonorum: auaritia autē est radix multorum malorum. Vnde Seneca ad Heluam matrem auaritiam rectè appellat vehementissimam humani generis pestem. cum ei nihil sit satis. Et Bernhardus graphicè hoc vitium describit super Cant. serm. 38. *Currus auaritiæ vehitur rotis quatuor vitiorum, quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio. Porrò iumenta trahentia sunt rapacitas & tenacitas: his ambobus vnus auriga præsidet Ardor habendi. Hic auriga ad vrgendum trahentia flagellum vtitur acerrimo, libidine acquirendi & metu amittendi. Hæc sola auaritia, quia conducere plures non patitur, vno contenta est seruitore.* 5.

An laudabile & vtile sit, diuitias simpliciter contemnere?

Prò thes. neg. STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1. quia
Ratio absolutus contemptus diuitiarum est vitium
1 morale, quod in defectu opponitur Αὐταρκείᾳ. 2.
2 quia parit in cuiusque vocatione ignauiam & socordiam, per quam homo ne manum quidem de

pane

pane quotidiano vertit, vt in prouerbio dicitur.
3, quia parit extremam paupertatẽ & egestatem, 3
quę multorũ malorũ est irritamentum, & multorum bonorum impedimentum. 4, quia qui diuitias simpliciter contemnit, ille erga Deum & Naturam ingratus est: quippe à quibus diuitiæ suam habent originem. 4.
Neque obstat, quod diuitiarum contemptus interdum à viris sanctis & sapientibus approbatur & commendatur. Illi enim non loquuntur de absoluto, sed comparato diuitiarum contemptu, quando nimirum homo præ bonis animi, quæ longè sunt nobiliora & præstantiora contemnit fortunæ bona, & illis potius quam his acquirendis operam nauat. Prolepsis.

CAPVT IV.
De Temperantia.
PRÆCEPTA.

1 *Adhuc de speciebus probitatis ad nos relatæ, quæ sunt primæ classis. Sequuntur secundæ classis species, nempe Temperantia & Fortitudo.*

2 *Temperantia est virtus moralis, appetitum & vsum victus & Veneris moderans.*

3 *Estq; vel sobrietas vel castitas.*

4 *Sobrietas est temperantia circa victum.*

5 *Castitas est temperantia circa Venerem.*

6 *Temperantiæ opponitur partim intemperantia, partim stupiditas.*

7 *Intemperantia est vitium morale in appetitu & vsu victus & Veneris modum excedens.*

8 *Estq; vel luxuria, vel salacitas.*

9 *Luxuria est intemperantia circa victum.*

10 *Estq; vel voracitas vel bibacitas.*

11 *Voracitas est luxuria in edendo modum excedens.*

12 *Bibacitas est luxuria in bibendo modum excedens.*

13 *Salacitas est intemperantia circa Venerem.*

14 *Stupiditas est vitium morale, per quod homo ab omni sensu voluptatis alimentariæ & Veneree abhorret.*

15 *Estque alia victus, alia Veneris nimia abstinentia.*

16 *Nimia abstinentia victus est stupiditas in edendo & bibendo, à modo, quem naturæ necessitas requirit, deficiens.*

17 *Nimia abstinentia Veneris est stupiditas in usurpanda Venere à modo licito deficiens.*

QVÆSTIONES.

1 *Quid sit temperantia?*

Homonymia vocab. Temperantiæ excutitur.

VOcabulum temperantiæ quandoque latè, quandoque strictè usurpatur. Latè sumitur pro virtute, per quam in omnibus rebus modum seruamus. Quo sensu Ciceroni lib. 5. de finibus, *Temperantia* dicitur *moderatrix omnium commotionum*. Atque ita reipsa non differt à virtute morali generatim acceptâ. Strictè sumitur pro certa specie virtutis moralis. Et sic ab aliis definitur,

Definitiones Temperantiæ ab aliis traditæ recensentur.

tur modò virtus, quæ cupiditates corporis crassi- 1
ores moderatur; modò virtus moderans luxum 2
& libidinem; modò virtus modum tenens in vi- 3
ctu cultuque corporis & libidine; modò virtus 4
voluptates moderans, quæ sensu corporis, præ-
sertim gustu & tactu percipiuntur, modò virtus 5
modum seruans in rebus ad corpus pertinenti-
bus, vt sunt cibus, potus, Venus, supellex, vestitus;
modò virtus, quæ animi cõcupiscentiam ad inte- 6
gritatem honesti desiderii seu honestæ volupta-
tis reuocat; modò virtus moderans voluptates 7
gulæ & Veneris; modò probitas, quæ certas volu- 8
ptates & cupiditates moderatur; modò mediocri- 9
tas circa voluptates & dolores ad sensum gustus
& tactus pertinentes; modò virtus, quæ medio- 10
critatem seruat in expetendis & fruendis volu-
ptatibus & perferendâ eâ molestiâ, quam ex pri-
uatione & imminutione voluptatum percipi-
mus; modò ἀρετὴ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ καθ' ἣν ἀνόρεκτοι γίνονται
περὶ τὰς ἀπολαύσεις τῶν φαύλων ἡδονῶν, hoc est, *virtus facul-* *Aristot. in libello de virtutibus.*
tatis concupiscibilis, secundum quam homines in-
appetentes fiunt circa fruitiones prauarum volupta- 11
tum; modò virtus moralis particularis, per quam 12
moderamur ἐπιθυμίαν siue *cupiditatem nutricem &*
generatricem; modò virtus moralis appetitum ci- 13.
bi, potus & Veneris moderans. E quibus defi-
nitionibus vltima est omnium perfectissima, &
planè consentit cum ea, quæ in præceptis est tra-
dita. Reliquæ verò aut latiores sunt suo definito,
aut saltem obscuræ & perplexæ.

2 *Quod sit obiectum proprium & adæquatum temperantiæ?*

VNaquæque virtus moralis habet certum,

proprium & adæquatum obiectum, in quo moderando versatur, vt superiore libro traditum fuit. Ergo cum temperantia sit virtus moral. necesse est, vt hæc quoque eiusmodi obiectum habeat. Illud verò secundum Aristotelem sunt modò voluptates & dolores corporis, quatenus gustu & tactu percipiuntur; modò cupiditates alimenti & rei Veneriæ. In libro enim 3. *Ethic. Nicoma. c. 13.* voluptates, quas vocat ἡδονὰς primum diuidit in ψυχικὰς καὶ σωματικάς. Ac temperantiam quidem dicit versari circa voluptates non animæ, sed corporis. Deinde cum voluptates corporis aliæ visu, aliæ auditu, aliæ olfactu, aliæ gustu & tactu percipiantur; asserit temperantiam per se non versari circa quaslibet voluptates corporis; sed tantum circa eas, quæ ex gustu & tactu percipiuntur, nobisque cum bestiis sunt communes; neque tamen eas omnes, sed illas tantum quæ cõsistunt ἐν τοῖς σιτίοις, & ἐν ποτοῖς, & ἐν τοῖς ἀφροδισίοις, h. e. *in esculentis, potulentis, & rebus Veneriis*, & partim in gula, partim in membris genitalibus sentiuntur. Tertiò cupiditates harum voluptatum, quas vocat ἐπιθυμίας, distinguit in communes & proprias. Per communes intelligit, quibus omnes homines naturæ instinctu afficiuntur: ideoque rectè naturales dici possunt: cuiusmodi sunt appetitiones cibi, potus & Veneris. Per proprias intelligit, quæ ex ἰδιοκρασίαι, seu praua consuetudine oriuntur. Ideoque dicuntur pternaturales & ascititiæ, vt sunt cupiditates certi cibi vel potus, certæque Veneris. Ac temperantiam quidem maximè circa communes cupiditates versari asserit. Denique dolores etiam ad intemperantiæ obiectum refert, quatenus ex voluptа-

luptatum alimentariarum & Veneriarum priuatione oriuntur. Eandem sententiam de obiecto interno Temperantiæ repetit Aristoteles *libr. 1. magnorum moralium cap. 27. & lib. 3. Eudemiorum cap. 2.*

Secundum alios verò, & quidem recentiores, obiectum internum Temperantiæ statuuntur modò cupiditates corporis crassiores; modò luxus & libido: modò victus cultusque corporis & libido: modò voluptates, quæ sensu corporis, maximè gustu & tactu, percipiuntur: modò voluptates gulæ & ventris: modò res ad corpus pertinentes, vt sunt cibus, potus, Venus, supellex, vestitus; modò concupiscentia animi; modò voluptates & dolores corporis ad gustum & tactum pertinentes: modò cupiditates cibi, potus, Veneris, honorum & opum: modò facultatem concupiscendi, eamque tum generatricẽ, tum nutricẽ; modò cupiditatem nutrimenti & Veneris.

Cæterum, ex variis illis & diuersis sententiis, quarum multæ in sano sensu coincidunt, illa sola videtur vera esse & approbanda, quæ pro obiecto proprio & adæquato statuit appetitũ & vsum naturalem victus & Veneris. Illud enim non tantũ Temperantiæ specificam differentiam attribuit, eamque ab omnibus aliis virtutis moralis speciebus essentialiter distinguit: sed etiam sub se complectitur partim voluptates, quę ex victus & Veneris vsu existunt: partim dolores, quæ ex eiusdem imminutione & priuatione oriuntur, partim gustum & tactum, quibus eiusmodi voluptates & dolores percipiuntur. Errant igitur illi, qui ad hoc obiectum vel cultum corporis, vel

supellectilem, vel vestitum, vel honores, vel opes addunt. Hæc enim omnia à Temperantia, prout vox illa in stricta significatione apud Auctores probatos vsurpatur, sunt aliena, & aliis virtutibus à Temperantia distinctis subiiciuntur.

3 *Quomodo Temperantia legitimè sit diuidenda?*

Diuersa aliorum distributiones recensentur.

ETsi apud Aristotelem nulla reperitur diuisio Temperantiæ in species: tamen recentiores Philosophi eandem tradunt. Alii enim temperantiam diuidunt in continentiam & parsimoniam. Ac continentiam quidem definiunt esse temperantiam, quæ voluptates & cupiditates corporis moderatur. Et hanc rursus in sobrietatem & castitatem distinguunt, quarum illam dicunt esse continentiam à superfluo cibo & potu; hanc continentiam ab amore illegitimo, & immodico concessæ Veneris vsu: Parsimoniam verò definiunt temperantiam sumptuum. Alii temperantiam diuidunt in abstinentiam & continentiam: Ac abstinẽtiam quidẽ dicunt esse moderatricem victus; eamque in sobrietatem & parsimoniam dispescunt, quarum illam definiunt abstinentiã à superfluo cibo & potu; hanc temperantiam sumptuum seu virtutem moderatricem expensarum. Continẽtiam verò dicunt esse castitatem, eamq; definiunt virtutem continentem se ab amore vetito & concessi amoris vsu immoderato. Et rursus eandem distinguunt in cælibem & coniugalem. Cælibem vocant, quæ vetat omnes vagas libidines extra coniugium, cuiusmodi est castitas virginum & viduarum. Coniugalem vocant virtutem in coniugio seruantem ordinẽ à Deo institutum.

1

2

Alii

Alii temperantiæ duo genera constituunt. Primi 3
generis temperantiam dicunt esse moderatricem facultatis in homine tum generatricis, tum nutricis. Generatricis facultatis temperantiam generali voce dici posse aiunt continentiam, speciali verò castitatem: & hanc in virginibus vocari virginitatem; in cælibibus & viduis cælibatum & vidualem castitatem; in coniugatis coniugalem. Nutricis verò facultatis temperantiam diuidunt in abstinentiam & sobrietatem; quarum illam in cibo capiendo; hanc in potu sumendo asserunt modum tenere naturæ conuenientem. Secundi generis temperantiam dicunt esse moderatricem bonorum externorum; qualia sunt honores & opes. Et hanc diuidunt in modestiam & parsimoniam seu frugalitatem. Modestiam definiunt esse temperantiam animum in honorũ cupiditate seu studio & vsu moderantem. Et sub ea comprehendunt: 1, modestiã specialius dictã, quæ mediocriũ honorum appetitionem & fruitionem ad æquabilitatem & decorum vitæ generis reuocat. 2, αὐτάρκειαν, quatenus illa ita animum regit, vt honoribus ac statu suo sit contentus; eaque susçipit & agit, quæ cum laude gerere & tueri potest. 3, magnificentiam, quæ in excellentibus honoribus tum expetendis, tum vsurpandis decorè animum componit. Parsimoniam denique seu frugalitatem definiunt temperantiam rerum ac bonorum exteriorum, quæ animum in opum ac pecuniarum cupiditate ac fruitione seu vsurpatione moderatur. Et hanc, quatenus opum cupiditatem & studiũ respicit, sub se complecti aiunt αὐτάρκειαν illam, quæ animum suis opibus & possessionibus

4 contentum gignit & tuetur. Alii temperantiam diuidunt in frugalitatem & continentiam. Frugalitatem definiunt temperantiam, quæ appetitum nutritiuum iuxta præscriptum rectæ rationis in suis obiectis moderatur. Eamq; diuidũt in abstinentiã & sobrietatem, quarũ illam aiunt modũ præscribere in cibo; hanc in potu. Continentiam verò definiunt mediocritatẽ in cupiditatibus generantis facultatis moderãdis occupatam. Eamque diuidunt in communem & propriam; quarum illam aiunt omnibus ex æquo cõpetere, tam cælibibus, quàm coniugibus, vt pudicitiã: aliam, quæ alterutris tantum competat, vt virginitatem

5. & castitatem. Alii temperantiam diuidunt in frugalitatem & castitatem. Frugalitatem definiunt temperantiam cibi & potus. Eamq; subdiuidunt in abstinentiam & sobrietatem, quarum illam dicunt esse virtutem, quę in cibo capiendo modum tenet naturæ & rectæ rationi cõuenientem: hanc, temperantiam, quæ in potu sumendo modum rectum tenet. Castitatem definiunt temperantiam modum seruantem in rebus Veneriis, eum nempe, quem Deus legesque præscribunt extra & intra coniugium. Cæterum, hæ diuisiones omnes ferè prout ab aliis traduntur, ad trutinam veritatis accuratè pensitatæ non leuibus videntur laborare vitiis. Nam: 1, inter se pugnant, seq; mutuò euertunt, dum alia temperantiam dispescit in continentiam & parsimoniam; & illam in sobrietatem & castitatem: alia temperantiam in abstinentiam & continentiam seu castitatem; & illam in sobrietatem & parsimoniam: alia temperantiam primi generis in cõtinentiam seu castitatem

Superiores diuisiones examinantur.

tem & temperantiam nutricis facultatis: & hanc rursus in abstinentiam & sobrietatem: temperantiam verò secundi generis in modestiam & parsimoniam: alia temperantiam in frugalitatem & continentiam: & illam in abstinentiam & sobrietatem: hanc in communē & propriam: alia temperantiam in frugalitatem & castitatem: & illam in abstinentiam & sobrietatem. 2, non omnia membra diuisionis cum natura diuisi consentiunt. v. g. modestia & parsimonia cum temperantia, &c.

Proinde melior videtur esse diuisio temperantiæ supra in præceptis tradita, quà illa immediatè diuiditur in sobrietatem & castitatem. Hæc enim habet partes cum toto consentientes & inter se dissentientes: neque vel latior, vel angustior est suo diuiso: cum temperantia alia circa victum occupetur, vt sobrietas: alia circa Venerem, vt castitas. Neque obstat, quod sobrietas propriè significat temperantiam circa potum. Illud enim vocabulum interdum per synecdochen speciei ita latè sumitur, vt etiam intemperantiam circa cibum suo ambitu complectatur. *Propria diuisio probatur.*

4 *Quid sit intemperantia & quomodo diuidenda?*

INtemperantia Græcè dicitur ἀκολασία, quod vocabulum si notationē nominis spectes, propriè significat *impunitatem* seu *castigationis priuationem*. Deriuatur enim à priuatiuâ particulâ ἀ & nomine κόλασις, quod notat *punitionē* & *castigationē*, à verbo κολάζω, *punio* seu *castigo*. Deinde per metonymiā effecti sumitur modò pro petulantia, proteruitate & lasciuia puerorū, orta è castigationis, quæ illi adhibēda fuerat, neglectu: modò pro *Notatio nominis Græci explicatur simulque homonymia.*

intẽperantia, in quam facilè incidunt adolescentes malè educati, castigationisque expertes. Hinc etiam intemperans Græcè dicitur ἀκόλαστος, quasi dicas *non castigatus*, quia castigationis absentia in adolescentibus est causa intemperantiæ. Definitur autem intemperantia modò vitium morale, per quod homo nimium appetens est alimenti & rei Venereæ; modò vitium, quo voluptates ex gustu & tactu profluentes citra omnem rectam rationem & honestatem appetuntur, omnisque molestia, quæ ex harum voluptatum detractione oriri possit, effrenatè declinatur; modò vitium morale in appetitu & vsu victus & Veneris modum excedens. Eaque diuiditur in alimentariam & Veneream, seu in luxuriam & salacitatem. Intemperantia alimentaria seu luxuria est, quæ in alimentis appetendis & assumẽdis ad nimium deflectit. Eaque dispescitur in voracitatem & bibacitatem, quarum illa ab Aristotele dicitur γαστριμαργία, ab adiectiuo γαστρίμαργος, quod significat *eum, qui ventri ad insaniam vsque indulget*; Latinè verò alio nomine vocatur edacitas, gulositas: hæc verò οἰνοφλυγία ab adiectiuo οἰνόφλυξ: quod significat, *eum qui vino bullit*, seu *vinum eructat*, & per consequens *vinolentus* ac *ebriosus est*. Intemperantia Venerea seu salacitas est, quæ in appetenda & vsurpanda Venere ad nimium deflectit. Eaque ab Aristot. in citato loco dicitur λαγνεία, ab adiectiuo λάγνης siue λάγνος, quod significat *libidinosum, salacem, lasciuum, & quasi effusum & præcipitem in Venerem.*

Definitiones aliorum recensentur.

1

2

3.

Diuisio intẽperantiæ traditur.

Temperans quis sis.

5 *Quis verè dicatur temperans vel intemperans?*

TEmperans dicitur, qui moderatè appetit & vsur-

vsurpat partim cibum & potum, partim Venerem. Intemperans verò, qui immoderatè. Moderatè autem dicitur appetere & vsurpare cibum & potum: 1, qui edit & bibit, quantum naturæ satis est, hoc est, quantum sufficit partim ad sedandam famem & sitim naturalem, partim hilaritati naturæ conuenientem. 2, qui edit & bibit vbi, quando & quomodo decet. 3, qui neque nimium delectatur alimentis, præsertim variis & delicatis, si adsint; neque nimium dolet, si absint. Similiter moderatè dicitur appetere, & vsurpare Venerem 1, qui abhorret & abstinet cum ab omni concubitu illicito: tum ab aliis Veneris turpis irritamentis. 2, qui Venere licitâ vtitur sobolis procreandæ causâ, & quidem quando, vbi & quomodo decet. Ex quibus facile intelligitur, quid sit immoderatè appetere & vsurpare cum cibum & potum, tum Venerem.

6 *An vni homini liceat plus edere & bibere quàm alteri?*

STatuitur thesis affirmatiua. Vsus enim cibi & potus moderandus est, partim ex indigentia & necessitate naturæ, partim ex virtutis digestiuę quantitate: tantaque alimentorum portione vnicuiq; vti licet, quantam natura ad sui conseruationem requirit, seu quanta sufficit ad famis sitisque naturalis expletionem, quantaque benè digeri potest. Iam autem vnus homo maiore fame & siti naturali laborat, quàm alius; maioréq; alimentorum quantitate indiget, maioremque virtutem concoquendi alimenta habet quam alius. Proinde vni homini licitum est plus edere & *Sententia affirm. defenditur.*

bibere quam alteri. Hinc Milo Crotoniates vitulum comedens, & aliquot congios vini exhauriens, famem & sitim naturalem sedauit: quam cibi & potus portionem aliis sumere non fuisset integrum. Hinc illi, qui duris laboribus occupantur, plus alimenti naturaliter appetunt, quam qui in otio viuunt. Examinanda igitur est vnicuique natura sua, stomachique mensura pernoscenda, vt naturæ necessarium alimentum sine noxa & culpa suppeditare possit. Nam vt Seneca ait, *Turpe est sui stomachi non nosse mensuram*. Et vt idem monet, hæc sana & salubris forma vitæ tenenda est, vt corpori tantum indulgeamus, quantũ bonæ valetudini satis est. Vnde etiam Aristoteles *lib. 3. Eth. Nicom cap. 13.* rectè inquit, τὸ ἐσθίειν τε καὶ πίνειν ἕως οὗ ὑγιεινῶς ὑπερβάλλειν, ἐστὶ τὸ κατὰ φύσιν τῇ πλήθει. Ἀναπλήρωσις γὰρ ἐνδείας ἡ φυσικὴ ἐπιθυμία. *Edere & bibere quamus, donec supra modum implearis, est modum naturæ conuenientem copia superare. Naturalis enim cupiditas est indigentiæ expletio.*

7 *An idem sit luxuria ac intemperantia: pudicitia & castitas?*

Thesis neg. defenditur.

ETsi vocabulum *luxuriæ* sæpissimè vsurpatur pro intemperantia: tamen non idem planè est luxuria & intemperantia. Hæc enim propriè tantum modũ excedit in cibo, potu & rebus Veneriis. Illa verò sumitur modò pro specie intemperantiæ, quę circa victum occupatur: modò verò pro vitio prodigalitatis, quod in vestium apparatu & ornatu, aliisque sumptibus faciendis modum excedit. Similiter, licèt cum vera castitate semper sit coniuncta pudicitia, & ab ea separari non possit: tamen reuera castitas & pudicitia non sunt vnum

num & idem. Est enim castitas species temperantiæ, quæ Veneris appetitũ & vsum duntaxat moderatur. Pudicitia verò est virtus moralis, quę sensus à dictorum obscuritate factorumque turpitudine auertit: seu, quæ non solam linguam nostram & manum moderatur: sed etiam oculos & aures ab aliorum turpibus dictis & factis modestè auertit. Ideoque pudicitię obiectum latius patet, quàm castitatis.

8 *An virginitas sit species castitatis?*

STatuitur thesis negatiua. Virginitas enim nihil aliud est, quam abstinentia fœminę nunquam coniugatæ à contactu virili. Ideoque bonum naturale est, quod etiam in iis fœminis esse potest, quæ castæ non sunt. Castitas autẽ est temperantia, Veneris appetitum & vsum moderans. Cum igitur nullum bonum naturale possit esse species boni moralis; sequitur neque virginitatem posse esse speciem castitatis. *Sententia affir. defenditur.*

9 *An sit discrimen inter ebrietatẽ & ebriositatem?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia ebrietas propriè est vitium naturale corporis, ortum ex nimia potus validi assumptione: seu, est morbus corporis, vsum rationis & membrorum corporis impediens & deprauans. Ebriositas verò est vitiũ morale crebris potandi actibus acquisitum, per quod homo procliuis redditur ad frequẽter & immoderatè bibẽdũ. 2, quia ebrietas sępè homini accidit citra proęresin, ideoq; alia dicitur inuoluntaria, alia voluntaria, ebriositas autẽ nunquam. 3, quia ebrietas etiam quandoq; cadit in virum bonum: ebriositas autem non itidem. 4, quia ebrietas interdũ veniam meretur: ebrio- *Pro thesi affirm.* *Ratio* 1 2 3 4.

sitas autem nunquam: cum sit morbus animi, prauâ animi proæresi contractus.

10 *An detur vitium morale, quod Temperantiæ in defectu opponatur, & quomodo appelletur ac diuidatur?*

ETsi plerumq; homines, præsertim hoc exulceratissimo seculo, in appetendis & fruendis voluptatibus, quæ ex cibo & potu rebusque Veneriis percipiuntur, modum excedunt: Ideoque rarissimè inueniatur aliquis, in quo vitium ad defectum declinans appareat: tamẽ cum omnis virtus moralis medium teneat inter duo extrema, nempe excessum & defectum; necesse est, vt temperantia quoque statuatur habere vitium non tantum in excessu; sed etiam in defectu sibi oppositum. Illud verò ab Aristotele dicitur ἀναισθησία, quasi dicas, stupiditas seu sensus carẽtia circa voluptates alimẽtarias & Venereas occupata. A Cicerone verò dicitur immanitas in aspernãdis voluptatibus, nempe iis, quæ ex alimentis & rebus Veneriis gustu tactuque percipiuntur. Hinc etiam *lib. 1. mag. moral. cap 22. & lib. 3. Eudem. cap. 3.* temperantia definitur μεσότης ἀνωλεσίας καὶ ἀναισθησίας, *mediocritas inter intemperantiam & stupiditatem.*

Vitium in defectu peccans explicatur.

Stupiditas diuiditur.

Quoniam verò stupiditas alia circa victum, alia circa Venerem existit: hinc duæ eius species rectè constituuntur; quarum vna appellatur nimia abstinentia victus: altera nimia abstinentia Veneris, quemadmodum patet ex præceptis supra traditis.

11 *An temperantia omni homini sit colenda: intemperantia verò fugienda?*

Statui-

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia temperantia est præclara virtus moralis: intemperantia autem est turpe vitium morale. 2, quia temperantia moderatur appetitum & vsum victus & Veneris, ne vel ad nimium, vel parum declinet: Intemperantia verò in appetendo & vtendo victu & Venere modum naturæ & rectæ rationi conuenientem excedit. 3, quia temperantia facit, vt homo voluptates alimentarias & Venerias, si absint, moderatè expetat, & præsentibus moderatè fruatur, & quidem ita, ne propter eas committat, quod possit vel famam, vel valetudinem, vel etiam rem familiarem lædere: intemperantia verò contrarium efficit. 4, quia temperantia sanitatem mentis & corporis conseruat. Vnde etiam Græcè dicitur σωφροσύνη, quasi *sanitas mentis*, seu, vt Aristoteles vult, σώζουσα τὴν φρόνησιν, *conseruans prudentiam*. Intemperantia verò sanitatem mentis & corporis corrumpit. 5, quia temperantia hominem reddit alacrem & expeditum ad muneris sui functiones rectè obeundas, adeoque ad omnes alias virtutes morales tum acquirendas tum exercendas. Intemperantia verò eundem ineptum reddit, ad omnia vocationis suæ officia benè exequenda, adeoque in bestiam quasi transformat. 6, quia homo temperãs sibi aliisque est vtilis: Intemperans verò neque sibi, neque aliis est vtilis: imò, in seipsum sæuit, sibique ipsi crudelis quasi manus infert: ideoque deterior est bestia. 7, quia intemperantia hominẽ excitat ad rixas, pugnas, conuitia, homicidia arcanorum diuulgationem, omnisque generis alia peccata. Vnde etiam dicitur seminarium vitiosum. 8, quia nihil

Pro Sententia affirm.
Rationes
1
2
3
4
5
6
7
8

seruilius & abiectius est, quàm gulæ ventrisque
9 voluptatibus obnoxium viuere. 9, quia mens hominis vino corrupta similis est currubus, qui aurigam amiserunt, vt ait Isocrates ad Demonicum.
10. 10, quia intemperantia aduersatur temperantiæ, quæ à Cicerone dicitur fundamentum virtutis. His rationibus subiici potest descriptio graphica & luculenta ebrietatis & sobrietatis, quam Augustinus ex effectis & adiunctis concinnauit in libello ad sacras virgines hoc modo: *Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela.* Contrà, *Sobrietas est mens & sensus membrorum omnium, corporisque tutela, castitatis pudicitiæque munimentum, pudori proxima, amicitiæ pacisque seruæ, honestatique semper coniuncta, criminumque & vitiorum omnium profuga.* Item, *recti iudicii tenax, memoriæ recordationisque inseparabilis sapientia, secretorum custos, arcani velamen, lectionum & doctrinæ capax, studiorum & artium bonarum disciplina, pariter & magistra ingeniorum, & capiendorum pedisequa, bonæ famæ semper auida, salubria atque vtilia creans, virtutis singulare auxilium cuncta cum ratione disponens, in congregatione honestorum semper ingerens.* In quam sententiam idem Augustinus alibi in sermone ait: *Ebrietas est blandus damon, dulce venenum, suaue peccatum, quam qui habet, seipsum non habet; quam qui facit, peccatum non facit;*

Testimonia Augustini.

facit; sed ipse totus est peccatum. Item, Bernhardus de sex alis Seraphin; *Ebrietas est parens litium & furoris, mater petulantiæ, deformitatis magistra. Hanc qui habet, peccatum non facit, sed ipse peccatum est. Ebrietas est damon blandus, dulce venenum, rabies voluntaria, illicebra voluptatis & pudoris iniuria, quam nullus nouerit Christianus.* Item Origenes homilia 37. *Sobrietas omnium virtutum mater est. Sic è contrario ebrietas omnium vitiorum origo.* Testimonia Bernhardi.

12 *An temperantia differat a continentia?*

ARistoteles *lib. 7. Ethic. Nicom.* continentiam modò generaliter definit virtutẽ, per quam prauæ cupiditates & inordinati affectus rectę rationi subiiciuntur sed inuiti: modò specialiter virtutem per quam luctamur cum ira, cum cupiditate cibi, potꝰ, Veneris: item, cum cupiditate sermonis & locomotiuæ; & quidem sic luctamur, vt recta ratio superior euadat. Opponit autem continentiæ in defectu vitium nomine carens, cùm quis adeò à voluptatibus abhorret, vt neque honestæ voluptatis gratia aliquid laudabile & præclarum suscipere velit: In excessu verò incontinentiam, per quam homo cum in aliis affectibus & cupiditatibus, tum præcipuè in alimentaria & Veneria cupiditate inuitus contra dictamen rectę rationis modum excedit.

Hinc igitur patet ex mente Aristotelis temperantiam longè differre à continentia: Nam: 1, temperantia ipsi est virtus perfecta: continentia verò virtus imperfecta. 2, obiectum continentiæ latius patet, quam temperantia: Id-

eoque multas virtutes morales imperfectas sub se continet. 3, intemperantia nulla est lucta appetitus & rectæ rationis: In continentia verò est.

CAPVT V.

De Fortitudine.

PRÆCEPTA.

Fortitudo definitur.

1 *Fuit Temperantia. Sequitur Fortitudo, quæ est virtus moralis timoris & fiduciæ moderatrix.*

2 *Est ergo vel magnanimitas, vel patientia.*

Species fortitud. explicantur.

3 *Magnanimitas est fortitudo, per quam homo res magnas & arduas, laboriſque & periculi plenas intrepidè & constanter ſuſcipit & aggreditur.*

4 *Patientia est fortitudo, per quam homo moleſta & aduerſa quæq; æquo & infracto animo ſuſtinet.*

5 *Vtraque vel est togata, vel bellica: quarũ illa tempore pacis, hæc tempore belli exercetur.*

Vitia fortitudini opposita explicantur.

6 *Fortitudini opponitur partim mollities, seu timiditas, partim audacia.*

7 *Mollities est vitium morale, per quod homo in formidando modum excedit & in confidendo deficit.*

8 *Estque vel puſillanimitas vel impatientia.*

9 *Puſillanimitas est mollities, per quam homo*

mo aut planè aut saltem trepidè & inconstanter res magnas & arduas, laboriosque & periculi plenas suscipit & aggreditur.

10 *Impatientia est mollities, per quam homo molesta & aduersa quæque iniquo animo sustinet.*

11 *Audacia est vitium morale, per quam homo in confidendo modum excedit, & in formidando deficit.*

QVÆSTIONES.

1 *Quid sit Fortitudo?*

FOrtitudo, Græcè dicitur ἀνδρεία, quasi dicas, *virilitas*, à nomine ἀνὴρ *vir*, vel quia virum maximè decet; vel quia virilem animum requirit, hominique affert. Definitur autem ab Aristotele *lib. 3. Ethic. Nicomach. cap. 9.* μεσότης περὶ φόβους & θάῤῥη, *mediocritas circa metus & fiducias*: & *cap. 11.* μεσότης περὶ θαῤῥαλέα τὴ φοβερῶ, *mediocritas circa ea quæ fiduciam & metum afferunt.* Item, *lib. 3. Eudem. c. 1.* μέση διάθεσις θρασύτητος καὶ δειλίας, *media dispositio inter audaciam & timiditatem.* Et in *libello de virtutibus*, ἀρετὴ θυμοειδὲς, καθ' ὃ δυσέκπληκτοί εἰσιν ἀπὸ φόβων τῶν περὶ θάνατον, *virtus appetitus irascibilis, per quam homines ægrè terroribus mortem minantibus mouentur.*

Notatio nominis Græci explicatur.

Definitiones Aristot. traduntur.

1

2

3.

Ab aliis verò definitur modò moderatio formidinis & confidentiæ erga ea terribilia, quæ ad salutem corporis pertinent, appetitui irascendi competens, vt inde honestæ prodeant actiones: modò probitas, per quam excelsum & inuictum in rebus omnibus animum tenemus: modò vir-

Definitiones aliorum recensentur & examinantur.

1

2

3

tus voluntatis, quæ in nobis facultatem & affe-
4 ctum irascibilem moderatur: modò affectio a-
nimi in patiendo & perferendo summæ legi pa-
5 rens sine timore; modò firmitas animi in sustinē-
dis & repellendis his, quę maximè difficile est fir-
6 mitatem habere propter bonum virtutis: modò
virtus, quæ seruat eam mediocritatem inter pa-
uorem & audaciam, quam recta ratio præscribit:
modò virtus diffidentiam in malis, & confidenti-
7 am in secundis rebus moderans: modò virtus pu-
8 gnans pro æquitate: modò virtus animum corro-
9 borans: modò virtus moralis, per quam pericula
10. & aduersa, cum necessitas postulat, robusto pe-
ctore adimus, atque adeò grauissima etiam peri-
cula mortis ipsius, prout decet, sustinemus ac to-
leramus. Ex quibus definitionibus omnium opti-
ma videtur vltima, eaque consentit cum illa, quæ
in præceptis à me est tradita. Reliquæ verò aut
falsum seu remotum genus assignant; aut falsum
subiectum siue recipiens siue occupans; aut sal-
tem definito suo sunt vel angustiores, vel latio-
res.

2 *Quod sit obiectum proprium & adæquatum Fortitudinis?*

Sententia Arist. exponitur.

ARistoteles *libr. 3. Ethicor. Nicomach. cap. 9. & lib. 1. magnorum moralium cap. 21. & lib. 3. Eudem. cap. 1.* expressè obiectum fortitudinis statuit modò φόβους καὶ θαῤῥεῖν, hoc est, *metum & fiduciam*: modò τὰ φοβερὰ καὶ τὰ θαῤῥαλέα: hoc est, *terribilia*, seu *formidabilia*, & *fiduciabilia*. Vocat autē τὰ φοβερὰ τὰ ποιητικὰ φόβου, hoc est, *ea quæ efficiunt* seu *excitant in homine metū*: cuiusmodi sunt in genere omnia mala siue vera sint, siue apparentia; in specie verò infa-

infamia, exilium, paupertas, morbus, ἀφιλία, mors & id genus alia. τὰ θαρραλέα autem vocat τὰ ποιητικὰ θαρρέως, hoc est, *quæ efficiunt & excitant in homine fiduciam*.

Cæterum, non omnia formidabilia & terribilia Aristoteles statuit esse obiectum fortitudinis. Quædam enim dicit esse ὑπὲρ ἄνθρωπον, *supra hominē*, hoc est, talia quæ maiora sunt, quam vt ab homine fidenter contemni possint; seu, quæ omni homini magnum terrorem incutiunt: cuiusmodi sunt fulmina, tonitrua, terræmotus, exundationes, omniaque prodigia & portenta extraordinaria, quę iram Dei denunciant: Quædam verò κατ' ἄνθρωπον, *secundum hominem*, hoc est, talia, quæ ab homine possunt metui & non metui; cuiusmodi sunt paupertas, captiuitas, orbitas, exilium, morbus, mors, & id genus alia. In priore genere terribilium negat Philosophus versari fortitudinem; In posteriore affirmat. Neque tamen omnia terribilia posterioris generis fortitudini subiici asserit; cum multa eorum sint, quæ honestum est pertimescere, & turpe non pertimescere, vt est omne scelus sceleriſque pœna, nec non infamia & ignominia nostra & nostrorum: Sed tantum ea, quæ maxima sunt & grauissima, doloremque corruptiuum videntur inferre; cuiusmodi sunt in primis pericula & mors bellica, quæ solius honestatis gratiâ & pro salute patriæ suscipiuntur & sustinentur. Etsi verò Aristoteles terribilia, circa quæ fortitudo versatur, ita limitat, vt iam dictum est: tamen obiectum proprium & adæquatum fortitudinis videntur statui debere

Propria sententia explicatur.

partim omnia formidabilia & fiducialia, partim omnis metus & fiducia quatenus ad iustã mediocritatem à recta ratione præscriptam reduci possunt. Sunt tamen alii, qui fortitudini subiiciunt omnes res tam prosperas, quam aduersas: propterea, quod viri fortis officium sit, tam in rebus secundis, quàm aduersis moderatè & viriliter sese gerere. Alii sunt, qui eidem subiiciunt etiam voluptates & dolores, propterea quod vir fortis illarum fruitionem & horum perpessionem moderatè ferre debeat, neque concedere, vt vel à voluptatibus, vel à doloribus superetur & frangatur. Sed vtrumque illud obiectum videtur non esse proprium solius fortitudinis; sed ipsi cum aliis virtutibus commune: Ideoque neque eidem adæquatum.

Opiniones aliorum recẽsentur.

3 *Quomodo fortitudo legitimè sit diuidenda?*

Arist. distinctio traditur.

SEcundum Aristotelem fortitudo alia est vera & propria, alia falsa & impropria. Vera est illa, quæ species est virtutis moralis, & cuius definitio suprà à me est tradita & explicata. Falsa est, quæ videtur quidem esse fortitudo propter similitudinem; sed tamen reuerâ non est. Eius quinque quasi species ab eodem constituuntur, quarum prima dicitur politica seu ciuilis; & est eorum, qui aggrediuntur res arduas & periculosas excitati partim præmiis, partim pœnis lege decretis: altera dicitur πολιτικὴ seu *militaris*; & est eorum, qui pericula bellica adeunt propter experientiam rei militaris, armorumque, qua pollent: tertia est eorum, qui pericula adeunt propter ignorantiam & imperitiam, qualis est fortitudo puerorum & insanorum hominum, tyronumque militarium:

Falsæ fortitudinis species recensentur.

Lib. 3. Ethic. Nicom. c. 11. libr. 1. magn. moral. c. 21. libr. 2. Eud. cap. 2.

Quar-

Quarta est eorum, qui pericula adeunt ob ἐλπίδα, hoc est, bonam spem ea superandi & propulsandi, vt solent facere ii, qui aliquoties pericula euaserunt; item ebrii: Quinta est eorum, qui pericula adeunt ob affectuum impotentiam, præsertim iræ & amoris. Et hæc maximè dicitur naturalis. 4 5.

A recentioribus verò fortitudo diuiditur: 1, in fiduciam, magnanimitatem, patientiam & constantiam. Fiducia enim ipsis est fortitudo animum bonarum rerum exspectatione erigēs: magnanimitas est fortitudo excelsi atque inuicti animi ad res magnas gerendas: Patientia est fortitudo labores doloresque sustinens: Constantia est fortitudo in proposito perseuerans. 2, diuiditur fortitudo in φοβερωτικὴν καὶ θαρραλεοτικήν, quarum prior definitur fortitudo quæ versatur περὶ τὰ φοβερά: & subdiuiditur in duo genera, quorum vnum sub se continet confidentiam seu fiduciam, & magnanimitatem; alterum patientiam, & constantiam. Posterior definitur fortitudo, quæ versatur circa τὰ θαρραλέα, quatenus animum nimium excitare possunt, moderanda: Et subdiuiditur in mansuetudinem & humilitatem, quarum illa iram & vindictæ cupiditatem refrenat, & animum ad pœnam iustè moderandam parat: hæc animi timorem moderatur & deprimit. 3, diuiditur fortitudo in fortitudinem specialiter dictam & grauitatem: quarum prior definitur virtus considerate pericula suscipiens, duraque moderatè perpetiens. Et subdiuiditur in sustinentem & tolerantem; quarum illa in aditis & susceptis periculis non abiicit animum & arma: hæc moderatè fert

Recentiorū distributiones traduntur.

1 2 3

aduersa. Posterior definitur virtus animum moderans, ne plus minusque in rebus prosperis efferatur. 4. diuiditur fortitudo in suscipientem & sustinentem: quarum illa pericula masculè aggreditur: hæc in susceptis obiectisue perstat, vel ea propulsando, si fieri possit, vel tolerando si non possit. 5. diuiditur fortitudo in magnanimitatem & patientiam. Est enim viri fortis officium, non tantum considerate, intrepidè & constanter suscipere & aggredi res arduas laborisque & periculi plenas: sed etiam molesta & aduersa quæque moderatè sustinere & tolerare.

4

5.

Superiores distributiones examinantur.

Cæterum, ex his iam enumeratis diuisionibus sola postrema & post eam penultima videtur esse approbanda: tum quia cum natura diuisi consentit: tum, quia species habet inter se oppositas: tum, quia adæquata est suo diuiso, eoque neq; latior, neq; angustior: tum denique, quia in se perspicua est, nihilque obscuritatis continet. Reliquę verò omnes vitioſę sunt, & propterea reiiciendæ. Nam illa, quæ est Aristotelis, non est distributio generis in species, sed distinctio vocabuli æquiuoci in sua æquiuocata. Ex recentiorum verò distributionibus prima fiduciam & constantiam inter species fortitudinis numerat: cum illa partim sit obiectum, partim effectum fortitudinis: hæc verò generale virtutum omnium adiunctum. Secunda verò primam perperam distinguit fortitudinem in φοβερωλικὴ & θαρραλεωλικὴ · non tantum, quia eiusmodi vocabula apud nullos auctores Græcos reperiuntur; neque obseruatis legitimæ deriuationis regulis dari possint: sed etiam, quia nulla fortitudinis species est, quæ simul non versetur

1

2

ſetur περὶ τὰ φοβερὰ ἢ θαῤῥαλέα. Deinde φοβερόψυχιλὼ vitiosè diſtinguit in fiduciam, magnanimitatem, patientiam & conſtantiam: tum, quia fiducia & conſtantia plane non ſunt ſpecies fortitudinis, vt antea dictum eſt: tum quia fiduciã pariunt τὰ θαῤῥαλέα, non τὰ φοβερά: tum, denique, quia magnanimitas & patientia verſantur tam circa φοβερὰ quàm θαῤῥαλέα. Poſtremò, θαῤῥαλεοπυκλὼ malè diſtinguit in manſuetudinem & humilitatem: tum, quia non ſunt ſpecies fortitudinis, ſed ab ea eſſentia ſpecifica diſtinctæ: tum, quia obiectum earum proprium non ſunt ea θαῤῥαλέα: vt ſuo loco docebitur. Tertia diuiſio in eo peccat primum, quod grauitatem fortitudinis ſpeciem conſtituit: cùm ſit virtus ab ea eſſentialiter diſtincta: Deinde, quod fortitudinem ſpecialiter dictam diuidit in ſuſtinentem & tolerantem: cum tamen illa membra diuiſionis reuera inter ſe non diſſentiant, meliuſque ſit diſtinguere fortitudinem in ſuſcipientem & ſuſtinentem; quarum illa nihil aliud eſt quam magnanimitas; hæc patientia. 3.

4 *An magnanimitas ſit ſpecies fortitudinis?*

SEntentiam negantem ſtatuit Ariſtoteles. Is enim in omnibus ſuis libris moralibus magnanimitatem conſtituit ſpeciem peculiarem virtutis moralis, eamque à fortitudine eſſentialiter diſtinguit. Nam *lib. 1. magnorum moralium cap. 26.* μεγαλοψυχίαν definit, quod ſit μεσότης χαυνότητος καὶ μικροψυχίας, hoc eſt, *mediocritas inter elationem animi & puſillanimitatem.* Et *lib. 3. Eudemiorum cap. 5*, quod ſit διάθεσις ἀρίστη περὶ τιμῆς αἵρεσιν, καὶ χρῆσιν, καὶ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν τῶν σπουδαίων, hoc eſt, *diſpoſitio optima circa electionem fruitionemque honoris,* *Ariſt. theſin neg. defendit.*

aliorumque bonorum honorabilium. Idem, *lib. 4. Ethic. Nicomach. cap. 6* μεγαλόψυχον dicit esse primum eum, qui magnis se dignum iudicat, cum sit dignus: eumque ab eo distinguit, qui χαῦνος est, & μικρόψυχος, hoc est, *arrogans & pusillanimus*, quod ille magnis se dignũ iudicat, quibus est indignus, aut saltem maioribus, quàm dignus est; hic verò aut minoribus quàm meretur, se dignum iudicat, aut magnis, quibus est dignus indignũ se iudicat. Deinde eundem versari dicit maximè περὶ τιμὰς καὶ ἀτιμίας, *circa honores & infamias*, propterea, quod veros & magnos honores moderatè appetat, iisq; se pro merito dignum iudicet; infamiam verò indignam despiciat & contemnat: Nihilominus tamen magnanimũ etiam circa diuitias, principatus, omnem denique secundam & aduersam fortunam moderatè sese habere ait, ita, vt neque in rebus secundis nimium lætetur, neque in aduersis nimium tristetur. Cæterum, hæc sententia Aristotelis videtur simpliciter non esse probanda, propter sequentes rationes: 1, quia fortitudinis officium non tantum est intrepidè adire pericula bellica & mortem ipsam in bello æquo animo perpeti, quemadmodum vult Aristoteles; sed simul partim suscipere & aggredi, vt decet, res magnas & arduas laborisque & periculi plenas, siue in bello siue in foro & curia, siue vbicunque necessitas & honestas postulat: partim molesta & aduersa quæque patienter sustinere & tolerare. Nemo autem potest suscipere & aggredi, vt decet, res magnas & arduas, nisi sit magnanimus. 2, quia probati Auctores magnanimitatẽ ad fortitudinem referunt, & hanc sine illa consistere posse ne-

Sententia Arist. refutat.

Rationes

1

2

negant. Et propterea etiam Cicero *lib. 3. Tusc. Q.* ait necesse esse, qui sit fortis, eundem esse magni animi. Et Seneca in *libr. de 4. virtutibus* inquit, mensuram magnanimitatis esse nec timidum esse hominem nec audacem. 3, quia nemo potest 3
appetere magnos honores, nisi qui res magnas & laboriosas vel pro gloria Dei, vel pro salute Reipublicæ, vel pro sua suorumque salute suscipit: multò minus contemnere contumelias sibi illatas, nisi iis se indignum iudicet, contrariisque dignum. 4, quia inter alia officia magnanimi ab Aristotele *libr. 4. Ethic. Nicomach. cap. 8.* recensetur 4
etiam hoc, quod sit μεγαλοκινδυνος, hoc est, *magnis periculis sese obiiciat*, & cum in iis versatur, vitæ nõ parcat. Hoc autem non competit nisi viro forti. 5, quia magnanimus est, vt Seneca ait, *epist. 66.* qui 5
asperis blandisque pariter est inuictus, neutri se fortunæ submittens, supra omnia, quæ contingunt acciduntque, eminens, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem non attollant fortuita, nec deprimant. 6, quia fortitudinis duo maxima munera sunt, vt Cicero ait *lib. 2. Tusc. Qu.* nempe mortis dolorisq; contemptio. 6
Iam autem maximè propria affectio magnanimitatis statuitur ab Aristotele *libr 3 Eudem. cap. 5.* ἀλιγωρία, hoc est, *contemptus*, præsertim vitę, opum & similium. 7, quia definitio fortitudinis magnanimitati competit. 8, quia magnanimitas non minus ac fortitudo versatur περὶ τὰ φοβερὰ καὶ θαρραλέα: cum infamiæ & contumeliæ in se sint formidabiles; honores verò fiduciales. Neque obstat defi- *Obiectioni occurritur.*
nitio magnanimitatis ab aliis ex mente Aristotelis tradita, cum dicitur virtus magnos & eminen-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0221
DFG

tes honores, quemadmodum oportet, expetens, adeptosque pro dignitate tuens. Illa enim non pugnat cum definitione magnanimitatis suprà in præceptis tradita, sed potius sub ea comprehenditur: cum nemo res magnas & arduas animosè & impauidè aggrediatur & suscipiat, nisi simul magnos & eminentes honores, quemadmodum oportet, expetat. Idcircò rectè ait Cicero in oratione pro Archia: *Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta quid est, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui tantis nos in laboribus exerceamus?*

5 *An patientia sit species fortitudinis, & quidẽ à magnanimitate distincta?*

Pro Sententia affirm.

Rationes

1 STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia definitio fortitudinis ei competit. 2, quia secundum Ciceronem est virtus contumeliarum
2 & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portans: secundum alios est virtus moralis molesta & aduersa quęque quæ honestè declinari non pos-
3 sunt, æquo animo tolerãdi. 3, quia τῷ τὰ λυπηρὰ ὑπομένειν ἀνδρεῖοι λέγονται, hoc est, *ex eo fortes appellantur, quod res molestas patienter ferant*, vt ait Aristoteles *lib. 3. Ethic. Nicom. cap. 12.* Item, οὐδεὶς ὑπομενετικώτερος τῶν δεινῶν ἢ ἀνδρεῖος, *nemo rerum horribilium & asperarum est tolerantior, quam vir fortis*, vt idem ait *cap. 9.* Idcircò etiam sub initium *cap. 11.* asserit Philosophus fortitudinem eligere & perferre terribilia, vel quia perferre honestum, vel, quia non
4 perferre, turpe est. 4, quia patientia hominem armat

armat aduersus omnes casus humanos, qui consilio mutari non possunt, efficitque vt in rebus aduersis sit bono animo, omnesque difficultates & molestias tandem vincat ac superet.

At in contrariam partem obiici potest: 1, *Quod partim est causa efficiens, partim effectum fortitudinis, id non est eius species.* *Atqui patientia partim est causa efficiens, partim effectum fortitudinis.* *Ergò nõ est species fortitudinis.* Assumptio probatur, quia patientia secundum Ciceronem *in Rhetor.* nihil aliud est, quam perpessio voluntaria & diuturna rerum arduarum & difficilium honestatis & vtilitatis causa. Seu, vt Lactantius definit *libr. 5. diuinarum institutionum*, est malorum, quæ aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio. 2, *Nullus motus est species fortitudinis.* *Patientia est motus*, vt patet ex præcedentibus definitionibus. *Ergò*, &c.

Protheſi negatiua Obiectio. 1

2.

Respondeo, esse homonymiam in vocabulo patientiæ, quod quandoque sumitur pro habitu benè patiendi molesta & aduersa quæque: Et sic species est fortitudinis, adeoque virtutis moralis: Vnde etiam à Lactantio *libr. 3. Institution.* magna & præcipua virtus patientia dicitur: quandoque verò pro motu, qui habitum patientiæ vel antecedit, vel consequitur: Et sic diuerso respectu partim est causa efficiens, partim effectum fortitudinis.

Respondetur ad obiect.

Porrò, etsi vocabulum magnanimitatis, quandoque ita latè vsurpatur, vt sumatur pro fortitudine in genere accepta, & sub se etiam patientiam comprehendat, vt cum Cicero *libr. 1. Officiorum* ait, ad magnanimum pertinere ea

Obiectioni occurritur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0223
DFG

quæ videntur acerba, ita ferre, vt nihil à statu naturæ discedat, nihil à dignitate sapientis: tamen propriè magnanimitas est fortitudo, quę in agendo, hoc est, in suscipiendis rebus magnis & arduis cernitur: patientia verò est fortitudo, quæ in patiendo cernitur, hoc est, in sustinendis rebus molestis & aduersis. Et sic patientia est species fortitudinis, à magnanimitate distincta. Hæc enim est fortitudo suscipiens; illa fortitudo sustinens.

6 *An patientia essentialiter differat à tolerantia?*

Pro thes. neg.

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia tolerantia, quæ Græcè dicitur ὑπομονή, nihil aliud est, secundum Aristotelē *lib. 7. Eth. Nic. c. 2. & sequentibus*, quàm virtus imperfecta, quâ res aduersas & laboriosas honestatis causa quidem perferimus, sed perferimus cum dolore, molestia & lucta animi: seu, vt Piccolomineus definit *gradu 3. ciuilis Philosophiæ cap* 14. est affectio proba rationem rectam sequens, qua homo perfert dolores repugnante irascēdi cupiditate. Differt igitur secundum Aristotelem à patientia non essentia, sed gradibus tantum perfectionis, tanquam imperfectum à perfecto. *Ratio* 1

2 2, quia tolerantiæ eadē extrema vitia opponuntur, quæ patientiæ, nempe in excessu duritiei voluntaria, qua ex obstinatione animi sine honestatis respectu molesta & aduersa sustinentur: in defectu mollities voluntaria, qua pauido & iniquo animo molesta & aduersa

3 feruntur. 3, quia apud probatos Auctores patitia & tolerantia sæpè pro vna specie virtutis moralis sumuntur & quidem ita, vt vtroque vocabulo

tam

tam habitus perfectus, quàm imperfectus notetur.

7 *An longanimitas sit species patientiæ?*

SVnt nonnulli Philosophi, qui longanimitatẽ, quam Græci vocant μακροθυμίαν ad patientiam referunt, eamque definiunt virtutem, quâ masculè & constanter ad extremum vsque spiritum toleramus mala. Sed illi grauiter errant, propter sequentes rationes: 1, quia definitio patientiæ non competit longanimitati. 2, quia longanimitas nõ moderatur timorem & fiduciam in patiendo, sed iram & cupiditatem vindictæ. 3, quia longanimitati non opponitur impatientia, sed partim lentitudo, partim iracundia & sęuitia. Ideoq; ad mansuetudinem est referenda. *Thesis neg. defenditur.*

8 *An sola mollities opponatur fortitudini?*

SVnt quidam ex recentioribus Philosophis, qui fortitudini tantum opponunt mollitudinem, seu mollitiem. Sed hæc sententia consistere non potest. Omnis enim virtus moralis versatur inter duo extrema; quorum vnum in excessu, alterum in defectu peccat. Ergo idem quoque de fortitudine est statuendum. Et propterea etiam Aristoteles fortitudini in defectu opponit δειλίαν, *timiditatem*, quæ metaphoricè dicitur μαλακία, *mollities*, ab aliis ἀνανδρία; in excessu verò θρασύτητα, quæ metaphoricè dicitur σκληρότης, *duritiem*. Vt enim timidus in formidando modum excedit, & in cõfidendo deficit: Audax verò in confidendo modum excedit, & in formidando deficit: ita contrà vir fortis in cõfidendo pariter & formidando modum tenet, neque circa ea vel excedendo vel de- *Opinio aliorum exponitur.*

ficiendo peccat. Non enim timet, neque confidit, nisi quæ decet, & cuius gratia decet, & quomodo decet, & quando decet, & vbi decet, vt copiosè docet Arist. *lib. 3. Ethic.*

9 *An viri fortis sit nihil extimescere?*

Sententia negat. defenditur. STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia timor naturalis est affectus, qui per se omni homini, quatenus est animal, & quatenus est homo, competit: Ideoque etiam viro forti. 2, quia dantur quædam formidabilia, quæ ab Aristotele dicuntur φοβερὰ ὑπὲρ ἄνθρωπον, quæ omni homini sana mente prædito timorem incutiunt, & à nullo sine perturbatione & metu sentiri possunt, vt sunt tonitrua, fulmina, terræmotus, & id genus alia. Illa igitur etiam vir fortis, non potest non extimescere, præsertim cum is, qui illa non metuit, aut sit atheus, vt Herodes, qui volebat persuadere suis militibus, terræmotum nullo modo esse metuendum; aut mentis inops, vt Psylli & Celtę; quorum illi contra Austrum armata manu profecti sunt, propterea quod ille ventus diutius spiraret, & ipsis admodum esset molestus; hi verò prælium inierunt contra mare, quod nimia inundatione aduersus eos æstuabat. 3, quia quædam sunt formidabilia, quæ honestum est timere, & turpe non timere, vt sunt scelera infamiæ & ignominiæ dignæ & iustæ. Illa igitur oportet etiam virum fortem timere. 4, quia vir fortis non est, qui nihil timet, sed qui omnia, quæ sunt timenda, moderatè timet ita vt in timendo neque modum excedat, neque deficiat. Hinc Aristoteles *libr. 3. Ethicorum Nicomach. cap. 10.* ait, fo-

Ratio 1 2 3 4.

tem

tem esse, qui timet & sustinet, quæ decet, & cuius gratiâ decet, & quomodo decet, & quando decet: Item *cap.* 12. mortem & vulnera viro forti, etiam inuito, molesta esse; illa tamen sustinere eum, quia perferre honestum est; & non perferre, turpe est. Item *lib.* 1. *magnorum moralium cap.* 21. fortem non esse, cui nihil omnino est formidabile, sed oportere ipsum timere quidem, sed sustinere. Item, *lib.* 3. *Eadem. cap.* 1. virum fortem metu carere vt plurimum: timidum autem semper metui obnoxium esse. Et hunc quidem multa & pauca, magna & parua metuere, & quidem vehementer & citò; Illum verò contrà aut prorsus non, aut leuiter, ægrè & rarò, & nonnisi magna. 5, quia qui in omnibus confidit, & vel nihil timet, vel saltem minus, quàm decet, is audax est: Ideoque reprehendendus.

Pro thesi affirmat. Obiectio

At pro contraria sententia obiici potest hoc argumentum: *Qui semper bonam spem habet, omnisque metus, timoris & perturbationis est expers, ei repugnat, aliquid extimescere. Atqui vir fortis semper bonam spem habet, omnisque metus, timoris, & perturbationis est expers.* Vnde etiam ab Aristotele *libr.* 3. *Ethicor. Nicomach. cap.* 9, 10, 11: ἀνδρεῖος dicitur ἄελπις, ἄφοβος, ἀδὴς & ἀνεκπλήκτος ἢ ἀπάραχος. *Ergò viro forti repugnat, aliquid extimescere.*

Responsio ad obiect.

Respondeo, propositionem esse veram de eo, qui immoderatè confidit, omnisque metus, timoris & perturbationis simpliciter est expers; non autem de eo, qui moderatè cõfidit, omnisq; metus, timoris & perturbationis immoderatè

est expers: qualem Aristoteles iudicat esse virum fortem in loco citato.

10 *An viri fortis sit omnia humana despicere; nihilque quod homini accidere possit, intolerandum putare?*

Sententia negat. defenditur. STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia vir bonus vnumquodque tanti æstimare debet, quanti in se est æstimandum: Ideoque nullũ humanum bonum simpliciter despicere debet.

Ratio 1 2, quia sunt multa bona humana, quæ honestũ est admirari, appetere & persequi: turpe verò despicere, auersari & fugere; cuiusmodi sunt artes liberales, virtutes, honores, dignitates, bonus Reipublicæ & rei familiaris status, *&c.* Ideoque hæc despicere, non est viri fortis. 3, quia multa homini accidere possunt mala, quæ honestum est, quantum fieri potest, propulsare per legitima media, & intoleranda putare; turpe verò non propulsare & tolerare; cuiusmodi sunt infamiæ sibi suisque præter meritum illata, turbatio tranquilli Reipublicæ status, iactura rei familiaris, *&c.* Vnde etiã magnanimus dicitur, qui aduersus iniustas accusationes suam famam & innocentiam defendit. Proinde, quando Cicero *libr. 3. Offic.* ait, fortitudinis proprium esse, omnia humana despicere, nihilq; quod homini accidere possit, intolerandum putare, id non simpliciter verum, sed secũdum quid de iis, quæ plerorumque animos aut nimium deiiciunt, aut nimium extollunt; aut à rebus melioribus & præstantioribus abstrahunt, aut quæ homini absque sua culpa eueniunt, nulloque consilio & modo honestè mutari & declinare possunt.

3.

Ciceronis dictum ad bonum sensum trahitur.

Hinc

Hinc rectè Seneca: *Feras, non culpes, quod mutari non potest*: Item, *Optimum est pati, quod emendari non possit*. Item, *Libenter feras quod necesse est: Dolor patientia vincitur.* Cui etiam consentiunt hi versiculi:

Ferre decet patienter onus, quod ferre necesse est,
Qui iacet inuitus, durius ille iacet.

II *An viri fortis sit, quauis pericula adire & suscipere?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia illa tantum pericula viro forti sunt adeunda, quę recta ratio adire iubet, h.e. quę honesta sunt, & partim ad laudē propriam, partim ad vtilitatē publicam cedere videntur. 2, quia qui pericula adit temerè contrà præscriptum rectæ rationis, & solius priuati commodi gratia sine respectu ad honestatem, is non est vir fortis, sed audax.

Thesis negatiua defenditur.
Ratio 1
2.

Hinc sequentia porismata colliguntur: 1, mercatorem, qui sui tantum quæstus gratiâ extrema quæque pericula subit asperaque quælibet patitur, verè ac propriè non esse dicendum virū fortem: propterea quod vir fortis omnia agit & patitur ex præscripto rectæ rationis: & ob sua facta veram gloriam, honorem & laudem meretur: Mercator autem eiusmodi non. 2, gladiatores & pugiles, eosq; qui duello & monomachia congrediuntur solius quæstus aut vanæ gloriolæ gratia, nō esse dicendos viros fortes. 3, posse aliquem tueri nomen & laudem viri fortis, etiamsi se non sistat ad eiusmodi duellum, in quò siue vincaris, siue vincas, nulla inde queat redire in publicum vtilitas. 4, eos non esse verè fortes, qui in mala causa vitæ pericula adeunt & aduersus bonam causam

Porismata ex thesi probata colliguntur.
1
2
3
4

militant. 5, milites mercenarios, qui vitæ pericula adeunt eo tandem fine, vt stipendia mereantur, aut prædam exerceant, nullâ ratione vel honestatis, vel pietatis habitâ, non esse verè fortes dicendos. 6, non esse verè fortes, qui ex desperatione, & ad euitandam pœnam meritam in aperta vitæ pericula sese coniiciunt.

5

6.

12 *An viri fortis sit, nihil omnino dolere?*

Sententia negat. defend.

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia non est in potestate hominis, per naturam nihil dolere: cum dolor & voluptas ex necessitate naturæ sensum consequantur. 2, quia vir fortis non debet esse instar trunci aut lapidis, qui per naturam omni doloris sensu destituitur. 3, quia fortitudo est virtus, dolorem rectè ferendi: & quo maiorem dolorem quis percipit, eumque decenter perfert, eò maiorem fortitudinis gloriam habet. 4, quia si vir fortis nullum sentiret dolorem, nulla esset eius laus: cum fortitudo sit virtus dolorem rectè ferendi.

Ratio 1

2

3

4.

Porisma.

Proinde illi non sunt verè fortes dicendi, qui diabolicis artibus inducunt stuporem membris, ne vel vulnerari possint in bello, vel vllum ex ictu dolorem in corpore sentire.

13 *An, qui seipsos interficiunt, vlla ratione verè fortes sint dicendi?*

Sententia negatiua defenditur.

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia viri fortes non sunt pusillanimi. Illi autem qui seipsos interficiunt, sunt pusillanimi: siquidem in formidando modum excedunt, & in confidendo deficiunt. 2, quia viri fortes molesta & aduersa quæq;, quæ honestè declinare non possunt, æquo animo ferunt. Illi autem, qui se ipsos interficiunt, iniquo

Ratio 1

2

iniquo animo ferunt malum quod ipsis infertur, & fracti doloribus eius magnitudini succumbũt. 3, quia viri fortes sunt ἀνέλπιδες. Illi autẽ qui seipsos interficiunt, sunt ἀνέλπιδες & desperabundi. 4, quia αὐτόχειρες seu αὐτοφόνοι nec honestatis, nec publicę vtilitatis causa mortem oppetunt; sed tantùm ex impatientia, vt vitent ea, quæ ipsis acerba sunt. Viri autem fortes contrà. 5, quia viri fortes nihil agunt contra iustitiam & præscriptum rectæ rationis, αὐτοφόνοι autẽ contrà. 6, quia viri fortes mortem moderatè metuunt, vitamq; longiorem exoptant, vt sua virtute aliis prodesse magis magisque possint. Αὐτοφόνοι autẽ vitæ pertæsi sunt, mortemque exoptant, vt per eam è malis præsentibus, quæ tolerare nolunt, eripiãtur. Proinde errat vulgus hominum, qui viri fortis esse putat mortem sibi consciscere potius, quàm graue aliquod & acerbum malum perpeti.

3

4

5

6.

Error vulgi taxatur.

14 *An homo facinorosus, qui fidenter & intrepidè patitur pœnas sibi illatas, sit verè & propriè dicendus fortis?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia vir fortis suis factis non meretur pœnam, sed præmium. 2, quia non quælibet tolerantia seu perpessio malorum cadit in virum fortẽ; sed tantum ea, quæ honesta est. Illa autẽ externa pœnarũ perpessio est inhonesta & infamis: quippe quæ iustè infligitur homini facinoroso ad deterrendũ alios à similibus peccatis. 3, quia vir fortis ex habitu fortitudinis fidenter & intrepidè omnia agit & patitur. Homo autẽ facinorosus non item.

Sententia negatiua defenditur.

Ratio

1

2

3.

15 *An fortitudo cadat etiam in fœminam.*

VIdetur fortitudo non cadere in fœminam:

Sentẽtia affirm. defenditur.

tum, quia Græcè dicitur ἀνδρεία ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, quod viri sit propria virtus: tum quia fæminæ suâ naturâ sunt pusillanimes, molles & impatientes. Sed contraria sententia veritati magis est consentanea: 1, quia omnis homo sanæ mentis per naturã est capax cuiuslibet virtutis ordinariæ. Ergò etiam fæmina. Et hinc rectè ait Seneca in epist. *Nulli præclusa est virtus, omnes admittit: nec censum nec sexum eligit.* 2, quia *quod capax est vitii, idem capax est virtutis vitio contrariæ. Iam autem fæmina capax est pusillanimitatis & impatientiæ. Ergò etiã fortitudinis.* 3, sicut quidam vir animum habet effæminatum: ita contrà fæmina animum habet virilem. Ergò in eiusmodi fæminam cadere potest fortitudo.

Ratio 1 2 3.

16 *An omnis mollities sit vitium morale?*

Sentẽtia negat. defenditur.

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia mollities alia est propria, alia impropria. Propria autem non est vitium morale: cum nihil aliud sit, quàm species secundæ qualitatis tactilis. 2, quia mollities impropria & per metaphorã dicta alia est naturalis, alia voluntaria. Naturalis est, quæ hominibus quibusdam inest, vel propter naturam loci, in quo habitant, vel propter ætatem, vel sexum. Voluntaria est, quæ non tam natura, quàm culpa hominis contracta est. Prior non est vitium morale: Posterior autem est. 3, quia *si omnis mollities esset vitium morale, sequeretur, in quodcunque subiectum cadit mollities, in id etiam cadere vitium morale. Sed consequens est falsum & absurdum: Ergò & antecedens.*

Ratio 1 2 3.

CA-

CAPVT VI.

De Modestia.

PRÆCEPTA.

1 *Tantum de speciebus secundæ classis probitatis ad nos relatæ: Sequuntur species tertiæ classi, nempe modestia & parsimonia.*

2 *Modestia est virtus moralis, appetitum & studium honoris moderans.*

3 *Et in excessu opponitur ambitio, in defectu contemptus honoris.*

4 *Ambitio est vitium morale, per quod homo nimium appetens & studiosus est honoris.*

5 *Contemptus honoris est vitium morale, per quod homo planè negligit & aspernatur honorem.*

QVÆSTIONES.

1 *Quid sit modestia?*

VOcabulum modestiæ apud Latinos valdè est ambiguum. Interdum enim sumitur pro verecundia, vt cum Cicero libr. 2. Officiorum ait: *Si est in oratione mixta modestia grauitas, nihil admirabilius fieri potest, eoque magis, si ea sit in adolescente.* Interdum pro virtute moderante gestus & vestitum corporis, præsertim in rebus lætis & secundis: cuiusmodi est humilitas. Interdum verò pro virtute moderante appetitum & studium honoris. Et in hac postrema significatione hoc loco vsurpatur: ab aliisque definitur modò virtus, quæ mediocritatem seruat in honoribus, nobis debitis, eo modo expetendis, quo decet: modò me-

Homonymia vocabuli excutitur.

Signif. 1

2

3.

Definitiones aliorum recensentur.

1 diocritas rectè componens appetitum irascendi,
2 vt in mediocri honore constanter præeligat id,
3. quod decet: modò virtus, per quam bonam famam in genere, & honores minores seu mediocres conuenienter ac decore appetimus, acquirimus, persequimur ac tuemur. Ex quibus definitionibus prima est legitima, si modò ad genus ipsius addatur vox, *moralis*. Reliquæ verò sunt vitiosæ. In secunda enim assignatur partim falsum genus, & subiectum recipiens; partim obiectum partiale, non totale. In tertia ponitur partim genus remotum, partim obiectum modestiæ particulare, non vniuersale & adæquatum. Idcircò in præceptis modestia à me fuit definita virtus moralis appetitum & studium honoris moderans. Quæ definitio constat ex genere proximo & differentia specifica, sumpta ab obiecto modestiæ proprio & adequato, quod est appetitus & studium honoris, & quidem cuiuslibet, siue sit maior, siue minor, siue mediocris. Nam quod alii Aristotelem secuti modestiæ tantum subiiciũt honores minores seu mediocres, vt hac ratione distinguatur à magnanimitate, quam dicunt versari circa honores magnos & eminentes; illa sententia non potest consistere: cum differentia secundum maius & minus non speciem variet: & præterea magnanimitas potius sit species fortitudinis, quam virtutis illius quæ appetitum honoris moderatur, vt patet ex quæstione 4. cap. præcedentis.

Superiores definitiones examinantur.

Propria definitio exponitur.

Obiectioni occurritur.

Pro sententia neg.

2 *An honor sit expetendus?*

Ratio

1 PRo thesi negante faciunt hæc argumenta: 1,
2 quia honor nõ est in numero bonorum; cum sui possessorem bonum non reddat. 2, quia honoris non

ris nō minus improbi homines, quàm probi sunt participes, vt testatur communis experientia. 3, quia honor corrumpit mores etiam proborum. Multi enim, qui probi fuerunt, dum priuatam vitam agerēt, postea simul ac ad honores peruenerunt, variis vitiis fuerunt inquinati. Vnde prouerbium ortum: *Honores mutant mores.* 4, quia non tantū in priuata; sed etiam in publica vita honoris cupiditas excitat discordias, rixas, seditiones; & cōtrà concordiā, amicitiā & pacē tollit. Hinc Cic. in Lælio amicitiā sæpè labefactari ait, si in honoris contentionē amici incidant: Pestē enim nullā esse maiorē amicitiis, quàm in plerisq; pecuniæ cupiditatē; in optimis quibusq; honoris certamen & gloriæ, ex quo inimicitiæ maximę sæpè inter amicissimos extiterint. Et hoc etiam testatur historia nō tantū Romuli & Remi, qui honoris studio incensi, dum vterq; à se cupit vrbē cognominari, ita exarserunt, vt eorum discordiā sola alterius mors potuerit terminare: sed etiā Cæsaris & Pompeii, inter quos honoris & gloriæ contentio tantas inimicitias iniecit, vt bellū ciuile cum plurimorum pręstantissimorum virorū, atq; ipsius quoq; Reipub. pernicie & interitu coniunctum excitarent. 5, quia honoris contemptum in laude ponunt nō solum Christiani, sed etiam Ethnici. Hinc Moses cum populo Dei maluit affligi, & exul fieri, quàm pro filio Pharaonis haberi, & summis apud Ægyptios honoribus perfrui. Et Paulus 2. ad Corinthios cap. 11. & 12. gloriatur non de honoribus, sed de carceribus, vulneribus, contumeliis, &c. Imò, ipse Christus, cuius vitam quantum in nobis est, imitari debemus, non existimauit rapinam esse illam, quam cum Deo habebat æqualitatem; sed se-

3

4

5.

ipsum exinaniuit forma serui assumpta, & mortem ignominiosam vltrò subiit. Hinc etiam Aristoteles *libr. 4. Ethic. Nicom. cap* 4. testatur, eos laudari solere, qui honores negligunt Et Cicero *lib. 3. Tusc. Quæst.* ait, multos beatiores esse ob id, quod sint inhonorati. Et Cato malebat quæri, cur non essent positæ statuę Catoni, quàm cur essent positę. Idcircò etiam verè dictum videtur, λάθε βιώσας. *Sic viue vt nemo sciat te vixisse.* Item, *Benè qui latuit, benè vixit.*

Pro Sententia affirm.

Rationes

At contrà pro thesi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia honor inter bona externa principatum obtinet, vt testatur Aristoteles *libr. 4. Ethic. Nicomach c.* 4. cum ait, ἡ τιμὴ μέγιστον τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν, *honor bonorum externorum est maximum.* 2, quia honor est pręmium virtutis. Ergò cum causa efficiens honoris sit bona & expetenda, etiam honor erit talis. 3, quia honor hominem instigat ad virtutem honestasque actiones earumque studium auget & conseruat. Vnde etiam rectè dicitur *calcar virtutis*; & à Valerio Maximo, *vberrimum alimentum virtutis.* Et hoc etiam testatur Plutarchus inquiens: οὐδεὶς φροντίζων δόξης ἀγαθῆς γένοιτ' ἂν φαῦλος, *nemo curans gloriam bonam euadit malus.* Item, Cicero lib. 1. Tuscul. Quæst. *Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloriâ.* Item, Ouid. 5. Tristium:

Libr. 2. titul. de antiquis institutis.

——*Non paruas animo dat gloria vires,*
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

4, quia optimi quique Auctores nos ad honoris & gloriæ studium cohortantur. Quod non facerent, si putarent honorem non esse expetendum. 5, quia vita politica, quæ Rempublicam tuetur & conser-

conseruat, sine honore non potest consistere. Et propterea etiam Aristoteles ait, *lib. 1. Ethic. cap. 5.* virum politicum non contemnere honorem. 6, quia illi, qui honores appetunt, laudari; & qui negligunt, reprehendi solent, vt testatur Philosophus *lib. 4 Ethic. Nicom. cap. 3. & 4.* Hinc Augustinus crudeles eos appellat, qui confidenter conscientiæ famam negligunt. Et Cicero libr. 1. Officiorum ait: *Negligere quid de se quisq; sentiat, non solum arrogantis est; sed etiam omnino dissoluti.* Et apud Iureconsultos sententia recepta est, *honorem vitæ, infamiã morti esse comparandam.* 7, quia honor conciliat auctoritatem, præsertim viris politicis, aditumque parat ad præclaras actiones edendas benéque de Republica merendum. 8, quia honor est testimonium honestæ vitæ, præsidiumque firmum aduersus improborum calumnias. 9, quia infamia est auersanda & fugienda teste Isocrate, ad Demonicum: Δεῖ εἶναι φοβερὰν τοῖς πουδαίοις τὴν ἐν τῷ ζῆν ἀδοξίαν· *Oportet formidolosam esse probis viris vitæ infamiam.* Ergo cum contrariorum sit contraria ratio, sequitur honorem esse expetendum.

6 7 8 9.

Pro decisione obseruanda sunt aliquot theoremata: 1, distinguendum esse inter honorem verum & falsum, quorum ille tanquam præmium sequitur virtutem, & nonnisi iis, qui virtute præditi sunt, debetur: hic verò viris etiam improbis tribuitur. Priorem esse expetendum: posteriorem fugiendum. 2, distinguendum esse inter moderatum appetitum honoris veri & immoderatum. Priorem esse honestum & licitum; posteriorem turpem & illicitum. 3, Honorem verum mores

Quæstio deciditur per theorem.

1 2 3

proborum nō peiores, sed meliores reddere. Qui enim honorē cōsequitur, eo lętatur; & sic alacrius agit ea, per quæ honorem illum est adeptus. Voluptas enim adiuuat & perficit actionem, ex qua oritur, vt docet Aristoteles *lib.* 2. *Ethicorum Nicomach. cap* 12. *& lib.* 10 *cap.* 4. 4, Seditiones, discordias & reliqua mala non ex vero honore aut iusto eius desiderio prouenire; sed vel ex iniqua honorum distributione; vt docet Aristoteles *libr.* 2. *Politicorum*; vel ex falso honore, vel ex improbitate eius, qui honoris insignia malis artibus affectat. 5, honoris contemptum laudari, habito respectu vel ad falsum honorem, vel ad immodicum, quod in plerisque reperitur honoris desiderium, vt horum comparatione dicantur honorē negligere, qui honoris exuperantiā aspernantur. 6, honorē verum in se quidē esse bonū; sed tamen nō quemlibet cuilibet cōuenire, nec omnes æquè cuiusuis honoris esse capaces. 7, honorem supra meritum & dignitatem tributum obesse potius, quàm prodesse. 8. Verum honorem non esse appellandum, qui ab improbis aut imperita plebe proficiscitur; sed eum tantum, qui ex iudicio bonorum & prudentium virorum defertur, vt testatur *Cicero lib.* 3. *Tusc. statim in proœmio.*

4

5

6

7

8.

3 *Quæ cautiones in honore expetendo sint obseruandæ?*

Cautiones in honore expetendo obseruandæ.

NOn satis est scire honorem esse expetēdum, nisi etiam sciamus, qua ratione rectè expeti possit. Obseruandæ igitur sunt sequentes cautiones: 1, vt eum honorem appetamus qui nobis cōueniat, & quo digni sumus, nec velimus præstantioribus pares esse. Siquidē honor supra meritum & di-

1

& dignitatem tributus obest potius quàm prodest. 2, vt honorem petamus non à quibuslibet, 2
nec à vulgo, nec ab improbis; sed à viris bonis & prudentibus,& ad quos honorum collatio pertinet. Miser enim est, qui pendet ab aura populari &mobilium turba Quiritium:cuius iudicium est instabile &incertum:Ideoque à viro magni & excelsi animi cõtemnitur. Nec improbi sciunt quid sit rectum, rectoque contrarium; ac proinde verus honor non est appellandus,qui ab his proficiscitur. Vnde etiam Cicero eam laudem veram esse pronunciat, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerũt. Et rectè ait Hector apud Næuium: *Lætus sum laudari me abs te pater, laudato viro.* 3, vt 3
honorẽ non per se expetamus, sed quatenus per eũ magis idonei reddimur ad præclara munia obeunda, cum sit testimonium nostræ probitatis & præstantiæ. Non enim viri boni & prudentes, sed ambitiosi honorẽ per se appetũt. Idcircò etiã *Cic. li.15 epist 4 ad Catonẽ* negat se vnquã gloriã per se putasse expetendam. 4, vt honorẽ moderatè ex- 4
petamus:&adepti mediocriter eo lętemur,denegatum ęquo animo feramus. Et hoc etiã vult Cic. *li.3.de Rep* cum ait: *Vult planè virtus honorem: nec est virtutis vlla alia merces: quam tamẽ illa accipit facile, exigit non acerbè.* Sed si aut ingrati vniuersi aut inuiti multi aut inimici potẽtes suis virtutem præmiis spoliant, næ illa se tamen multis solatiis oblectat,maximéq; suo decore seipsam sustentat. Vnde idem alibi ait, *conscientiam virtuti satis amplum theatrum esse.* 5, vt honorẽ ex iusta causa quæ- 5.
ramus i.ex virtute, cui soli debetur. Et hoc etiã testantur partim antiqua numismata, in quibus vir-

tutis & honoris simulacra sunt coniuncta: partim templa honoris & virtutis apud Romanos ita cõiuncta, vt non aliunde quàm per virtutis templũ pateret ad templum honoris aditus. Idcircò *Aristoteles lib. 4 Ethic. Nicom. cap. 3* χαύνους καὶ ἀλαζόνας, hoc est, *superbos & stultos* appellat, qui vestitu, gestu, aliisque eiusdem generis ornamentis honorem 6. captant. 6, vt loci ac temporis rationem habeamus in honore expetendo & tribuendo.

4 *An vnusquisque teneatur sui honoris esse acerrimus defensor?*

Sententia affirm defenditur. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia honor est præmium & testimonium virtutis. Ideoque magnificienda est, & quantum fieri potest, legitimo modo defendendus. 2, quia honor vitæ comparatur. Ergò vt vitæ; ita & honoris sui vnusquisque debet esse acerrimus defen-
Ratio 1 2 sor. 3, quia aduersus seipsum crudelis est, qui famam suam negligit, neque eum pro viribus iustè 3. defendit aduersus sycophantas & calumniatores. 4, quia infamia vnicuique quantum fieri potest est fugienda & à se auertenda cum morti æquiparetur. Ergò è contrariò honor est defenden-
Error aliorũ taxatur. dus. Proinde reprehendendi sunt illi, qui nihil curant, quid de se alii sentiant, omnemque honoris tam acquirendi, quàm conseruandi & tuendi curam abiiciunt.

5 *Virum vitæ, an honoris maior sit habenda ratio?*

Pro vita. Arg. PRo priore parte quæstionis faciunt hæc argu-
1 menta: 1, quia vita est præstãtior honore, quatenus ab illa conseruatio totius hominis pendet;

ab

ab hac autem non. 2, quia mors seu vitæ amissio totius hominis substantialem corruptionem secum trahit: honoris autem amissio minimè. 3, quia vt Aristoteles docet lib 3. Eth. Nicom cap. 9. φοβερώτατον ὁ θάνατος. πέρας γὰρ ὃ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ οὔτε ἀγαθὸν, οὔτε κακὸν εἶναι· *Mors est res maxime formidabilis seu terribilis. Est enim extremum omnium rerum; & nihil amplius mortuo videtur vel bonum, vel malum esse.* 2 3.

At contra pro posteriore parte quæstionis adducuntur hæc argumenta: 1, quia honor est præmium virtutis. Cum igitur maior sit ratio habenda virtutis, quàm vitæ, videtur idem etiam de honore esse statuendũ. 2, quia satius est mori, quàm peccare & peccando infamiam incurrere. Idcircò etiam summa laude digna censetur Susanna, quod maluit mortem oppetere, quàm pudicitiam & castitatem suam prostituere; & sic aduersus Deum grauiter peccare: contrà vituperanda Lucretia, quod maluit cum Tarquinio adulterium committere, quàm ab eo trucidari. *Pro honore. Argum.* 1 2.

Pro decisione quæstionis distinguendum est inter verum & falsum honorem, itemque inter veram & falsam infamiam. Maior enim ratio habenda est veri honoris, & huic oppositæ infamiæ verę, quàm vitæ: Minor autem ratio habenda falsi honoris falsæque infamiæ, quam vitæ. Proinde vir bonus veri honoris conseruandi & veræ infamię fugiendę causa mortẽ potius oppetere, quàm viuere debet, non autem falsi honoris conseruandi, falsæque infamiæ declinandæ causa. *Quæstio deciditur per distinct.* *Porisma.*

6 *An homo teneatur magis esse solicitus de tribuendo, quam de recipiendo honore?*

Sententia affirm. defenditur.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia melius est honorare quam honorari, non solũ quia actio passioni, & datio acceptioni præstat: sed etiã quia honoris debiti delatio sine culpa & vitio prætermitti non potest: Is verò, cui debitus honos non tribuitur, nihil peccat, & apud se plus officii residere facilè patitur. 2, quia ambitiosi sunt, qui honorari malũt, quam honorare. 3, quia honor est honorantis potius, quàm honorati. 4, quia vir bonus, dum alteri debitum honorem tribuit, officio suo probè perfungitur, etiamsi ipse à nullo honorem debitum recipiat.

Ratio 1 2 3 4.

7 *Quæ vitia modestiæ opponantur, & cur illa sint fugienda?*

CVm modestia sit species virtutis moralis, necesse est illam tanquam mediam inter duo extrema vitia esse collocatam. Hæc verò sunt partim ambitio, quæ Græcè dicitur φιλοτιμία, quatenus vocabulum illud in malam partem accipitur; partim contemptus honoris, qui Græcè nuncupatur ἀφιλοτιμία. Vt enim ambitio modum excedit in appetendo, acquirendo & conseruando honore: Ita contemptus honoris à modo deficit. Sunt autem multæ rationes cur ambitio & contemptus honoris sint fugienda: 1, quia sunt vitia moralia modestiæ opposita. 2, quia ambitio oritur ex præsumptione, hoc est, vendicatione falsa eius virtutis quam non habemus: Contemptus verò honoris existit ex ignorantia & denegatione eius boni & virtutis, quæ in nobis est. 3, quia ambitio facit, vt homo maiores honores ambiat, quam vel virtus ipsius meretur, vel ratio & æquitas, præsensq; temporis & loci conditio permittit.

Ratio 1 2 3

tit. Contemptus verò honoris facit, vt homo aut planè nullis, aut minoribus honoribus, quàm par est, se dignum iudicet, & sic virtutem reprimat otioséque possideat. 4, quia ambitio est ærugo & stultitia mentis, crux ambientium, radixque & fons multorum malorum, quibus tranquillitas & honestas vitæ humanæ perturbatur & inquinatur: contemptus verò honoris est languor virtutis, remoraque actionum honestarum. 5, quia vt Bernhardus ait in Sermone quadragesimæ; *Ambitio est subtile malum, secretũ virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordiũ, ex remediis morbos creãs, ex medicina languorẽ generãs.* 6. quia ambitiosus statim vt est ad honorem promotus in superbiam extollitur, iactantiâ effrenatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse; præsumit se meliorem, quia cernit se superiorem, priores dedignatur amicos, notos ignorat hesternos, comites contemnit antiquos, vultum auertit, ceruicẽ erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, subditis onerosus, omnibus infestus, præceps, molestus, arrogans grauis & importunus. 7, quia non tantum S. scriptura, sed etiam alii Auctores tam sacri, quàm profani ab ambitione hominem dehortantur.

4

5

6

7.

CAPVT VII.

De Parsimonia.

PRÆCEPTA.

1 *Fuit Modestia. Sequitur Parsimonia, quæ est virtus moralis sumptuum moderatrix.*

2 *Ei opponitur partim sumptuositas, partim tenacitas.*

3 *Sumptuositas est vitium morale, in sumptibus faciendis modum excedens.*

4 *Tenacitas est vitium morale, in sumptibus faciendis ad defectum declinans.*

QVÆSTIONES.

1 *An Parsimonia sit virtus moralis?*

Sentent. affirmatiua defenditur. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia parsimonia est habitus proæreticus, per quem homo promptus redditur ad probè honestéque viuendum. 2, quia crebris & honestis parcendi actibus acquiritur. 3, quia sumptus œconomicos, præsertim eos, qui in vestitum & cultum corporis, in supellectilem & ædificiorum structuram, alimentorumque variorum & lautorum coemptionem, & id genus alia impenduntur, moderatur; prouidetque, ne quid dispendii & detrimenti res familiaris capiat: quin potius parcè erogando conseruetur & augeatur. 4, quia versatur inter duo extrema vitia, nempe sumptuositatem & tenacitatem: quarum illa in excessu; hæc in defectu peccat. 5, quia parsimonia est habitus animi honestus, vtilis & laudabilis, ad eumque comparandum optimi quique Auctores nos hortantur & instigant, vt eorum dicta testantur. Phocylides enim in suo poematio ait:

Ratio
1
2
3
4
5.

Testimonia afferuntur.
1 Ἀρχόμενος φείδε πάντων μὴ πρὸς ἔπιδδυς.

Incipiens parsimoniam adhibe in omnibus, ne in
2 *fine indigeas.* Item, Hesiodus *libro* 1. *operum & dierum sub finem* præcipit:

Ἀρχὸ

Ἀρχομένου δὲ πίθου, καὶ λήγοντος κορέσασθαι,
Μεσσόθι φείδεσθαι. δεινὴ δ' ἐπὶ πυθμένι φειδώ.
Incipiente dolio & finiente satiare;
Sed in medio parce: grauis enim in fundo parsimonia.

Item Lucretius:

Diuitiæ grandes homini sunt viuere parcè, 3
Æquo animo: neque enim est vnquam penuria parui.

Ouidius:

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri. 4

Cicero in paradoxo vltimo: *O dii immortales,* 5
non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia. Item, *non esse emacē vectigal est.* Idcircò etiam Marcus Cato vult *patrem familias vēdacem, nō emacem esse.* Et Pompon. Atticum Corne- 6
lius Nepos laudat, quod cum opulentia afflueret, 7
nemo illo minus emax fuerit, nemo minus ædificator. Nimirum nouerat ille Atticus, qui multa emunt, qui multas ædes extruunt, omnes sibi ipsis aditum ad paupertatem aperire, iuxta vetus illud:

Ædificare domos, & corpora pascere multa,
Ad paupertatem proximus est aditus.

Et rectè monet Seneca: *Emas non quod opus est,* 8
sed quod necesse est. Nec malè Plautus: *Festo die* 9
quod prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris. Hinc Menander: 10.

Εἰ μὴ φυλάττεις μικρ', ἀπολεῖς τὰ μείζονα.
Nisi custodias parua, magna perdes.

Idem Lucianus. 11.

Ὡς τεθνησόμενος τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
Ὡς δὲ βιωσόμενος φείδεο τῶν κτεάνων.
Ἐστὶ δ' ἀνὴρ σοφὸς οὗτος, ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας,
Φειδοῖ καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφαρμόσατο.
Tanquam moriturus tuis bonis fruere,
Tanquam victurus parce tuis possessionibus.
Est autem vir sapiens, qui ambo hæc cognoscens,
Parsimoniæ & sumptui modum aptauit.

2 *An parsimonia versetur inter sumptuositatem & tenacitatem?*

Sententia affirmat. defenditur.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia parcus est medius inter sumptuosum & tenacem. Sumptuosus enim in sumptibus faciendis modum excedit. Tenax in iisdem deficit: Parcus verò neque modum excedit, neq; deficit: sed

Ratio

1 sumptus facit quantos, quando, vbi, quomodo

2. & cur decet. 2, quia Parsimonia propterea laudatur, quod medium locum tenet inter sumptuositatem & tenacitatem: Sumptuositas enim & tenacitas propterea vituperantur, quod sint vitia Parsimoniæ opposita. Vbi etiam obseruandum est: 1, Parsimoniam Græcè dici φειδὼ, φειδώλιον, φειδωλίαν; *sumptuositatem* ἀφειδίαν: *tenacitatem* γλιχρότητα, Latinè alio nomine *sordidam & immoderatam parcitatem.* 2, Parsimoniam differre à liberalitate, quod illa moderatur sumptuum, præsertim priuatorum, erogationem: hæc beneficiorum

1

2

3 in alios collationem. 3, sumptuositatem differre à profusione seu prodigentia, quæ Græcè dicitur ἀσωτία, barbarè *prodigalitas*: quod illa opponatur parsimoniæ & tenacitati; hæc liberalitati & illiberalitati.

4. 4, tenacitatem differre ab auaritia, quod illa deficiat in sumptibus faciendis, & opponatur parsimoniæ & sumptuositati: hæc verò modum excedat in appetendis & coaceruandis diuitiis; & opponatur αὐτάρκειᾳ & ἀφιλοχρηματίᾳ.

Sententia negatiua defenditur.

3 *An vllus auarus verè & propriè sit parcus?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia auarus est improbus: parcus verò probus. 2,

Ratio

1 quia auarus vituperatur: parcus verò laudatur.

2 3, quia

3, quia auarus nimium appetens & studiosus est diuitiarum: parcus autem non item. 4, quia auarus est tenax: parcus autem non est tenax. 5, quia auarus omnia agit quæstus seu lucri gratia: parcus autem honestatis gratia. 6, quia auarus non agit ex præscriptò rectę rationis: parcus autem contrà. 7, quia auarus illicitis modis diuitias acquirit: parcus autem non.

3
4
5
6
7.

4 *An iuniores æque sint propensi ad parsimoniam ac seniores?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia iuniores minus amant & curant pecuniam, quàm seniores: cum nondum indigentię molestiam experti sint, & propter imperitiam nesciant, quanta sit vtilitas pecuniæ, & quam difficulter possit acquiri. 2, quia iuniores magis sunt sumptuosi & prodigi, quàm seniores. 3, quia iuniores luxui & cultui corporis magis sunt dediti, quàm seniores.

Sententia neg. defenditur.
Ratio
1
2
3.

CAPVT VIII.

De Vigilantia.

PRÆCEPTA.

1 *Adhuc de speciebus tertiæ classis probitatis ad nos relatæ: Sequuntur species quartæ classis, nempe vigilantia & sedulitas.*

2 *Vigilantia est virtus moralis, somni & vigiliæ moderatrix.*

3 *Ei opponitur partim somnolentia, partim insomnia seu vigilia voluntaria.*

4 *Somnolentia est vitium morale; in dormiendo modum excedens.*

5 *Insomnia voluntaria est vitium morale, à naturali somni vsu hominem reuocans.*

QVÆSTIONES.

1 *An vigilantia sit virtus moralis?*

Sententia affirm. defenditur. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia definitio virtutis moralis ei competit. 2, quia est probitas somni moderatrix. 3, quia versatur inter duo extrema vitia, quorum vnum in excessu peccat, & Græcè dicitur φιλυπνία, Latinè *somnolentia*; alterum in defectu, & Græcè dicitur ἀϋπνία παθολογικὴ, Latinè *insomnia voluntaria*. 4, quia vigilantia est habitus, qui parit homini veram laudem & commendationem; contraria verò vitia pariunt vituperium. 5, quia ad vigilantiæ studium hortantur nos optimi quique Auctores, & à contrariis vitiis dehortantur.

Ratio 1 2 3 4 5

Obiectio. At contra hanc sententiam obiici potest: *Nulla actio est virtus moralis. Vigilantia est actio. Ergò nō est virtus moralis.* Assumptio probatur, quia vigilantia nihil aliud est, quàm actus vigilandi, qui Græcè propriè dicitur ἐγρήγορσις seu γρήγορσις.

Respondetur ad obiect. Respondeo esse homonymiam in vocabulo *vigilantiæ*, quod modò sumitur pro actu vigilandi, quæ propriè dicitur *vigilatio*; modò pro habitu laudabili rectè vigilandi, seu moderandi somnum. Et sic est virtus moralis. Vbi tamen etiam obseruandum est, vocem *vigilantia* metaphoricè vsurpari modò pro industria & diligentia, quam in re aliqua adhibemus, & sic opponi incuriæ: modò

modò pro cauta & circumspecta prouidentia; & sic opponi securitati nimiæ.

2 *An somnolentia & insomnia immoderata sint vitia moralia?*

MEdici inter affectus morbosos numerant somnum & vigiliam præternaturalem. Definiunt enim Somnum præternaturalem, quod sit affectus prauus capitis, cuius vi homo præter naturam ad dormiendum propendet: eiusque duas species constituunt, carum & lethargum, seu vt Latinè loquar, soporem & veternum. Vigiliam verò præternaturalem definiunt, quod sit affectus prauus capitis, cuius vi homo ad dormiendum tempore solito ineptus redditur. Videntur igitur somnolentia & insomnia immoderata esse vitia naturalia, non moralia. Verum, sciendum est, somnolentiam & insomniam immoderatam hoc loco sumi nõ pro inuoluntaria propensione hominis ad immoderatè dormiendum & vigilandum, quę est morbosa affectio corporis, & à Medicis curatur: sed pro habitu voluntario, per quem homo vltra modum naturæ conuenientem somno aut vigiliæ indulget; & sic esse vitia moralia: tum, quia definitio vitii moralis iis competit; tum quia hominem peiorem efficiunt; tum quia vituperium & pœnam merentur.

Sentent. affirmatiua defenditur secundum quid.

3 *An somnus & vigilia immoderata homini valdè sint pernitiosa?*

ETsi hæc quæstio propriè non pertinet ad Ethicam; sed partim ad Physicam, partim ad artem medicam, quę tractat de salubribus & insalubribus: tamen vt homo eo magis à somnolen-

Sententia affirm. defenditur.

Effecta somni immoderati recensentur.

tiâ & insomniâ voluntariâ abstrahatur, placet hoc loco paucis argumentis thesin illius affirmantem probare. Sciendum igitur est, somnum immoderatum: 1, gignere copiam humorum prauorum & pituitosorum. 2, aggrauare caput ob vaporum & humorũ multitudinem, quæ inter dormiendum in eo colliguntur. 3, spiritus animales incrassare & obscurare; & sic eos ineptos reddere ad promouendam rerum intelligentiam. 4, memoriam debilitare, obliuionemque inducere. 5, cacochymiam, hoc est, malum totius corporis habitum inducere. 6, calorem naturalem & vitalem extinguere; & sic totum corpus refrigerare. 7, fastidium & nauseam excitare.

Effecta vigilia immoderata recensentur.

Similiter vigiliam immoderatam: 1, consumere humidum vitale. 2, exiccare & arefacere corpus. 3, debilitare calorem naturalem & vitalem. 4, resoluere & absumere spiritus vitales. 5, debilem & prauam concoctionem inducere. 6, profundos reddere oculos. 7, acutos & bilioſos morbos excitare. 8, viuidum faciei colorem corrumpere. 9, hominem languidum & ineptum efficere ad diuturnos vocationis suæ labores obeundos.

CAPVT IX.

De Sedulitate.

PRÆCEPTA.

1 *Fuit Vigilantia; Sequitur Sedulitas: quæ est virtus moralis, laboris moderatrix.*

2 *Ei opponitur partim curiositas, partim ignauia seu incuria.*

3 Cu-

3 *Curiositas est vitium morale, in laborando modum excedens.*

4 *Ignauia est vitium morale, in laborando deficiens.*

QVÆSTIONES.

1 *An Sedulitas sit virtus moralis?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia definitio virtutis moralis ei competit. 2, quia est habitus moralis, laborem moderans. 3, quia versatur inter duo extrema vitia moralia, nempe curiositatem & ignauiam seu incuriam. 4, quia crebris bene laborandi actibus acquiritur. 5, quia est qualitas, quæ per se homini verum honorem & laudem parit. 6, quia eius opposita sunt vitia moralia. 7, quia ad sedulitatem tanquam speciem virtutis moralis non vulgarem tam sacra scriptura, quam alii Auctores siue sacri, siue profani homines hortantur. 8, quia *si sedulitas non esset virtus moralis, non daretur virtus aliqua, quæ hominem informaret ad seruandum iustum in laborando modum. Sed consequens est absurdum. Ergò & antecedens.*

Sentent. affirmatiua defenditur

Ratio
1
2
3
4
5
6
7
8.

2 *Quid sit Sedulitas, & quæ vitia ei opponantur?*

SEdulitas, quæ Græcè dicitur φιλοπονία, ἐπιμέλεια; Latinè *solertia, industria, diligentia, assiduitas*, ab aliis definitur modò virtus labores officii sui pro viribus exequendi: modò virtus subeundi & perferendi debitos vocationis suæ labores: modò virtus, per quã labores nostræ personæ & officio cõuenientes ita, vt decet, suscipimus, cõtinuamus ac perferimus. Illæ verò definitiones omnes nonnihil verbis discrepant ab ea, quæ in præceptis est

Definitiones aliorum recensentur.
1
2
3.

assignata, si modò ad genus addatur vox *moralis*. Dicitur autem sedulitas moderari laborem, quia ex præscripto rectæ rationis monet, cui quid, quantum, vbi, quando, quomodo, & cur sit laborandum; ne scilicet in ipsis laboribus vel suscipiendis vel sustinendis, aut in excessu, aut in defectu peccetur, sed semper mediocritas, quæ in omnibus rebus est optima, obseruetur. Acilli quidem in excessu opponitur curiositas, quæ Græcè dicitur ἀδιεργία, ὑπερπονία, quasi dicas, *nimia operandi & laborandi industria*; Latinè alio nomine, *nimia* seu *nimis accurata diligentia*. In defectu verò ignauia seu incuria, quæ Græcè dicitur ἀεργία, ὀκνία, ἀμέλεια, ῥᾳθυμία, ἀπραξία, &c. Est autem curiositas vitium morale, per quod homo in laborando modum excedit. Id autem fit: 1, cum labores suscipit & sustinet suæ personæ & officio non conuenientes, aut saltem non necessarios & vtiles. 2, cũ plus laboris, quàm oportet, vel suis vel alienis rebus impendit. 3, cum laborat quando, vbi & quomodo non decet. 4, cum aut planè nullum aut saltem non legitimum finem in laborando sibi habet propositum. Vnde patet, sub curiositate seu ἀδιεργία, comprehendi partim πολυπραγμοσύνην, partim ἀλλοτριοεπισκοπίαν, quarum illa facit, vt homo se multis & variis negotiis non tã suis quàm alienis & ad se nihil pertinentibus immiscеat: hęc verò facit, vt homo curam & inspectionem alienarum rerum ad suum officium nihil pertinentium habeat.

Curiositas quid sit.

Quomodo curiositas modum in laborando excedat.

1
2
3
4.

Ignauia quid sit.

Ignauia verò est vitium morale, per quod homo in laborando deficit, hoc est, aut planè à labore abhorret, aut saltem minus, & remissius quàm

ratio

ratio officii temporiſque & loci circumſtantia exigit, laborat.

3 *An homini laborandum potius ſit, quam ociandum?*

PRo theſi affirmante faciunt ſequentia argumenta: 1, quia homo ad laborandũ natus eſt, vt auis advolandum. 2, quia melius magiſque decorum eſt, laborare, quàm ociari. Vnde Heſiodus lib. 1. operum & dierum: *Pro labore Argum.* 1 2

Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δὲ τ' ὄνειδος.

3, quia ἀνύσιμον πρᾶγμα καὶ τελεσιουργὸν ἐπιμέλεια καὶ πόνος ἐστὶν, hoc eſt, res vtilis & ad perficiendum efficax eſt diligentia & labor, vt docet, Plutarchus *in libello de inſtitut. puerorum*. Cui etiam aſtipulatur Euripides, inquiens: 3

Τὸ συνεχὲς ἔργον παντὸς εὑρίσκει τέλος.

Continuus labor cuiusque rei inuenit finem.

Item illud Bionis: τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίνεται.

Diligentiæ omnia ſubiiciuntur. Item illud Virgilii:

——— *Labor omnia vincit*
Improbus. ———

4, quia labor eſt medium ordinarium, per quod Deus ſua bona largitur hominibus. Et hoc teſtatur Epicharmus, inquiens: τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί. *Laboribus vendunt nobis omnia bona Dii.* 4

5, quia laborantem Deus amat & iuuat. Et hoc teſtatur Heſiodus *lib. 1. operum*: 5

Καὶ ἐργαζόμενος πολὺ φίλτερος ἀθανάτοισιν.

Et laborans multò charior immortalibus.

Item, Euripides in Andromeda, cum ait:

Φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός.

Solet laborantem ſimul adiuuare Deus.

6, quia labor procreat, conſeruat & auget bona hominibus Et hoc teſtatur Sophocles in vatibus: 6

Μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.
Ἅπαντα τὰ καλὰ τοῦ πονοῦντος γίνεται.
Laborare necesse est eos, qui volunt felices esse,
Omnia bona laborantis sunt. Item Eurip. in Erechtheo:
Ἐκ τῶν πόνων τοὶ τἀγαθ' αὔξεται βροτοῖς.
Ex laboribus sanè bona augentur mortalibus.

7 7, quia sine labore nihil benè inchoatur, succedit & perficitur. Et hoc testatur Phocylides,
Οὐδὲν ἄνευ καμάτου πέλει ἀνδράσιν εὔπετες ἔργον.
Nullum sine labore est hominibus facile opus.
Item Sophocles:
Ὁρᾷ, πόνου τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ,
Vide, sine labore sanè nihil benè succedit.

8 8, quia, vt idem Sophocles ait *in Iphigenia*:
Τίκτει γὰρ οὐδὲν ἐσθλὸν εἰκαῖα σχολή·
Θεὸς δὲ τοῖς ἀργοῦσιν οὐ παρίσταται.
Nihil boni parit otium inane.
Deus verò otiantibus non assistit.

9. 9, quia otium est irritamentum & alimentum vitiorum ac peccatorum. Homines enim nihil agẽdo male agere discunt.

Pro otio. At pro thesi negante adduci possunt hæc argu-
1 menta: 1, quia labor consumit vires corporis & a-
2 nimi. 2, quia labefactat & perturbat vitæ huma-
næ tranquillitatem, sine qua felicitas terrena non
3 potest consistere. 3, quia auocat hominem à re-
rum diuinarum & cœlestium contemplatione.
4. 4, quia melius est nihil agere, quam malè agere.

Quæstio deciditur per distinct. Pro decisione quæstionis distinguendum est inter laborem moderatum, & immoderatum; honestum, & turpem; vtilẽ, & inutilem. De priore enim genere vera est thesis affirmatiua. De posteriore autem non item.

Sentẽtia negatiua defenditur.

4 *An cuilibet quoslibet labores suscipere liceat?*

Ratio
1 STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia labo-

labores respondere debent cuiusque vocationi & officio. Cum autem non eadem sit cuiusque vocatio & officii ratio, sequitur, neque labores eosdem cuilibet conuenire. 2, quia labores alii sunt mentales, alii corporales; & ex his alii honesti, alii turpes, alii vtiles,, alii inutiles. Vt igitur cuilibet licitum est pro ratione officii & personę dignitate suscipere labores honestos & vtiles; siue sint mentales, siue corporales: ita contra quemlibet decet fugere & intermittere labores turpes & inutiles. 2.

Proinde peccant illi, qui nulla habita ratione vel officii vel status sui ex mera curiositate vel auaritia quoslibet labores suscipere & sustinere nō verentur. *Error aliorū taxatur.*

5 *An sedulitas labores iucundos reddat?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia sedulitas hominē promptum & alacrem ad subeundos & perferendos labores reddit. 2, quia assuetudine laborandi facit, vt homo labore potius quàm otio delectetur. Et hoc etiā testatur Democritus, inquiens: πόνῳ συνεχὴς ἀλαφρότερος ἑαυτῷ τῇ συνηθείᾳ γίνεται. *Labor continuus consuetudine ipso sit leuior.* 3, quia suggerit homini assiduam cogitationem de fine & fructu laborum, quâ homo excitatur ad laborandum. 4, quia ignauia labores homini reddit molestos & ingratos. Ergò è contrario sedulitas reddit eosdem iucundos & gratos. *Sententia affirm. defenditur.* *Ratio* 1 2 3 4.

Finis Libri secundi.

ETHICÆ GENERALIS LIBER TERTIVS.

In quo explicantur virtutes morales, quas homo erga alios homines potissimum exercere debet: itemque virtus heroica.

CAPVT PRIMVM

De Mansuetudine.

PRÆCEPTA.

HActenus explicata est probitas ad nos potissimum relata: Sequitur probitas erga alios potissimum homines exercenda, quæ vel est ὁμιλητικὴ, *vel* κοινωνητικὴ.

2 *Homiletica est, quæ in congressu & conuersatione cum aliis est adhibenda.*

3 *Eius variæ & diuersæ sunt species certis classibus distinctæ.*

4 *Primæ classis sunt mansuetudo & humilitas.*

Mansuetudo definitur. 5 *Mansuetudo est virtus moralis, iræ & vindictæ moderatrix.*

Eius species exponuntur. 6 *Est autem vel lenitas vel clementia.*

7 *Lenitas est mansuetudo, per quam homo in irascendo modum seruat.*

8 *Clementia est mansuetudo, per quam homo de-*

mo debitum in vindicando & puniendo modum seruat.

9 *Mansuetudini opponitur vitium aliud in defectu, aliud in excessu.*

10 *In defectu opponitur lentitudo & indulgentia nimia.*

11 *Lentitudo est vitium morale in irascendo deficiens.*

12 *Indulgentia nimia est vitium morale, in puniendo deficiens.*

13 *In excessu opponitur iracundia & crudelitas.*

14 *Iracundia est vitium morale, in irascendo modum excedens.*

15 *Crudelitas est vitium morale, in puniendo modum excedens.*

QVÆSTIONES.

1 *Quid sit mansuetudo?*

MAnsuetudo Græcè πραότης ab Aristotele definitur *libr.* 4. *Ethic. Nic. cap.* 11. μεσότης περὶ ὀργὰς, *mediocritas circa iras.* Et *lib.* 1. *magn. moral. c.* 23. ἀνὰ μέσον ὀργιλότητος καὶ ἀοργησίας, hoc est, *media inter iracundiam & lentitudinem.* Et *in libello de virtutibus*, ἀρετὴ τοῦ θυμοειδοῦς, καθ' ἣν ὑπ' ὀργῆς γίνονται δυσκίνητοι, *virtus appetitus irascentis, per quam homines ægrè ad iram concitantur.*

Definitiones Arist. recensentur.
1
2
3.

Definitiones aliorum exponuntur.

Ab aliis definitur modò mediocritas rectè cõponens appetitum irascendi, vt in attinentibus ad iram constanter præeligat, quod decet; modò virtus mediocritatem seruans in ira: modò virtus,

1
2
3

quæ compescit iram, hominisque voluntatem promptiorem ad veniam, quam ad vindictam
4 reddit: modò virtus animo tranquillo & patienti
5 omnia ferens: modò modestia, quâ ab omni inordinatâ ira nobis temperamus, & excitatam subitò
6 refrenamus: modò fortitudo θαρραλεοπκὴ, qua proprie animi vim irascibilem concitatiorem, &
7 iram moderatur & refrenat: modò virtus iram inordinatam & vindictam refrenans: modò vir-
8. tus, quæ mediocritatem seruat in irascendo, atque adeò in vindicando & puniendo.

Definitiones superiores examinãtur

Ex quibus definitionibus postremæ tres sunt legitimæ, & consentiunt cum ea, quæ in præceptis est tradita: si modò per virtutem quæ loco generis ponitur, intelligatur virtus moralis. Reliquæ verò sunt vitiosæ: quoniam vel falsum genus, vel falsum subiectum recipiens, vel falsum obiectum, aut saltem non adæquatum assignant.

2 *Quod sit obiectum proprium & adæquatum mansuetudinis?*

Sententia Arist. exponitur & examinatur.

ARistotel. obiectum mansuetudinis ponit ὀργὴν, iram; quæ ab eodem definitur *lib. 2 Rhetoricorum cap. 2.* ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης τοῦ φαινομένου ὀλιγωρεῖσθαι, ἢ εἰς αὐτὸν ἢ εἰς αὐτῷ τινα μὴ προσηκόντως, *appetitus vindictæ apparentis cum dolore coniunctus, ortus ex apparente iniusto contemptu sui aut suorum:* Et à Cicerone *in Tusculanis Quæstionibus* libido puniendi iure, qui videtur læsisse iniuria: Item à Possidonio cupiditas puniendi eius, à quo te iniquè putas læsum. Sed quoniam mansuetudo non tantum modum seruat in irascendo; sed etiam in vindicando & puniendo: id-

Ira quid sit.

do: idcircò præter iram, illi subiicitur quoque ipsa vindicta, pœna & vltio, quæ Græcè dicitur ἐκδίκησις, τιμωρία. Et sic ex vtroque obiecto particulari obiectum proprium & adæquatum mansuetudinis conflatur. Etsi verò alii ad obiectum mansuetudinis etiam referunt omnia illa, quæ vim habent excitandi hominem ad irascendum & vindicandum: cuiusmodi sunt offensio, iniuria, damnum; potissimè autem contemptus nostri & nostrorum: tamen sub ira & vindicta commodè comprehendi possunt, tanquam causæ illius efficientes siue procreantes siue impellentes. Similiter licèt Aristoteles *lib. 3. Eudemiorū cap. 3.* asserat mansuetudinem versari circa dolorem ex ira profectum: tamen ille dolor aut commune obiectum est mansuetudinis; aut saltem sub ira comprehenditur.

Obiectioni occurritur.

3 *Quomodo mansuetudo rectè sit diuidenda?*

APud Aristotelem aliosque Philosophos veteres, quantum ego memini; nulla expressa reperitur mansuetudinis in species diuisio. At ex recentioribus: alii diuidunt mansuetudinem in lenitatem & clementiam: alii in lenitatem & seueritatem: alii in lenitatem & placabilitatem: alii moderationem iræ tanquam genus definiunt virtutem refrenantem vel persequentem iram & vindictam ob alîus offensam: Eamque diuidunt in mansuetudinem & seueritatem, quarum illam definiunt virtutem refrenantem iram & vindictam: hanc virtutem persequentem iram & vindictam.

Aliorum diuisiones recensentur & examinãtur

1
2
3
4.

Ex quibus diuisionibus prima videtur omni-

um esse optima. Est enim officium mansuetudinis partim iram, partim vindictã moderari: quorum illud pertinet ad lenitatem; hoc ad clementiam. Ac licèt vocabulum lenitatis quandoque Synecdochicè vsurpetur pro mansuetudine in genere: clementia verò pro illa virtute vindictæ seu pœnæ moderatrice, quæ in principibus, regibus aliisque magistratibus requiritur: tamen doctrinæ distinctioris gratia lenitas rectè definitur mansuetudo iræ moderatrix: clementia mansuetudo vindictæ moderatrix.

Prolepsis.

Seueritas an sit species mãsuetudinis.

Quod verò ad reliquas diuisiones attinet, videtur seueritas non esse species mansuetudinis; sed potius vitium clementiæ in excessu oppositum: Quia tamen seueritas etiam Deo in scriptura tribuitur: & à magistratu etiam sæpè cum laude & honore exercetur: inde patet vocabulum seueritatis modò in bonam, modò in mãlam partem vsurpari. Et sic seueritas, quatenus in bonam partem accipitur, est species mansuetudinis, quà in alios grauius quidem; sed tamen iustè ob delicta animaduertitur. Similiter placabilitas non videtur aduersè opponi lenitati, sed partim sub lenitate, partim sub clementia comprehendi. Est enim placabilitas, Græcè συγχωρητικὴ, nihil aliud, quàm virtus moralis, per quam homo offensam sibi factam facile alteri condonat, & in pristinam cum eo gratiam redit. Et sic non videtur differre à mansuetudine in genere accepta. Denique moderatio iræ cum sit actio, non potest propriè & absque tropo constitui genus mansuetudinis, & seueritatis, quatenus sunt species virtutis moralis.

Placabilitas quid sit.

4 Qua

4 *Quæ vitia mansuetudini opponantur?*

SIcut omnibus aliis virtutibus moralibus; ita etiam mansuetudini vitium aliud in excessu, aliud in defectu opponitur. In excessu opponitur partim iracundia, partim crudelitas. Iracundia; Græcè ὀργιλότης dicta, est vitium morale in irascendo modum excedens: & diuiditur in tres species, ἀκεφαλίαν, πικρότητα & βαρυθυμίαν, hoc est, *excandescentiam, amarulentiam & asperitatem animi*. Excandescentia est iracundia, qua homo subitò & apertè ob causam leuiorem irascitur, & quidem vehementius quàm oportet; sed iram citò iterum deponit, & se placari patitur. Amarulentia est iracundia; qua homo tardius quidem irascitur; sed iram semel animo conceptam occultè fouet tam diu, donec vel vindictam exercuerit; vel temporis diuturnitate concoxerit. Asperitas animi est iracundia aperta & pertinax, quæ absque vindicta nullo modo sedari potest. Crudelitas Græcè dicta χαλεπότης: Latinè etiam sæuitia, rigiditas & inclementia, est vitium morale in puniendo & vlciscendo modum excedens. In defectu verò opponitur mansuetudini partim lentitudo, partim indulgentia nimia. Lentitudo Græcè ἀοργησία, quasi dicas, *ira vacuitas*, est vitium morale in irascendo deficiens. Indulgentia nimia est vitium morale in puniendo & vindicando deficiens. Vnde patet mansuetudinem non tantum versari inter lentitudinem & iracundiam, vt docet Aristoteles; sed etiam inter crudelitatem & nimiam indulgentiam.

5 *An irasci homini sit licitum?*

PRo thesi affirmatiua faciunt hæ rationes: 1, *Pro ira. Ratio* 1

quia ira per se est affectus naturalis: Ideoque non
2 vitiosus. 2, quia honestum & laudabile est irasci,
quas ob causas decet, quibus decet, quomodo,
3 quando, & quam diu decet. 3, quia turpe est & vi-
tuperabile non irasci, quando, quibus, quomo-
Libr. 4. Eth. Nico. cap. 11. Et lib. 3. Eudem. cap. 3. do, quas ob causas & quamdiu decet: Et qui hoc
faciunt, appellantur ab Aristotele stulti, sensus &
doloris expertes, inepti ad propulsandam iniuri-
am, adeoque seruili ingenio præditi. 4, quia ira
4 est cos fortitudinis, qua homo acuitur ad propul-
5. sanda mala, quæ ab aliis iniustè inferuntur. 5, quia
ira Deo quoque in scriptura tribuitur. Id quod nõ
fieret, si irasci simpliciter esset malum.

Contra iram Argumenta. At pro thesi negante adducuntur hæc argu-
menta: 1, quia ira est furor & rabies mentis. 2, quia
1 inducit tremorem labiorum, dentium crepitum,
2 pallorem vultus, totiusq; corporis mutationem.
3 3, quia est calcar & incitamentum ad omnis ge-
neris peccata perpetranda. Hinc rectè Menan-
der:

Ὀργὴ δὲ πολλὰ δρᾷν ἀναγκάζει κακά·
Ira multa facere cogit mala.

4 4, quia inimica est sapientiæ & iustitiæ. Et hoc te-
statur etiam Gregorius *lib. 5. moralium*, inquiens:
*Per iram sapientia perditur, vt quid quove ordine
agendum sit, nesciatur.* Item, *Per iram iustitia re-
linquitur: quia dum perturbata mens iudicium si-
ne ratione exasperat; omne, quod furor suggerit, re-
ctum putat: Per iram lux veritatis amittitur, quia
cum menti iracundia confusionis tenebras incutit,
5. huic Deus radium suæ cognitionis abscondit.* 5, quia
ira tam à sacris quàm profanis Auctoribus prohi-
betur & vituperatur.

Pro

Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt inter iram moderatam & immoderatam. Illa eſt, quę terminos & cancellos à recta ratione præſcriptos non transgreditur; & propterea eſt licita: Hæc verò eſt, quæ contrà agit. Id autem fit non tantum cum homo non iraſcitur, quando, quibus & cur decet; aut etiam iraſcitur quando, quibus & cur non decet: ſed etiam quando citius & tardius, leuius vel grauius, longius vel breuius quam decet iraſcitur. Ideoque eiuſmodi ira immoderata eſt illicita & fugienda.

Quæſtio deciditur per diſtinct.

6 *An vindicare iniuriam homini ſit licitum?*

PRo theſi affirmante militant hæc argumenta: 1, quia iraſci, hoc eſt, appetere vindictam, homini eſt licitum. Ergò etiam vindicare iniuriam. 2, quia honeſtum eſt quandoque vindicare iniuriam; & turpe non vindicare. 3, quia vindicta nihil aliud eſt, quam iniuriæ contumeliæque iniuſtè illatæ punitio. Hæc autem per ſe & ſimpliciter non eſt illicita. 4, quia non tantum Deus ipſe, vindicat iniuriam ſibi illatam; ſed etiam magiſtratum politicum tanquam vicarium ſuum ad puniẽdas iniurias ſibi aliisq; illatas ordinauit. 5, quia ſine vindicatione & punitione iniuriarum, neque diſciplina, neque ſecuritas, ſiue domeſtica, ſiue politica conſiſtere poteſt. 6, quia nimia conniuentia & indulgẽtia, quæ adhibetur vel in condonandis vel relaxandis pœnis debitis, eſt vitium morale. 7, quia non tantum clementia, ſed etiam ſeueritas moderata in vindicandis, puniendiſque peccatis adhibita eſt virtus moralis, laudéque digna cenſetur.

Pro vindicta Argum.

1

2

3

4

5

6

7.

Contra vindictam

Argum. 1

Pro thesi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia scriptura sacra non tantum prohibet, ne vindicemus iniurias nobis illatas; sed etiam præcipit, vt maledicentibus benedicamus, & malefacientibus benefaciamus: *Leuit. 19. Prouerb. 24. Ecclesiastic. 28. Matth. 5. Rom. 12. & alibi.* 2, quia cum mansuetudine, præsertim clementia, pugnat vindicatio iniuriæ. Vnde etiam *Aristoteles lib. 4. Eth. Nicom. cap. 11.* inquit, ὁ ἡμερητικὸς ὁ πρᾶος, ὠλλὰ μᾶλλον συγγνωμικός, *mansuetus non est ad vlciscendum, sed potius ad ignoscendum propensus.*

2.

Pro decisione quæstionis quidam distinguunt inter vindictam priuatam & publicam: Et illam quidem homini illicitam esse; hanc verò licitam esse asserunt. At neque omnis priuata vindicta est illicita; neque omnis publica licita. Alioquin enim sequeretur, neque patrifamilias concessum esse, castigare & punire suos liberos & alios domesticos peccantes: neque magistratum in vindicandis & puniendis peccatis vnquam peccare posse. Itaque distinguendum est inter vindictam moderatam & iustam, & inter immoderatam & iniustam. Illa enim homini est licita siue publica sit, siue priuata: Hæc verò contra est illicita. Ac de priore quidem vera est thesis affirmatiua cum suis argumentis: De posteriore verò thesis negatiua. Inprimis verò notandum est, sacram scripturam non prohibere simpliciter priuatam vindictam; sed tantum immoderatam & iniustam, præsertim eam quando conuitium conuitio, maleficium maleficio, adeoque in genere malum malo retaliatur & compensatur.

Propria decisio subiũgitur.

7 Quæ

7 *Quæ sint propria mansueti hominis officia & quæ vitia?*

ARistoteles *lib. 4. Ethicor. Nicom. cap.* 11. docet mansuetum non irasci, nisi quibus, quando, quomodo, quantum & cur debet irasci. Sed vt hæc assertio Philosophi rectius intelligatur, vberius & clarius est explicanda. Sciendum igitur est, mansuetum hominem: 1, no omnibus irasci; sed tantum iis, qui ex destinata malitia peccant, neque suorum sceleratum pœnitudine ducuntur: iis vero, qui per imprudentiam peccant, aut saltem culpam deprecantur, & venia petunt, quantum officii ratio permittit, ignoscere 2, non irasci propter leues causas; sed tantum propter graues & arduas pertinentes ad defensionem religionis, legum, patriæ, propriique honoris. 3, non nimis cito, vel tarde irasci. 4, cauere, ne primo iræ feruore & impetu eo vsque abripiatur, vt aliquid committat, quod sit vel contra honestatem vel vtilitatem ipsius, atque adeo cuius ipsum postea pœniteat. Hinc Athenodorus Philosophus Augusto Cæsari suadet, ne iratus quicquam vel dicat, vel faciat, priusquam literarū Græcarum XXIV. nomina apud se recensuerit. Idem præcipit Statius Poeta lib. 8.

——— *ne frena animo permitte calenti,*
Da spatium, tenuemque moram, mala cuncta ministrat
Impetus, &c. ———

5 non nimis grauiter vel leuiter irasci. 6, non diu iram fouere, ne in odium degeneret. Scit enim inconueniens esse, vt homo mortalis immortalem iram gerat. Idcirco etiam Paulus *Ephes.* 4. vult, vt iram nostram dimetiamur ad solis motum, vt

Officia & nota hominis mansueti recensentur.

7
8
1
2
3
4
5
6

7 que tam velociter, quam sol, decurrat. 7, esse συγγνωμονικὸν μᾶλλον ἢ ἀμωρητικόν· hoc est, *propensum magis*
8. *ad ignoscendum, quam ad ulciscendum.* 8, non tantum condonare vindictam & pœnam ei, à quo offensus est, sed etiam eius causam irritatricem, nempe offensam & iniuriam altâ obliuione sepelire.

8 *An mansuetudini iracundia magis, quam lentitudo repugnet?*

Sententia affirm. defenditur. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia iracundia est vitium remotius à mansuetudine quàm lentitudo. 2, quia frequentius peccant homines circa iracundiam, quàm lentitudinem. 3, quia iracundia minus est accommodata ad vitæ societatem hominumque conuersationem. Siquidem cum hominibus iracundis, qui vel citò & ob leuem causam vel amarulenter, vel asperè irascuntur, nemo libenter conuersatur. 4, quia iracundia plus nocet sibi & aliis, quàm lentitudo.

Ratio 1
2
3
4.

Obseruatio. Interim tamen sciendum est, lentitudinem quoque esse vitium noxium, non tantum Reipublicæ; sed etiam illi ipsi, qui eo laborat: siquidem homo lentus, vt Aristoteles docet: 1, habetur pro fatuo, qui tanquam lapis iniurias sibi illatas non sentiat. 2, pro eo, qui est ἀνδραποδώδης, hoc est, *mancipium*, seu *seruili & abiecto animo præditus, nec suæ famæ & existimationis vllam curam habet.* 3, pro eo, qui ad res bene gerendas est ineptus.

9 *An longanimitas & misericordia sint species mansuetudinis?*

Thesis neg. defenditur. LOnganimitas Græcè μακροθυμία, propriè sumitur

tur pro virtute, per quam homo ad irascendũ & puniendum non est propensus. Et sic non est species mansuetudinis; sed nihil aliud, quàm mansuetudo in lenitatem & clementiam diuisa. Hinc etiam μακροθυμίᾳ opponitur ὀξυθυμίᾳ, qui citò & subitò irascitur. Misericordia verò, modò sumitur pro specie affectus naturalis, & sic est tristitia propter res aduersas alterius suscepta: modò verò pro promptitudine succurrendi miseris; & sic species est non mansuetudinis, sed liberalitatis seu benignitatis.

CAPVT II.
De Humilitate.
PRÆCEPTA.

1 *Tantum de Mansuetudine. Sequitur Humilitas: quæ est virtus moralis, rerum secundarum vsum moderans.* — *Humilitas definitur.*

2 *Ei opponitur in excessu superbia; in defectu immoderata depressio.* — *Eius oppositæ explicantur.*

3 *Superbia est vitium morale, per quod homo in rebus secundis nimium sese effert aliisque anteponit.*

4 *Immoderata depressio est vitium morale, per quod homo in rebus secundis immodicè sese infra alios deprimit & abiicit.*

QVÆSTIONES.

1 *An humilitas sit virtus moralis?* — *Sentent. affirmatiua tenditur.*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia definitio virtutis moralis ei competit. 2, quia est probitas rerum secundarum vsum mo- — Ratio 1, 2

derans, scu, vt Bernhardus definit, est virtus, qua
3 vera sui cognitione sibi ipsi quilibet vilescit. 3, quia versatur inter duo extrema vitia, nempe su-
4 perbiam & nimiam suiipsius depressionem. 4,
5 quia ex se laudem & honorem meretur. 5, quia ad illius studium sacra scriptura eiusque interpretes
6. passim nos hortantur. 6, quia humilis dicitur, qui non tantum modestè de se sentit ex sensu suæ in-digentiæ & infirmitatis; sed etiam hoc cultu & ge-stu corporis exprimit.

Pro thes. neg. Obiectiones. At pro contraria thesi afferri possunt hæc ar-gumenta: 1, quia humilitas propriè est qualitas
1 Physica altitudini opposita: Ideoque etiam hu-
2 miliatio opponitur exaltationi: 2, quia humilitas impropriè & moraliter accepta pugnat cum ma-gnanimitate. Hæc enim secundum Aristotelem est virtus moralis, per quam homo ex merito ma-gnis se honoribus dignum iudicat: *Humilitas* ve-rò est, per quam homo magnis honoribus se indi-gnum iudicat. Hinc etiam à Bernhardo definitur contemptus propriæ excellentiæ. Et à Basilio in Hexaemero tria esse dicuntur, quæ radicata nu-triunt humilitatem, nempe, assiduitas subiectio-nis, consideratio propriæ fragilitatis, & consi-deratio rei melioris, quæ scilicet nobis deest. 3, quia
3. humilitas moraliter accepta à Gregorio *libr.* 15. *moralium* appellatur modò origo, modò mater virtutum. Et à Bernhardo *in libr. 5. de consideratione virtutum*, stabile fundamentum. Item ab Hu-gone *de claustro animæ lib. 3.* humilitatis melle dicuntur condiri omnia genera virtutum. Quod si igitur causa, fundamentum & condimentum differt ab eo, cuius est causa, fundamentū & con-

dimen-

dimentum; sequitur, humilitatem non esse virtutem moralem.

Respondeo ad primam obiectionem, esse æquiuocationem in vocabulo *humilitatis*, quod modò propriè sumitur pro qualitate hylica opposita altitudini; modò impropriè & metaphoricè pro specie virtutis moralis, quæ Græcè dicitur πραότης ἠθικὴ. *Respondetur ad obiect.* 1

Ad alteram obiectionem respõdeo, humilitatem nõ pugnare cum magnanimitate: Non enim humilitas est, per quam homo magnis honoribus quibus dignus est, se indignum, aut minoribus, quàm meritus est, se dignum iudicat: multò minus humilitas est contemptus propriæ excellentiæ: sed est virtus, per quam homo ex cognitione sui, & consideratione honorum, quæ sibi adsunt, & malorum, quæ absunt, submissè de se sentit & loquitur, neminemque præ se contemnit, & sic in rerum secundarum, præsertim honorum, vsu moderatè se gerit. Deus enim non vult, vt bona à se accepta abnegemus & supprimamus; sed vt ea agnoscamus, eorumque vsum aliis communicemus. 2

Ad tertiam obiectionem respondeo, humilitatem dici originem, matrem, fundamentum & condimentum virtutum, non omnium simpliciter, sed omnium cæterarum præter seipsam. Id-eoque inde non sequi, humilitatem non esse speciem virtutis moralis. 3.

2. *Quæ vitia humilitati opponantur?*

CVm humilitas sit virtus moralis, necesse est, vt illa media versetur inter duo extrema vitia, quorum vnum in excessu; alterum in defectu

Vitia humilitati opposita explicantur.

peccet. In excessu opponitur ei superbia: quæ vox origine videtur Græca esse, deducta à nomine ὑπερβιά, significãte vim modum excedentẽ; & aliàs Græcè dicitur superbia, modò ὑπερηφάνεια ἢ ὑπερηφανία, quasi dicas *supereminentia*; ab adiectiuo ὑπερηφανὴς ἢ ὑπερήφανος, quod propriè significat *eum, qui super alios apparet & eminet*; deinde metaphoricè eum, qui superbus est, & animo elatus: modò ὑπερόψια, quasi dicas, *despectus & contemptus aliorum præse.*

Superbia quid sit secundum alios.

Definitur autem superbia ab aliis modò appetitus peruersæ celsitudinis; modò inordinatus appetitus excellentiæ, cui debetur honor & reuerentia; modò amor proprię excellentiæ: modò

1 defectus subiectionis hominis ad Deum, secundum quem aliquis se extollit supra id, quod est sibi præfixum secundũ diuinam regulam vel mensuram. Sed hę definitiones omnes sunt vitiosæ, siue genus spectes, siue differentiam generi additam. Cum enim superbia sit vitium morale, & per

2 consequens habitus & qualitas mala, non potest esse vel appetitus, vel defectus; quorũ ille est

3 actio, hæc priuatio. Cumq; obiectum propriũ & adequatum superbiæ sit vsus rerum secundarum,

4 quatenus ad excessum declinat, nõ potest esse sola celsitudo, vel excellentia, aut simile quippiam.

Propria definitio superbiæ traditur.

Itaque rectius definitur superbia, quod sit vitium morale, per quod homo in rebus secundis nimium sese effert, aliisque præponit. Eaque exeritur partim animi elatione, partim sermone cultuq; & gestu corporis nimis superbo & ambitioso. In defectu verò opponitur humilitativitium, quod per se quidem nomine proprio caret; dici tamen tropicè

picè potest immodica sui demissio & abiectio.

3 An humilitas omni homini sit colenda, superbia verò fugienda?

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia humilitas est virtus moralis: superbia verò vitium morale. 2, quia humilitas Deo & hominibus est chara & grata: superbia verò odiosa & ingrata. 3, quia humilitas est mater, fundamentum & condimentum omnium virtutum. Superbia verò est initium peccati, & radix omnium vitiorum. 4, quia superbia rectè facta inquinat & polluit. 5, quia apostasia à Deo est initium superbiæ. 6, quia superbia præcedit ruinam, Deusque tandem grauiter superbos punit. Vnde Menander: Ὁ ζεὺς κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων. Et Herodotus libr. 1. Φθονέει ὁ θεὸς τὸ ὑπερέχον καὶ πάντα κολούει. 7, quia omnis superbus est stultus & insipiens: cum se suamque indigentiam & infirmitatem ignoret. 8, quia qui se humiliat, exaltatur; & vice versâ, qui se exaltat, humiliatur. Hinc Augustinus de verbis Domini rectè ait: *Cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Item, *Omnes delectat celsitudo; sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem vltrate? Cadere vis, non assurgere: à gradu incipe, & ascendisti.* Vbi etiam humilitatem vocat medicinam, omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia deprauata corrigentem.

Sententia affirmat. defenditur.

1
2
3
4
5
6
7
8.

In quam sententiam etiam Chrysostomus *in Policratico libro* 3. ait: *Quisquis gradus propriæ celsitudinis amat, humilitatis cultum*

in moribus diligentissime teneat. Nimirum qui ab hac militatis operibus recedit, a dignitatis fastigio tumoris pondere cadit. Item Isidorus in Synonymis: *Esto parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei. Tanto enim eris apud Deum pretiosior, quanto fueris in oculis tuis despectior.* 9, quia hominis sapientiam affectantis primum est contemplari, quid ipse sit, quid intra se, quid extra, quid supra, quid infra, quid contra, quid ante, quid postea. Hæc consideratio, quadripartitum parit fructum, veritatem sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei, vt docet Chrysostomus *tract. 11 de Symbole.* 10, quia virtutum stabile fundamentum est humilitas, quæ si omittitur, virtutum congregatio nonnisi ruina est, vt ait Bernhardus. Cui consentit Gregorius *lib. 34. moralium.* Qui sine humilitate virtutes congregat quasi in ventum pulverem portat. 11, quia non tantum Scriptura, sed etiam profani Auctores omnem hominem ad humilitatem hortantur, & a superbia dehortantur. Hinc Euripides:

Φρονεῖν θνητὸν ὄντ' οὐ χρὴ μέγα.
Non decet mortalem superbire.

CAPVT III.

De Concordia.

PRÆCEPTA.

1 *Fuit virtus homiletica primæ classis: Sequitur ea, quæ est secundæ classis, & sub se complectitur concordiam & syncerit atem.*

2 *Concordia est virtus moralis, per quam homo*

homo consensionem & pacem debitam cum omnibus inire & colere promptus est.

3 *Ei in excessu opponitur discordiæ; in defectu* μισανθρωπία *seu* vitæ solitariæ studium.

4 *Discordia est vitium morale, per quod homo à consensione & pace debitâ cum aliis colenda est alienus.*

5 *Ei subiicitur litigiositas & pugnacitas.*

6 *Litigiositas est vitium morale, per quod homo propensus est ad litigandum cum aliis.*

7 *Pugnacitas est vitium morale, per quod homo propensus est ad pugnandum cum aliis.*

8 *Misanthropia est vitiũ morale per quod homo consortium hominum declinat, & vitæ solitariæ est studiosus.*

QVÆSTIONES.

1 *An concordia sit virtus moralis?*

PRo thesi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia definitio virtutis moralis concordiæ cõpetit. 2, quia est probitas, per quam homo cõsensionem & pacem debitam cum omnibus inire & colere prõptus est. 3, quia à concordia profluunt actiones honestæ & laudabiles, cuiusmodi sunt studium consensionis & pacis, & odium dissensionis, litigii & pugnæ. 4, quia discordia opponitur concordiæ tanquam vitium morale. 5, quia ad concordiam sectandam & colendam tanquam virtutem non vulgarem hortantur nos non tantum sacræ literæ; sed etiam alii grauissimi Aucto-

Pro sentẽtia affirm.

Argumenta.

1

2

3

4

5

res. 6, quia qui concors est & pacificus, is habetur pro viro probo, laudéque & honore dignus iudicatur.

Pro thesi negatiua arg.

1 At contrà pro thesi negante afferri possunt hęc argumenta: 1, quia cõcordia nihil aliud est, quàm conuenientia cordium & animorum, seu, vt clarius loquar, est identitas voluntatum & affectuum in diuersis hominibus. Eiusmodi autem conuenientia est relatio, & ex cõsequenti non est virtus moralis: cum hæc non sit relatio, sed qualitas.

2 2, quia concordia est species amicitiæ politicæ teste Aristotele *lib. 9 Ethic. Nicomach. c. 6. & lib. 7. Eudem. cap 7.* Amicitia autem non est virtus moralis,

3 sed eius effectum. Ergo neque concordia. 3, quia concordia cadit etiam in improbos: virtus autem moralis non cadit in improbos.

Quæstio deciditur per theorem.

Pro decisione quæstionis obseruanda sunt sequentia theoremata: 1, Vocabulum concordiæ, quę Græcè dicitur ὁμόνοια ἢ ὁμοφροσύνη esse ambiguum,

1 & modò sumi pro conuenientia cordium & animorum; seu identitate voluntatum & affectuum in diuersis hominibus; modò pro habitu morali, per quem homo consensionis & pacis amans est & studiosus, qui ab aliis φιλησυχία dicitur. Ac in priore quidem significatione non esse virtutem

2 moralem; in posteriore verò esse. 2, vocabulum concordiæ in priore significatione rursus duobus modis sumi: vel propriè, pro consensu proborum in rebus bonis; & sic in improbos non cadere; vel impropriè pro consensu improborum in rebus malis, qui alio nomine dicitur conspiratio, coniuratio. Atque hoc etiam expressè docet Aristoteles *libro 7. Eudemiorum capite 7.* cum ait:

Εοικε

Ἔοικε ἡ ὁμόνοια οὐχ ἁπλῶς λέγεσθαι, ὥσπερ οὐδ' ἡ φιλία· ἀλλ' ἡ μὲν πρώτη καὶ φύσει σπουδαῖα. Διὸ οὐκ ἐστὶ τοὺς φαύλους ὁμονοεῖν. ἑτέρα, καθ' ἣν καὶ οἱ φαῦλοι ὁμονοοῦσιν, ὅταν τῶν αὐτῶν τὴν προαίρεσιν καὶ ἐπιθυμίαν ἔχουσι. *Videtur concordia non vno modo dici, sicut neque amicitia; sed alia quidem prima & natura bona, secundum quam improbi concordes esse nequeunt: alia secundum quam etiam improbi sunt concordes, quando earum rerum electionem & cupiditatem habent.* Quando igitur Aristoteles *libro 9. Ethicorum ad Nicomachum* ait, concordiam esse tantum proborum, non autem improborum, illud effatum Philosophi intelligendum est de concordia propriè, non impropriè dicta. Secundum hanc enim soli probi sunt concordes, non autem improbi, vt patet ex rationibus in citato loco ab eo allatis. Illi enim soli primum secum & inter se consentiunt, & in iis, vt ita loquar, versantur: Deinde voluntates habent stabiles, quæ non instar Euripi fluunt & refluunt: Tertiò nõnisi iusta & vtilia volunt & communiter appetunt.

Soli probi propriè sunt concordes.
1
2
3.

2 *An concordia differat ab homodoxia?*

ARistoteles *libro 9. Ethicorum Nicomah. capite 6.* distinguit inter ὁμόνοιαν & ὁμοδοξίαν, hoc est, concordiam & opinionum cõsensum. Ait enim 1. illam tantum esse inter notos; hanc verò etiam inter ignotos. 2. illam versari περὶ τὰ πρακτὰ, *circa res agendas*; cuiusmodi sunt bona illa, quæ ad conuictum mutuum & societatem hominum, & tam priuatam, quàm publicam vtilitatem pertinent. Hanc verò περὶ τὰ νοητὰ, *circa res contemplandas*, cuiusmodi sunt verum & falsum. His

Thesis affir. defenditur.

Differentia
1
2

addi possunt declarationis gratiâ adhuc duæ aliæ
3 differentiæ: 1, quod concordia partim est virtus
moralis, partim voluntatum & affectuum in di-
uersis hominibus circa rem agendam consensus:
homodoxia verò est opinionum seu sententia-
rum, circa quas ratio & intellectio hominis ver-
4. satur, consensus. 2, quod concordia potest etiam
esse inter heterodoxos, hoc est, eos, qui opinioni-
bus inter se discrepant: & homodoxia inter dis-
cordes.

3 *An concordiæ conseruatrix rectè dicatur æqualitas?*

STatuitur thesis affirmatiua. Sicut enim inæ-
qualitas parit & alit discordiam: ita contra æ-
qualitas, concordiam. Et hoc etiam testatur com-
1 mune prouerbium ἴσα πόλεμον οὐ ποιεῖ. hoc est, *æqua-*
2 *litas bellum non parit*. Idem affirmat Aristoteles *in*
libro de mundo cap. 5. cum inquit, τὸ ἴσον σωστικόν πως ἐστὶν
ὁμονοίας, *æqualitas coseruatrix quodammodo est con-*
3 *cordiæ*. Item, *in lib.* 5. *Polit.* cum asserit seditionem
oriri, quando minores fiunt æquales, & æquales
maiores.

4 *An concordia semper sit honesta & vtilis, & sic cum omnibus colenda?*

Quæstio deciditur per distinct.

SI quæstio intelligatur de concordia quatenus
sumitur vel pro consensu proborum in bonis,
vel pro specie virtutis moralis; sic thesis affirma-
1 tiua simpliciter est vera. Eiusmodi enim concor-
2 dia nunquam est turpis & noxia. Et de ea verum
est, quod Salustius ait in bello Iugurthino: *Con-*
cordia res paruæ crescunt; discordia maximæ di-
labuntur. Id quod etiam docere voluit Scilurus,
quando octoginta filiorum pater mortis iam vici-

nus

nus fasciculum ex iaculis vnicuiq; porrigens confringere iussit. Cum autem defessi omnes nihil effecissent, ipse singillatim extrahens iacula, omnia facilè fregit: hoc ipso argumento concordię atq; vnionis vtilitatem monstrauit. Si verò intelligatur quæstio de concordia impropriè dicta, cuiusmodi est improborum in malis consensus & conspiratio, sic thesis negatiua simpliciter est vera. Talis enim concordia nunquam est honesta & vtilis; sed semper turpis & noxia. Et hoc etiam innuit Aristoteles *lib. 2. magn. moral. cap.* 12. cum ait: οἱ φαῦλοι ταὐτὰ προαιρούμενοι καὶ ἐπιθυμοῦντες βλάπτουσιν ἀλλήλους, hoc est, *improbi eadem præeligentes & concupiscentes nocent sibi inuicem.* Hinc etiam sicut aliarũ rerum diuersarum in vnum corpus commixtarum; ita etiam improborum consensus non ineptè à quibusdam dicitur concordia discors: quia licèt in aliqua re consentiant improbi: tamen fine & modo agendi inter se dissentiunt. Vnde vlterius patet, concordiam cum probis semper esse colendam: cum improbis verò nonnisi quatenus recta ratio suadet & permittit.

5 *An discordia sit vitium morale; ideoque semper fugienda?*

VOcabulum *discordiæ* perinde ac *concordiæ* non semper vno & eodem modo vsurpatur. Quandoque enim sumitur pro dissensu cordium & animorum seu diuersitate voluntatum & affectuum in quibusdã hominibus. In qua significatione ab aliis definitur modò disgregatio voluntatum in diuersa, quâ voluntas vnius fertur in vnum, & voluntas alterius fertur in aliud: modò diuersio aliquorum, quos amoris vinculum col-

Quæstio explicatur per distinct.

Homonymia vocabuli excutitur.

ligauit. Et sic non est vitium morale, quia non est qualitas, sed vel relatio, vel actio: Quandoque sumitur pro habitu morali, per quem homo alienus est à consensione & pace debitâ cum aliis ineundâ & colendâ. Et sic est vitium morale, quod sub se partim φιλονεικίαν, *litigiositatē*, partim φιλομαχίαν, *pugnacitatem* complectitur. Et quatenus est vitium morale, semper est fugienda: cum sit turpis & noxia, ad eamque fugiendam non tantum sacræ literæ, sed etiam profani autores nos grauiter hortantur.

Obseruatio subiicitur.

Interim sciendum est, discordiam, quam vel probi habent cum improbis, vel improbi inter se, non esse malam sed bonam: Ideoque non semper fugiendam. Vnde rectè Gregorius *libr. 33. moralium* ait: *Sicut noxium esse solet, si vnitas desit bonis: ita pernitiosum est, si sit in malis. Peruersos quippe vnitas corroborat, dum concordant, & tanto minus corrigi possunt, quanto magis vnanimes fiunt.* Cum quo etiam consentit Isidorus libro 3. de summo, bono inquiens: *Concordia malorum contraria est bonorum: & sicut optandum est, vt boni pacem habeant ad inuicem: ita optandum est, vt mali sint discordes. Impeditur enim iter bonorum, si vnitas non diuiditur malorum.*

CAPVT IV.

De Synceritate.

PRÆCEPTA.

Synceritas definitur.

1 *Adhuc de Concordia: Sequitur Synceritas, quæ est virtus moralis, per quam homo in omnibus*

omnibus factis & dictis suis ingenuè & apertè vti decet, sese gerere promptus est.

2 Est q; vel candor, vel veracitas.

Eius species explicantur.

3 Candor est synceritas, per quam homo nihil fucatè & simulatè, contra quam decet, agit.

4 Veracitas est synceritas, per quam homo ad patefaciendum & dicendum verum propensus est, & à mendacio abhorret.

5 Synceritati opponitur insynceritas, quæ est vitium morale, per quod homo in factis & dictis suis insyncerè sese gerere solet.

Opposita declarantur.

6 Est q; vel hypocrisis vel mendacitas.

7 Hypocrisis est insynceritas per quam homo fucatè & simulatè, contra quam decet, agit.

8 Mendacitas est insynceritas, per quam homo ad mentiendum est procliuis.

9 Eius species sunt partim arrogantia & dissimulantia, partim assentatio & obtrectatio.

10 Arrogantia est mendacitas, quâ homo vel ea, quæ non habet, dicit se habere, vel ea, quæ habet, magis quàm decet, gloriosè iactat & venditat.

11 Dissimulantia est mendacitas, quâ homo ea, quæ habet, abnegat & extenuat.

12 Assentatio est mendacitas, qua homo alterius bona falsò & immodicè prædicat placendi causa.

13 Obtrectatio est mendacitas, quâ homo alterius factavel dicta in deteriorem partem rapit & interpretatur.

QVÆSTIONES.

1 *An synceritas sit virtus moralis?*

Quæstio explicatur per distinct.

VOcabulum synceritatis modò Physicè, modò Ethicè vsurpatur. Physicè sumitur modò pro integritate, qualis est in corporibus illæsis & non mutilatis; modò pro puritate, qualis est in corporibus, quæ nihil substantiæ heterogeneæ aut excrementitiæ sibi habent admixtum. Et sic non est virtus moralis. Ethicè verò sumitur pro habitu αὐτυποκρίτως καὶ ἀκιβδήλως, hoc est, ingenuè, cândidè & apertè sine dolo malo agendi, qui Latinè per metaphoram dicitur modò integritas, modò simplicitas opposita duplicitati, Germanicè Aufrichtigkeit oder Vnfalschheit. Et sic est virtus moralis: tum, quia definitio virtutis moralis ei competit: tum, quia est probitas, per quam homo ingenuè & apertè sese in omnibus factis & dictis, vti decet, gerere promptus est: tum, quia tam sacra scriptura, quàm profani auctores ad synceritatem colendam tanquam virtutem moralem nos hortantur: tum, denique, quia insynceritas, quæ ei opponitur, pro vitio morali valdè fœdo & odioso ab omnibus habetur. Hinc *Plato libr. 5. de legibus* ait: *Decet quemlibet virum ad hoc vnum vnicè eniti, ne ipse vnquam erga vllum sit insynce-*
Iliad. 1. *rus, sed semper simplex & verax.* Et Achilles apud Homerum ait, se hominem duplum & insyncerum perinde odisse ac inferni portas.

Homonymia vocabuli excutitur.

Synceritas Ethicè accepta est virtus moralis.

Ratio
1
2
3
4.

Ἐχθρὸς

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερα φρονέῃ μυθήσεται ἢ τὰ κεύθει.
Odi equidem ceu claustra Erebi, quicunque loquuntur
Ore aliud, tacitoque aliud sub pectore condunt.

2 *An syncerit as differat à veracitate?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia synceritas est genus veracitatis tanquam speciei, & sic eâ latius patet. 2, quia synceritatis obiectum adæquatum sunt tam facta, quàm dicta externa hominis, quatenus sunt informanda vt ab omni fuco, simulatione & dolo malo absint. Veracitatis verò obiectum adæquatum sunt sola dicta, siue ore prolata, siue scripta. *Sententia affir. defenditur.* *Ratio* 1 2.

Verum, huic sententiæ videtur omninò refragari Aristoteles. Nam *libr. 4. Ethic. Nicom. cap. 13.* expresè asserit, hominem ἀληθεύειν καὶ ψεύδεσθαι ὁμοίως ἐν λόγοις, καὶ πράξεσι, καὶ περὶ ποιήματα, *veritatem colere & mentiri pariter in dictis, factis, & simulatione.* Item, ἀληθευτικὸν εἶναι καὶ τῷ βίῳ καὶ τῷ λόγῳ, *veracem esse & vita & oratione*; qui ea, quæ habet, in se esse cõfitetur, neque ea exaggerat vel extenuat. Hinc etiam ab iis, qui Aristot. sequuntur, veracitas definitur virtus: modò, quâ studemus vt oratio, gestus & omnis vitæ nostræ actio conueniat cum mentis nostræ sententiâ, cum voluntate & affectu nostro; atque adeo per quam ita agimus & loquimur, vt sentimus & affecti sumus, nihil addendo, nihil detrahendo, aut noxiè dissimulando: modò virtus, per quam ita voluntatem nostram, & ex voluntate promanantes sermones, gestus & actiones omnes ita moderamur, vt sermo, gestus & actio habeat in se imaginem & similitudinem cogitationum, volitionum & affectuum nostro- *Obiectio* 1. *Veracitas quid sit secundum Aristotelicos.* 1 2

3 rum : modò virtus, per quam ad nos & ad alios
pertinentia talia patefacimus, qualia sunt; & po-
4 tius nostra minuimus, quam augeamus : modò
virtus in vita veritatem & mendacium obser-
5 uans : modò virtus modum in sermonibus & a-
6 ctionibus, quoad verum obseruans: modò affe-
ctus orationis & factorum conueniens menti
7. seu eius conceptui: modò virtus studens dicere &
facere congruentia cum rebus.

Respondetur ad obiect. Respondeti autem potest, veracitatem, quæ ab Aristot. dicitur ἀλήθεια, ab aliis φιλαλήθεια, ἀψευδεία, modò strictè sumi in Ethicis pro virtute veritatem orationis moderante : modò verò latè pro synceritate, quæ veritatem tam in actionibus, quàm sermonibus moderatur. Et in hac postrema significatione in citato loco ab Aristotele vsurpari : Interim tamen veracitatem tantum circa sermonem versari.

3 *An synceritas rectè distribuatur in candorem & veracitatem?*

Sententia affirmatiua defenditur. ETsi vocabulum tam candoris quàm veracitatis frequenter ab Auctoribus sumitur impropriè & per synecdochen speciei pro synceritate in genere : tamen in accurata docendi ratione videtur distinguendum esse inter synceritatem, candorem & veracitatem, tanquam inter genus & species. Synceritas enim est genus, cui candor & veracitas tanquam species subiiciuntur. Et sicut synceritas in genere moderatur tam facta quàm dicta hominis, vt ab omni fuco & falsitate sint remota : ita candor moderatur sola facta; veracitas verò sola dicta. Et sicut synceritas in genere Græcè dicitur εἰλικρίνεια : ita candor αὐυποκρισία,

κρισία, q.d. *carentia hypocrisis*; veracitas verò φιλαλήθεια, quasi dicas, *amor* seu *studium veritatis*. Sicut etiam syncerus in genere dicitur εἰλικρινὴς: ita in specie candidus dicitur ἀνυπόκριτος: & verax φιλαλήθης ἢ ἀληθόλογος.

4 *An sit discrimen inter veritatem & veracitatem?*

ETsi vocabulum *veritatis*, sicut & ἀληθείας, sæpissimè vsurpatur tam à sacris, quàm profanis auctoribus pro veracitate: tamen propriè loquendo veritas & veracitas inter se differunt; 1, quia veritas est attributum generale entis, quod partim rebus, partim conceptibus, partim verbis ineſt, vt *lib.* 2. *Metaphysicæ cap.* 8 prolixè docetur: veracitas autem, prout ab Ethico vsurpatur, est attributum solius hominis. 2, quia veritas in genere est congruentia seu conformitas entis cum suo Archetypo. Veracitas autem est virtus moralis, per quam homo ad verum patefaciendum & dicendum procliuis redditur. 3, quia veritas, præsertim in verbis, est obiectum, circa quod veracitas versatur. 4, quia veritas alia est rerum, alia conceptuum, alia verborum: & quælibet est vel incomplexa, vel complexa. Veracitas autem hoc modo non diuiditur. Hinc Dominus Goclenius *disputat. Ethic.* 8. distinguit inter veritatem Ethicam & Logicam: & hanc quidem dicit esse, cum orario nostra cum re consentit: illam verò esse virtutem modum in sermonibus & actionibus, quoad verum obseruantem. Intelligit autem per veritatem Ethicam ipsam veracitatem.

Veritas proquendo differt à veracitate.

1

2

3

4.

5 *An viro bono licitum sit interdum simulare & dissimulare?*

Pro thesi negatiua Argumenta.

PRo thesi negante afferuntur hæc argumenta: 1, quia vir bonus omnia debet agere syncerè & candidè. Qui autem simulat vel dissimulat, is non agit syncerè & candidè. Simulare enim est, id, quod non est, esse fingere: dissimulare verò est, id, quod est, non esse fingere: 2, quia viro bono non est licitum fallere & decipere alios. Qui autem simulat vel dissimulat, ille fallit & decipit alios: 3, quia hypocrisis & dissimulantia sunt vitia moralia, à quibus simulare & dissimulare tanquã effecta oriuntur. Sicut ergo vitia moralia viro bono repugnant: ita etiam eorum effecta.

Pro thesi negatiua arg.

At contrà pro thesi negante adducuntur hæc argumenta: 1, quia viro bono licet occultare consilia sua, ne impediantur. Id autem fieri non potest sine simulatione. 2, quia viro bono licet in ludis scenicis præ se ferre personam alienam, varios-que illius affectus, gestus, facta, & dicta, etiamsi talis persona reuerâ non sit. Id autem non potest fieri sine simulatione. 3, quia in bello prudenti Imperatori licet maiores vires maioremq; commeatus copiam, quam reuerâ est, simulare, vt hostem fallat & subditos suos tueatur. 4, quia non tantum Dauid simulatione vsus est, cum ad vitandum periculum, in quod apud Achin regem Geth inciderat, faciem suam mutaret, seque stultum fingeret: sed etiam ipse Christus, cum Luc. 28. ℣. 28. coram duobus discipulis Emauntẽ euntibus fingeret se longius profecturum esse. 5, quia viro bono licet ironicè loqui: Ideoque inter tropos numeratur à Rhetoribus Ironia. Id autem

1
2
3
4
1. *Sam.* 21. ℣. 13.
5

non

non potest fieri sine simulatione. 6, quia si viro bono non licitum esset interdum simulare & dissimulare, malè fecisset Socrates, qui simulatione & dissimulatione vsus est aduersus Sophistas, dū illos vltra meritum commendauit & se nimium depressit dicens, se nihil scire. 7, quia viro bono licet honestè iocari. Id autem sine simulatione & dissimulatione fieri non potest. 6 7.

Pro decisione quæstionis obseruandum est, simulationem & dissimulationem aliam esse honestam & licitam; aliam inhonestam & illicitam. Prior est cum fingimus aliquid esse vel non esse, non animo iniustè fallendi & nocendi, neque animo consequendi maiorem, quàm par est, honorem, vel quęstum; neque animo euitandi & detrectandi officia Deo & proximo debita, præsertim patriæ, parentibus, cognatis & amicis; sed animo vel probandi, vel iustè reprehendendi alios, vel declinandi iustè impedimenta & pericula imminentia, vel repręsentandi aliorū mores ad imitandum vel fugiendum propositos, vel hostes patriæ reprimendi & superandi; vel iocandi & delectandi. Posterior est, cum fingimus aliquid esse vel non esse, planè alio & contrario fine & modo. De priore intelligenda est thesis negatiua: De posteriore thesis affirmatiua cum suis argumentis. *Quæstio deciditur per distinct.*

6 *An viro bono liceat interdum fallere & decipere alium?*

PRo thesi affirmante faciunt hæc argumēta: 1, quia viro bono licet interdum simulare & dissimulare. Ergò etiam fallere & decipere alium: cum hoc ex illo sequatur. Hinc dolus in genere à Seruio Iurisconsulto definitur machinatio quæ- *Pro thesi affirm.* *Argumenta.* 1

dam alterius decipiendi causâ, cum aliud agitur,
2 aliud simulatur. 2, quia quidam dolus non pugnat cum charitate proximi; sed cum ea consentit: quippe qui vsurpatur aut ad legitimam sui vitæque suæ defensionem, aut proximi vel iuuandi vel conseruandi vel à malis auertendi gratiâ. Eiusmodi dolus est, cum viator latronem decipit aut simulando aliam viam, aut à via trita declinando: item, cum Medicus ægrotum decipit, sanitatis restituendæ gratiâ, vt is, qui febricitantem ita circumueniebat, vt bibendo aquam putaret se bibere vinum. Similis dolus fuit, quo Dauid decepit Regem Palæstinorum, simulando se stultum. 3, quia in bello probo imperatori licet insidias struere, omnisque generis strategematis ad
3. circumueniendum & fallendum hostem vti. At
Pro thesi negatiua arg. contra pro thesi negante adducuntur hæc argumenta: 1, quia pugnat cum synceritate fallere & decipere alium. Ergo viro bono non licet: quippe in quo synceritas maximè requiritur. 2, quia
1 vir bonus debet esse ἄδολος, *expers doli*. 3, quia non
2 sunt facienda mala, vt eueniant bona.
3.

Quæstio decidutur per distinct. secundum alios. Pro decisione quæstionis quidam distinguunt inter dolum bonum & malum. Dolum bonum vocant, qui nemini contra præscriptum rectæ rationis nocet, prodest autem quibusdam. Dolum malum vocant, qui semper contra præscriptum rectæ rationis aliis officit & nocet. De priore verum esse aiunt quod eo vti liceat: De posteriore autem alii ex his asserunt simpliciter verum esse; alii secundum quid. Licèt enim negent dolo malo vtendum esse erga amicos & eos, erga quos synceritatem adhibere conuenit: tamen asserunt

eodem

eodem tanquam armis vti licere aduersus hostes, quos vel Deus ipse, vel Respublica, vel legitimus Magistratus tales declarauerit; modò iuramentum non sit interpositum, aut alioquin fides hosti de non fallendo sanctè data fuerit. In illo enim casu ne aduersus hostes quidem dolo malo licitum esse vti: nisi fortassis altera pars, cui iuratum est, à conditionibus & pactis prior discesserit: Siquidem tunc sententiam vulgo iactatam locum habere:

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Sed hæc sententia videtur non esse approbanda; quin potius statuendum esse, quod dolo malo simpliciter viro bono vti non liceat. Ad finem enim bonum & honestum mediis bonis & honestis, non malis & turpibus est contendendum. *Posterior decisio improbatur.*

7 *An viro bono semper sit dicendum verum & quidem vniuersum, quod nouit?*

PRo thesi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia arcana suæ fidei commissa non debet diuulgare vir bonus. 2, quia consilia sua quæ sine damno & periculo non possunt patefieri, celare debet. 3, quia dona sibi à Deo collata passim & apud omnes prædicare non debet, ne ineptus & futilis habeatur. 4, quia errata sua & proximi occultare debet, neque apud alios temerè & sine graui vrgente causa patefacere. 5, quia ipse Christus in nouo testamento sæpè præcepit, ne sua miracula aliis patefierent. *Pro sententia neg. arg.* 1 2 3 4 5.

At contra pro thesi affirmante pugnant hęc argumenta: 1, quia vir bonus debet esse verax. Veracitas autem est virt. mor. per quã homo ad verum *Pro thesi affirm. Argum.* 1

2 dicendum propensus redditur. 2, quia mendacis
est, cùm ea, quæ sunt, non esse dicere, aut minora
quam sunt: tum ea, quæ non sunt, esse dicere, aut
3 maiora quam sunt. 3, quia iustum est, rebus suas
voces reddere, & proximo verum dicere, quod
4 ei debetur. 4, quia falsum testimonium viro bo-
5 no nunquam est dicendum. 5, quia vir bonus De-
um imitari debet. Is autem semper verum dicit.
6. 6, quia non tantum sacra scriptura, sed etiam pro-
fani auctores ad verum loquendum nos hortan-
tur. Hinc Christus *Matth.* 5. præcipit: Sermo ve-
ster sit Est, est; Non, non; hoc est, sermo vester ve-
rè affirmet vel neget. Et Augustinus vtrumque
reum esse ait, & qui veritatem occultat, & qui
mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult,
& iste nocere desiderat.

Pro decisione quæstionis notanda sunt sequẽ-
Quæstio traditur per theorem. tia theoremata: 1, Non cuivis, neque quovis tem-
pore, neque de qualibet re semper verum dicen-
dum esse. 2, à nemine id exigi, vt verum vniuer-
1 sum, quod nouit, depromat; præsertim nullâ vr-
2 gẽte necessitate. 3, Virum bonum semper debere
3 verum dicere, quibus, quando, cur, quantum &
4 quomodo debet. 4, Virum bonum non peccare
quando verum non dicit, quod tacendum est,
aut ad quod dicendum non est ratione officii ob-
5 ligatus. 5, aliud esse, non dicere verum, aliud fal-
sum dicere. Illud enim tacendo etiam fieri posse:
6 hoc verò non. 6, non semper falsum dicere, qui
minus, quàm est, dicit. Maius enim includit in se
minus, ideoque eum, qui 50. habet florenos, verè
dicere posse se 20. viginti habere; quamuis non
7. totum, quod habet, exprimat. 7, aliud esse, diuer-
sum

sum quid dicere à veritate, aliud contrarium veritati dicere: Ideoque sæpè fieri, vt non dicamus verum, & tamen falsum non dicamus: quando nempe vel diuersum quid respondetur ab eo, quod quæritur, vel indirectum quid respondetur. 8, nudam, apertam & directam veritatem in pluribus casibus & cum prudentia, & cum taciturnitate pugnare. 8.

Errant igitur illi, qui existimant, in veritate dicenda nullam esse habendam rationem circumstantiarum loci, temporis aut personarum; sed planissimè & liquidissimè verum vbique semper & apud quosvis dicendum esse. *Error aliorũ taxatur.*

8 *An viro bono vnquam liceat mentiri?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia mendacium est falsiloquium, iniusto proposito fallendi & nocendi probatum. 2, quia mendacium per se est turpe & vituperabile, vt docet Aristoteles *lib. 4. Ethic. Nicom. cap. 13.* 3, quia mendaciũ Deo & hominibus est exosum. 4, quia mentiendo homo fidem & authoritatem sibi ipsi abrogat, vt postea non facilè ei credatur, neque vtiliter queat admonere, arguere, aut consilium, quemadmodum oportet, aut cum fructu dare. 5, quia omne mendacium humanæ societati aduersatur, quæ conseruari non potest, cum vnus alteri animi sui sensa non verè, sed falsò verbis communicat. 6, quia tam sacræ literæ, quàm profani authores nos ad fugiendum mendacium hortantur. Hinc Leuitici cap. 19. dicitur: *Ne mentiamini, nec decipiat vnusquisque proximum suum.* Ephes. 4. *Deponentes mendacium, loquamini veritatem vnusquisque cum proximo suo.* Quibus consentit *Sententia negatiua defenditur.* *Ratio* 1 2 3 4 5

Phocylides, Φεύδεα μὴ βάζειν, τὸ δ' ἐπίλυμα πάντ' ἀγορεύειν.
Item Isidor. *Omne genus mendacii summoperè fuge.*

7. 7, quia omne mendacium pugnat cum veracitate, eiusque effecto, veriloquio

Contra priorem sententiam exceptio. Cæterum, contra hanc sententiam alii partim excipiunt, partim obiiciunt. Distinguũt enim primum mendacium in officiosum, iocosum & pernicioſum. Officiosum mendacium vocant, quod nemini nocet & alicui prodest: Iocosum quod ioci & delectationis gratiâ profertur: pernicioſum, quod damnum infert proximo. Et de postremo quidem genere mendacii concedunt veram esse thesin negantem cum suis argumentis:

Obiectiones. De prioribus verò duobus negant. Deinde obiiciunt ex sacris literis exemplum: 1, obstetricum Ægyptiacarum, quæ officiosè mentiendo liberarunt infantes Hebræorũ à tyrannide Pharaonis, & propterea præmio à Deo sunt affectæ. 2, exemplum Rachab meretricis, quæ officiosè mentiendo liberauit exploratores Israelitarum ex manu hostium. 3, Abrahami, qui vitæ suæ conseruandæ gratia officiosè mentitus est, vocando Saram sororem suam. Quod ad exceptionem attinet, re-

Resp. ad except. spondeo 1. distinctionem illam mendacii in offi-

1 cioſum, iocosum & pernitioſum non esse verâ de mendacio propriè dicto; de quo nostra thesis intelligatur; sed de mendacio, quatenus impropriè & per synecdochen speciei sumitur pro falsiloquio. 2, falsiloquium aliud esse voluntarium, ali-

2 ud inuoluntarium. 3, falsiloquium voluntarium

3 aliud esse simpliciter malum & illicitum, vt mendacium propriè dictum: aliud verò secundũ quid esse bonum & licitum, si nimirum citra gloriæ di-

uinæ

iuinæ imminutionem & fidei datæ iacturam ex bono animi proposito fiat, & quidem eo fine tantum, vt scilicet vel ipse, qui id profert, vel proximus, iustè iuuetur & contra iniuriam defendatur, aut saltem sine scurrilitate & falsitate oblectetur. Quod igitur ad exempla è sacris obiecta attinet, respondeo neq; obstetrices Ægyptiacas, neque Rachabam, neque Abrahamum propriè mentitum esse; sed tantum falsum dixisse eo modo, quo dixi falsiloquium interdum posse esse licitum. Sunt tamen alii, præsertim è Theologis, qui omne falsiloquium peccatum esse asserunt: tum quia in eo fit abusus verborũ: tum quia proximum fallit & decipit; tum quia hominẽ ipsum suspectum reddit, & fidem eius in dubium vocat; tum denique quia veritatem ipsam lædit. Sed hęc sententia videtur non esse approbanda propter rationes quas Quæstione 7. adduximus.

Respondetur ad obiect.

Opinio aliorum attingitur

Ratio
1
2
3
4.

Precedens opinio reiicitur.

9 *An viro bono liceat hyperbolicè, ironicè, parabolicè fabulosè & ambiguè loqui?*

CVm veracitas sit virtus moralis, per quam homo veritati consentanea loquitur, h.e. id, quod est, dicit esse, & quod non est, non esse dicit; Mendacitas verò sit vitium mor. per quod homo loquitur, quæ à veritate discrepant, h.e. id, quod est, negat esse, & quod nõ est, affirmat esse; videtur inde necessariò inferri, non licitũ esse viro bono hyperbolicè, ironicè, parabolicè, fabulosè & ambiguè loqui. Qui.n. ita loquitur, is nõ dicit verũ, sed falsum, aut saltẽ non directè dicit verũ. Nam hyperbolicè loqui est, vocib. rẽ magis quàm veritas patitur, exaggerare aut extenuare. Ironicè loqui, est, aliter quàm sentias, loqui; & sic cõtra mẽ-

tem falsum dicere. Parabolicè & fabulosè loqui, est, narrare aliquid, quod ita reuerâ non est factum, aut etiam fieri non potest. Ambiguè loqui, est, verum non apertè & directè dicere.

Pro thesi affirm. probatio affertur.

At contrà videmus, non tantum grauissimos Auctores tam sacros quàm profanos, passim in suis scriptis hyperbolicè, ironicè, parabolicè, fabulosè & ambiguè interdum loqui; sed etiam ipsam scripturâ S. Hinc igitur concludi potest, licitum esse viro bono, hoc modo loqui.

Quæstio decidítur per distinct.

Vt igitur quæstionis veritas intelligatur, sciendum est, licitum esse viro bono hyperbolicè, ironicè, parabolicè, fabulosè & ambiguè loqui, si id fiat non ex animo maleuolo fallendique & nocendi cupido; neque ex vitio vel hypocrisis, vel arrogantiæ, vel dissimulantiæ, vel assentationis, vel obtrectationis; sed animo vel taxandi & reprehendendi vitia, malosque mores; vel animo docendi & instituendi alios in rebus vtilibus & bonis, vel exornandæ orationis, aut delectandorum & permouendorum auditorum gratiâ, vel mali alicuius magni honestè declinandi causâ. Sin autem contrario modo & fine fiat, id esse illicitum.

Tropicè loqui quid sit.

Neq; ironicè, vel in genere tropicè loqui, est falsum dicere, aut aliter loqui, quàm sentias. Vocabula enim per tropum modificata, non in propria significatione, sed in impropria vsurpantur.

De verbis Apostoli.

Hinc etiam Augustinus *in epistola ad Galatas* ait: *Quicquid figuratè fit aut dicitur, non est mendacium.* Idem alibi asserit: *Interest quemadmodum verbum procedat ex animo: ream linguam non facit nisi mens rea.*

10 *An*

10 *An sit discrimen inter mentiri, mendacium dicere, & falsum dicere?*

ETsi non rarò hæc tria inter se confunduntur: tamen in accurata docendi ratione videntur inter se esse distinguenda. Nam: 1, mentiri est contra mentem falsum loqui ex mala voluntate fallendi & nocendi: Mendaciũ verò dicere, est mendacium ab alio prolatum commemorare; siue inscienter, siue scienter: Denique falsum dicere, latius patet, quàm mentiri & mendacium dicere: 2, qui mentitur, non ipse fallitur, sed alium fallere conatur. Qui verò mendacium dicit, ipse fallitur, præsertim cum credit se verum dicere. Hinc Nigidius, *Vir bonus*, inquit, *præstare debet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium dicat.*

Sententia affirmat. defenditur.

Ratio

1

2.

11 *An aliquis verum dicere possit, & tamen mentiri?*

VIdetur sententia affirmatiua prima fronte esse absurda, & contradictionem implicare: nihilominus fieri potest, vt sit vera. Nam si quis aliquid, quod in se verum est, falsum esse iudicet, idque animo fallendi & nocendi pronunciet, alterique communicet, is verum dicendo mentitur: quia non consentit oratio cum ipsius mente, sed ab ea dissentit. Et hoc etiam testatur Dn. Goclenius dum disput. 8. ait fieri posse, vt aliquis dicens verum logicè, vt, *Antipodes sunt*, mentiatur ethicè, id est, contra mentem suam dicat, si credat, Antipodes non esse.

Sententia affirm. defenditur.

12 *An falsum dicat, qui verum se putat dicere?*

SCaliger existimat, non esse falsam orationem, nisi quis volens mentiatur: neque falsa dicere

Sentent. neg. defenditur.

eum, qui vera putat dicere: Sed hęc sententia Scaligeri consistere non potest. Falsiloquium enim latius patet quàm mẽdacium. Et fieri potest, vt aliquis insçius dicat id, quod in se falsũ est, tametsi ex errore putet se verum dicere. Hinc multi falsas sententias pronunciant & defendunt, quas tamen opinantur esse veras: sicut contrà multi veras sententias pronunciant & oppugnant, quas tamen putant esse falsas.

13 *An veracitati opponatur mendacitas?*

Lib. 4 Ethic. Nic. c. 3. Lib 1. magn. mor. cap. 33. Lib. 4. Eud. cap. 7.

ARistoteles passim in libris suis moralibus veracitatem versari dicit inter ἀλαζονείαν & εἰρωνείαν, inter *arrogantiam & dissimulantiam*, tanquam duo extrema vitia, quorum vnum in excessu, alterum in defectu peccat. Intelligit autem per arrogantiam vitium morale, per quod homo sibi attribuit ea, quæ non sunt, aut maiora quam sunt. Per dissimulantiam intelligit vitium morale, per quod homo ea, quæ sibi insunt aut prorsus negat, aut saltem nimis extenuat. Quod si igitur hæc opinio est vera, videtur inde sequi: 1, solam mendacitatem non rectè in præceptis supra traditis dici opponi veritati: 2, malè arrogantiæ & dissimulantiæ addi adhuc duo alia vitia, nempe adulationem & obtrectationem, quatenus hæc vocabula sumuntur per metonymiam effecti pro ipsis habitibus, à quibus oriuntur.

Obiectio moueatur contra thesin affir. Quæst. Arrogantia quid. Dissimulantia quid.

Respondetur ad obiect.

Sed responderi potest: 1, mendacitatem esse genus, sub quo arrogantia & dissimulantia tanquam species comprehenduntur. Vtraque enim, tam arrogantia quàm dissimulantia, est mendacitas, non secus ac tam arrogans quàm dissimulator

lator in deteriorem partem acceptus, est mendax: tametsi arrogantia deterior sit dissimulantia: cum veracitati magis repugnet. 2, Aristotelem 2.
insufficienter enumerasse vitia veracitati opposita. Non enim tantum veracitati aduersatur is, qui sibi contrà quam decet, vel ea, quæ non sunt, vel maiora quam sunt, attribuit vt arrogans, vel ea, quę sunt, adimit, aut nimis extenuat, vt dissimulator: sed etiam is, qui vel studio placendi ea, quæ non sunt, aut maiora quam sunt, alteri attribuit, vt assentator; vel animo lædendi ea, quæ sunt, alteri detrahit, aut aliter, quam sunt interpretatur; vt obtrectator. Vbi etiam notandum est: 1, arrogantiam apud Latinos alio nomine dici iactantiam, vanitatem, ostentationem. 2, adulationem Græcè dici κολακείαν. 3, obtrectationem Græcè dici καταλαλιὰν, συκοφαντίαν, ἀμφόλλω, Latinè etiam *calumniam*.

14 *An inter vitia opposita veracitati omnium pessimum sit calumnia, & quod sit optimum aduersus illam remedium?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, *Pro sententia affirm.*
quia calumnia non tantum illi nocet, quem defert, quatenus ei vel malitiosè detrahit bonum 1
debitum, vel falsò crimen affingit: sed etiam partim illi, apud quem defert, quatenus pro veritate mendacium ei obtrudit: partim sibi ipsi, quatenus conscientiam suam atrociter lædit. 2, quia ca- 2
lumniator simul est liuidus, insidiosus, fraudulentus & iniurius. Hinc Luc. *in libel. de non facilè credendo calumniæ*, scribit ab Apelle depictam esse calumniæ imaginem ita, vt ad virum grandibus & patulis auribus præditum, quem duæ mulieres

ignorantia & suspicio circumstant, accedat admodum bella mulier, calumnia videlicet, quæ alterâ manu facem ardentem gestat, alterâ iuuenem in cœlum suspicientem, & Deum suæ innocentiæ testem inuocantem capillis trahat. Hanc anteit Liuor, & simul comitantur Insidiæ & fraus. A tergo lugubri specie sequitur Pœnitentia, quę respiciens veritatem accedentem cum pudore intuetur. 3. 3, quia etiamsi sycophantiæ morsu inflictum vulnus sanatur: tamen cicatrix manet, vt Plutarchus ait, *in libello de discrimine amici & assentatoris*. Hinc vulgò rectè dici solet: *Calumniare audacter, semper aliquid hæret.* Et propterea etiam, vt Possidonius refert, mensis Augusti Cæsaris inscriptum fuit hoc distichon:

Quisquis amat dictu absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Quod sit optimũ aduersus calumniam remedium.

Porrò, optimum aduersus calumniam remedium est, vt Plato ait, *sanctè viuere & recte facere.* Hoc enim efficacissimum est ad refutandum & propulsandum calumniam. Ac licèt hæc sæpè etiam viros probos & innocentes premat, & arrodat: tamen tandem luce veritatis obortâ nebulæ instar euanescit.

CAPVT V.

De Ciuilitate & Grauitate.

PRÆCEPTA.

1 *Tantum de virtute homiletica secundæ classis: Sequitur ea, quæ est tertiæ classis, & subsequentur ciuilitatem & grauitatem.*

2 Ci-

2 *Ciuilitas est virtus moralis externum corporis habitum, gestum & motum ad decoram elegantiam componens.* — *Ciuilitas definitur.*

3 *Ei in defectu opponitur inciuilitas: in excessu* ὑπερκομψία. — *Eius vitia opposita explicantur.*

4 *Inciuilitas est vitium morale, per quod homo in externo corporis habitu, gestu, & motu ineleganter & indecorè se gerit.*

5 *Hypercompsia est vitium morale, per quod homo in externo corporis habitu, gestu, & motu nimiam elegantiam, culturam & compturam adhibet.*

6 *Grauitas est virtus moralis, externum corporis habitum, gestū & motum ad decoram dignitatem, cuiusque statui & officio conuenientem componens.* — *Grauitas definitur.*

7 *Ei opponitur partim leuitas, partim nimia seueritas.* — *Eius vitia opposita explicantur.*

8 *Leuitas est vitium morale, per quod homo in defectu à grauitate recedit.*

9 *Nimia seueritas est vitium morale, per quod homo in excessu à grauitate recedit.*

QVÆSTIONES.

1 *An ciuilitas & grauitas sint virtutes morales, & quidem specie inter se distinctæ?* — *Sententia affir. defenditur.*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia ciuilitati & grauitati definitio generalis virtutis moralis competit. 2, quia vtraque moderatur externum corporis habitum, gestum & mo- — *Ratio* 1 2

3 tum; versaturque inter duo extrema vitia. 3, quia
vtraque honestis actionibus acquiritur & iterum
4 ex se edit honestas actiones. 4, quia vtraque ho-
minem per se reddit probum, honoratum, lauda-
5 bilẽ & commendabilem. 5, quia opposita vtriuſ-
6. que sunt vitia moralia. 6, quia, licèt ciuilitas & gra-
uitas circa idem obiectũ generale versentur; ta-
men obiecto speciali, quod à diuerso, directionis
& moderationis modo pendet, differunt. Ciuili-
tas enim versatur circa externum corporis habi-
tum, gestum & motum, quatenus ad decoram e-
legantiam componitur. Grauitas verò circa eun-
dem versatur, quatenus ad decoram dignitatem
cuiusque statui & officio conuenientem compo-
nitur.

Homonymia vocabuli Grauitatis excutitur.

Interim tamen sciendum est, vocabulum *grauitatis*, esse vocabulum πολύσημον, & modò sumi
1 pro qualitate physicâ, secundâ tactili, quæ pon-
2 derando cognoscitur & leuitati opponitur: mo-
3 dò pro difficultate agendi facultati opposita: mo-
dò pro constantia in omni vitæ statu, præsertim in
4 dictis & factis adhibenda: modò pro habitu æquo
animo ferendi res tam aduersas, quàm secundas;
5. quæ nihil aliud est, quàm fortitudo: modò deni-
que pro habitu moderandi externum habitum,
gestum & motum corporis, vt nihil in eo leuita-
tis vel nimiæ seueritatis appareat. Et in hac signi-
ficatione hoc loco vsurpari.

2 *An ciuilitas & grauitas sint homini valdè necessariæ & viles?*

Sentent. affirmatiua defenditur.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1,
Ratio 1 quia ciuilitas facit, vt homo mundicię & con-
uenientem elegantiam adhibeat non tantum in
toto

toto corpore & singulis eius membris externis, præsertim oculis, manibus, pedibus: sed etiam partim in vestitu & ornatu; partim in statu & incessu; partim in loquendo, manducando, bibendo; partim deniq; in ritibus & ceremoniis externis, quæ adhibentur ab hominibus ad exhibendũ sibi mutuum honorem. Eiusmodi autem mundicies & conueniens elegantia omninò est necessaria homini, qui vult laudabiliter cum aliis cõuersari. 2, quia grauitas facit, vt homo decorã dignitatem in toto vitæ cursu adhibeat, nihilque inconstanter & leuiter agat; & sic in sui admirationem & reuerentiam alios rapiat. 3, quia ex externo habitu, gestu & motu corporis fit iudicium de interno animi habitu; vt testatur Syracides 19. inquiens: *Ex adspectu cognoscitur virtus, & ex obuia persona specie cognoscitur, qua valeat mente*: Item, *Ornatus viri, & risus, gressusq; hominis enunciant constitutionem eius*. 4, quia ad ciuilitatem & grauitatem tanquam duo maxima hominum ornamenta, quibus in ciuili conuersatione gratiosi reddimur, hortantur nos serio doctissimi viri: Ideoq; etiam ea de re integros libellos scripserunt, vt Erasmus *de ciuilitate morum*; Doctor Althusius *de ciuili conuersatione*; Guazius, item Iohan. Casa Italus, qui elegantissimum & doctissimum libellum post se reliquit, cui titulus est, *Galatheus, siue de morum honestate & elegantia*. 5, quia vitia, oppostra ciuilitati & grauitati, sunt valdè turpia, hemiremq; valdè odiosum, ingratum & ridiculum reddunt. 2 3 5

3 *Quomodo grauitas rectè sit definienda?* *Aristot. definitiones exponuntur.* 1

ARistoteles *libr. 2. magn. moral. cap.* 29. definit

grauitatem hoc modo. σεμνότης ἐστὶ αὐθαδείας καὶ ἀπὸ μισοπλησίας καὶ ἀρεσκείας, *grauitas est medium inter peruicaciam & blanditiem*. Nam αὐθάδη, hoc est, *peruicacem*, docet esse, qui neminem vult conuenire & alloqui; eique à suis moribus nomen esse impositum, quòd αὐθάδης dicatur, quasi αὐτοάδης, *qui ipse sibi placet*. Ἄρεσκον verò, hoc est, *nimis blandum*, vocat, qui cum omnibus quouis modo & tempore vult cõuersari. Σεμνὸν verò, hoc est, grauem vocat, qui neque cum omnibus, neque cum nemine, sed cum
2. dignis conuersatur. Idem *libr. 3. Eudemiorum c. 7.* definit grauitatem, quod sit μεσότης αὐθαδείας καὶ ἀρεσκείας, *mediocritas inter peruicaciam & blanditiem*. Nam, qui in conuictu nihil alteri gratificatur, omniaque contemnit, is Philosopho est αὐθάδης: qui verò omnia gratificatur, omnibusque se subiicit, is est ἄρεσκος. Qui verò in quibusdam obsequitur aliis, in quibusdam non; & quidem erga dignos ita sese gerit, est σεμνός.

Definitiones Arist. reiiciuntur.

Sed vtroque in loco Aristoteles cõfundit grauitatem cum humanitate, fortassis propter defectum vocabuli, quo humanitas commodè significetur. Et propterea etiam *libr. 4. Ethicor. Nicom. cap. 12.* expressè fatetur virtutem illam, quæ media est inter ἀρέσκειαν καὶ δυσκολίαν proprio nomine carere. Vbi etiam eum, qui omnia voluptatis gratiâ laudat, nullaque in re aduersatur, neminemque offendẽdum esse putat, vocat ἄρεσκον: qui verò in omnibus aduersatur, neque magnoperè laborat, ne quem offendat, eum vocat δύσκολον, *morosum*: qui denique in conuersatione cum aliis approbat & improbat, quæ decet & quomodo decet, solius honestatis & vtilitatis gratiâ, non

animo

animo offendendi, eum nomine proprio destitui asserit.

Rectius igitur ab aliis definitur grauitas, modò virtus, per quam decoram & conuenientem dignitatem in totius vitæ ratione præ nobis ferimus: modò virtus, quæ motus gestusque externos ita gubernat, vt cum decoro congruat: modò virtus, quæ externam honestatem in gestu, motu, incessu & habitu, corporis obseruat: modò virtus motus gestusque externos (sub quo etiã vultum cultumq; corporis cõprehendunt) regens, vt congruant cum ordine naturæ, personarũ, locorum & temporum. Quanquam ex his definitionibus sola prima videtur propriè grauitati conuenire: reliquæ verò videntur grauitatem cum ciuilitate confundere. Idcircò grauitas supra in præceptis accuratius fuit definita, quod sit virtus moralis, externum corporis habitum, gestum & motum ad decoram dignitatem cuiusque statui & officio conuenientem componens.

Definitiones aliorum recensentur.

1

2

3

4.

Sola prima approbatur.

Propria definitio assignatur.

4 *An grauitas rectè dicatur mater & nutrix autoritatis: & vnicuique ætati competat?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia autoritas, quæ Græcè dicitur ἀξίωμα, nihil aliud est, quàm *reuerentia*, quæ alicui tribuitur ex præclara de eius virtutis opinione. Illa autem maximè acquiritur & conseruatur grauitate. 2, quia leuitas, quæ in moribus externis conspicitur, aut prorsus adimit homini aut saltem imminuit & obscurat autoritatem. Ergò cum oppositorum sint opposita effecta; Sequitur grauitatem eidem parere & augere autoritatem. Etsi verò

Sentent. affirmatiua defenditur.

Ratio

1

2.

Grauitas maximè cõpetit virili ætati.

grauitas etiã adolescentiæ non sit inconueniens: tamen maximè virilem & consistentem ætatem decet: quippe in qua authoritas inprimis requiritur.

5 *An grauitati opponatur leuitas & seueritas nimia?*

Sententia affir. defenditur.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia leuitas & seueritas nimia sunt extrema vitia, quorum vnum in defectu, alterum in excessu cum grauitate pugnat. 2, quia grauitas est honesta & laudabilis: leuitas verò & seueritas nimia est turpis & vituperabilis. 3, quia vir grauis neque est leuis, neque nimium seuerus; sed mediũ quasi locum inter vtrumque obseruat. Vbi tamen obseuandum est, seueritatem nimiam hoc loco non sumi pro crudelitate, quæ quandoque à magistratu in puniendo adhibetur: sed pro illo vitio, quod in moribus externis à grauitate nimis exorbitat, cuiusmodi consistit partim in vultus toruitate, partim in superba grauitatis ostentatione.

Ratio 1

2

3.

Homonymia vocabuli seueritatis excutitur.

6 *An liceat cuilibet quaslibet vestes gestare?*

Sentent. neg. defenditur.

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia vestium finis partim est honestas, partim vtilitas. Quæcunque igitur vestes cum his finibus pugnant, sunt illicitæ: cuiusmodi sunt, quæ sunt vel inhonestæ & indecoræ, vel ineptæ & inutiles ad tegendum & fouendum corpus, vel alioquin aut luxum, aut lasciuiam, aut leuitatem arguunt.

Ratio 1

2, quia turpe est temerè recedere à patrio vestiendi more & alienigenarum vestitum imitari. 3, quia non eadem vestimenta conueniunt cuilibet ætati, sexui, statui & ordini hominum. Hinc Deus

2

3.

ipso

ipse in veteri testamento voluit Prophetas & Sacerdotes alias gestare vestes, quàm plebeios homines. Et expressè prohibuit, ne mulier vtatur veste virili, neque vir muliebri, *Deuteronom.* 22. ℣. 5. 4, quia Apostoli mulieribus Christianis interdixerunt vsum pretiosarum vestium, superfluumque crinium ornatum ex auro & gemmis, 1. *Pet.* 3. ℣. 3. 1. *Tim.* 2. *Num.* 15. ℣. 38. 4.

7 *An liceat viris prolixos capillos gestare?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia capillorum prolixitas arguit leuitatem; & sic cum grauitate pugnat. 2, quia teste Paulo in epistola ad Corinthios cap. 11. ℣. 14. *Natura ipsa docet viro dedecori esse, si fœminarum more comatus sit: contra fœminæ decori esse, si comata sit; cum coma ei pro velamine sit data ad testandam subiectionem suam erga virum* 3, quia tonsura capillorum sicut dedecorat fœminam: ita decorat virum, vt idem Apostolus testatur in citato loco ℣. 4. 5. 6. Quod si quis obiiciat, capillos prolixos à natura ipsa produci; ideoque non esse illicitos: Respondeo non omne, quod natura producit, homini esse honestum & licitum. Nam etiam prolixi vngues in digitis naturæ vi efficiuntur; & tamen eos gestare turpe est & illicitum. *Sententia affirmat. defenditur.* Ratio 1 2 3. *Obiectio.* *Respondetur ad obiect.*

8 *An liceat homini saltare?*

DE hac quæstione diuersæ reperiuntur opiniones. Quidam enim omnem saltationem simpliciter licitam esse asserunt: quidam simpliciter illicitam: quidam mediam viam tenent, & quandoque licitam, quandoq; illicitam esse contendunt. *Diuersa aliorum opiniones recensentur.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0303
DFG

Arg. pro 1. opinione.

Argumenta pro prima opinione sunt: 1, quia
1 saltatio est motus artificiosus, quo corpus homi-
nis exercetur. 2, quia sanitatem corporis conser-
2 uat. 3, quia efficit corpus hominis agile & alacre.
3 4, quia ab ebrietate hominem abstrahit, & si plus,
4 quam naturæ necessitas requirit, bibat, crapulam
5 discutit. 5, quia finis illius est, partim declarare &
testari hilaritatem animi, partim honore afficere
6 personam cum qua instituitur saltatio. 6, quia oc-
casionem præbet ad legitima matrimonia ineun-
7. da. 7, quia nuspiam in scriptura expressè prohi-
betur.

Arg pro 2. opinione.

Argumenta pro secunda opinione sunt: 1, quia
saltatio suâ naturâ est turpis & inhonesta. 2, quia
1 argumentum est leuitatis oppositæ grauitati. 3,
2 quia fomentum & irritamentum est lasciuiæ & li-
3 bidinis 4, quia laqueus & scandalum est non tan-
4 tum ipsi saltatori, sed etiam spectatori. 5, quia sæ-
5 pè occasionem præbet ad stupra & adulteria con-
6 tra legẽ Dei perpetranda. 6, quia in concilio Lao-
dicensi & Ilerdẽsi publicè interdictũ est Christia-
7. nis saltatione. 7, quia sanioresEthnici eam explo-
serunt & irriserunt. Hinc *Cic. lib. 2. Offic.* ait virum
honestum & probum nolle in foro saltare, etiam-
si eo modo possit ad maximum patrimoniũ per-
uenire. Idem *pro Murena* dicit neminem salta-
re sobrium, nisi insaniat, neque in solitudine, ne-
que in conuiuio moderato & honesto. Et *in ora-
tione habita post reditum in senatu*, Aulum Gabi-
nium inimicum suum vocat saltatorem calami-
stratum contumeliæ causa. Idem *in Philippicis*
exprobrat Antonio inter alia vitia saltationem;
quemadmodum etiam alibi eandem criminis lo-
co Lu-

co Lucio Murenæ & Regi Deiotaro obiicit.

Argumenta pro tertia opinione sunt: 1, quia saltatio quædam est honesta, decora & moderata: quædam inhonesta, indecora & immoderata: Ideoque sicut pesterior est licita: ita prior illicita est habita. 2, quia scriptura S. testatur sanctos viros, & castas mulieres saltasse. Dauid enim coram arcâ Domini publicè saltauit: Et puellæ victoriam eius de Goliatho choreis & cantibus celebrarunt. Sic Maria soror Mosis strato & interfecto Pharaone cum aliis mulieribus choreas duxit, & ἐμμέλειαν cecinit. *Arg pro 3. opinione.*

Etsi verò in tanta opinionum varietate difficile est, veritatem determinare; tamen saluo aliorum iudicio videtur postrema opinio, tanquam media, prioribus duabus esse longè anteponenda: Non enim saltatio, quâ saltatio, est turpis & noxia; sed quâ lasciua, libidinosa, immoderata, grauitatique & aliis virtutibus aduersa. *Tertia opinio probatur.*

Hinc etiam Petrus Martyr *in locis communibus classis secundæ cap. 2* ait: *Mihi sanè non videtur hoc saltationis genus (quod lætitiæ causa exercetur) esse naturâ suâ vitiosum & prohibitum: quoniam agilitas corporis est donum Dei, & si accedat aliquid artis, nimirum, vt corpus ordine, apte, numero & cum decoro moueatur, non video cur debeat reprehendi; modò in tempore moderatè accita offensionem fiat. Quemadmodum enim canere licet & ad gratias Deo agendas & laudes eius celebrandas possumus vti cantu; ita etiam moderata saltatione gaudium & lætitiam animi testari possumus.* Vbi tamē obseruādum est, Theologum illum clarissimum tantum loqui de saltatione solitaria, quam vir *Obseruatio subiicitur.*

absque fœmina, & fœmina absque viro sola saltat; non verò de saltatione socia, quâ vir cum muliere promiscuè saltat. Hanc enim simpliciter reiicit ob argumenta, quæ pro secunda opinione fuerunt allata. Vtrum autem hæc opinio simpliciter sit vera, non immeritò dubitari possit, ob rationes pro prima sententia allatas. Licèt enim illa saltatio socia, præsertim prout nũc in multis Germaniæ locis exercetur, plerumq; sit turpis & noxia: propterea, quod cum leuitate & lasciuia sit coniuncta; & sæpè occasionem ad peccandum præbeat: tamen non propterea totum illud saltationis genus videtur esse reiiciendum & damnandum: cum rei etiã suâ naturâ bonę possit esse varius & multiplex abusus: neque tamen propter illum abusum, qui vitio hominum accedit, ipsa res sit reiicienda & damnanda, sed potius ab abusu ad verum & incorruptum vsum transferenda. Interim tamen magna prudentia est adhibenda, etiam in vsurpanda eiusmodi saltatione, vt decorum vbique obseruetur, & omnibus modis caueatur, ne nostro exemplo aliis temerè vel offendiculum, vel occasionem malè de nobis suspicandi præbeamus.

Saltatio socia non est simpliciter illicita.

Cautela.

9 *An viro bono simpliciter sit licitum ridere?*

Distinguendum est inter risum moderatum & immoderatum. Moderatum risum voco, qui fit secundum rectæ rationis præscriptũ, nempè, quando, vbi, cur, quantum, quomodo & apud quem decet. Immoderatũ voco, qui fit contra rectæ rationis præscriptum, non habita ratione circumstantiarum, quæ in omni proba & honesta actione requiruntur. Prior igitur risus est licitus

citus viro bono. Posterior verò nō est licitus; propterea quod pugnat cum grauitate & arguit leuitatem. Vnde vulgò dici solet:

Per risum multum debes cognoscere stultum.

Et rectè Isocrates Demonico præcipit, ne risum petulantem & profusum amet, eò, quod sit res stolida. Et Menander inquit:

Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν,
Risus intempestiuus inter mortales graue malum.

CAPVT VI.

De Humanitate & Vrbanitate.

PRÆCEPTA.

1 *Fuit virtus homiletica tertiæ classis: Sequitur ea, quæ est quartæ classis, & sub se comprehendit humanitatem & vrbanitatem.*

2 *Humanitas est virtus moralis, per quam homo in compellando & audiendo facilem & affabilem sese præbet.* Humanitas definitur.

3 *Ei opponitur in defectu inhumanitas; in excessu blanditiæ nimia.* Eius vitia opposita explicantur.

4 *Inhumanitas est vitium morale, per quod homo in compellando & audiendo difficilem & morosum sese exhibet.*

5 *Blanditiæ nimia est vitium morale, per quod homo in compellando & audiendo nimis familiarem & blandum sese præbet.*

6 *Vrbanitas est virtus moralis, per quam homo in iocis dicendis & audiendis modum decorum obseruat.* Vrbanitas definitur.

Eius vitia oppositæ explicantur.

7 *Ei opponitur in excessu scurrilitas, in defectu rusticitas.*

8 *Scurrilitas est vitium morale, per quod homo in iocis dicendis & audiendis ad nimium deflectit.*

9 *Rusticitas est vitium morale, per quod homo in iocis dicendis & audiendis ad parum deflectit.*

QVÆSTIONES.

1 *Quid sit humanitas, & quomodo ab aliis appelletur?*

Homonymia vocabuli excutitur.

VOcabulum *humanitatis* est homonymum. Propriè enim sumitur pro humana natura, quæ Græcè dicicur ἀνθρωπότης. Impropriè verò modò pro doctrina & eruditione, quę hominem perficit; & sic Græcè dicitur παιδεία: modò pro specie virtutis moralis, quæ Græcè dicitur φιλανθρωπία. Et in hac significatione ab aliis definitur modò ciuilitas, per quam nos aliis affabiles præbemus: modò virtus mediocritatem seruans inter morositatem & blandiciem nimiam: modò iustitia, quâ aliis in alloquiis & colloquiis nos faciles, affabiles & comes exhibemus: modò virtus facilis in cõpellando & audiendo: modò virtus per quam in familiari conuersatione mediocritatem seruamus, alios facilè excipiendo, audiendo, cum iis communicando ita, vt neminem offendamus vel molesti alicui simus.

Definitiones aliorum recensentur.

1
2
3
4
5.

Superiores definitiones examinantur.

E quibus definitionibus aliæ genus falsum assignant, vt prima & tertia: aliæ genus quidem verum, sed tamen remotum. Nihilominus, si sensum

sum spectes, videntur omnes conuenire cum illa, quæ in præceptis à me est posita. Dicitur autem *humanitas*, Græcè modò φιλανθρωπία, modò δυσωπηγελία vel φιλοσωπηγελία: modò χαριεντισμός. Latinè modò *comitas*, modò *facilitas*, modò *affabilitas*, modò etiã respectu magistratus, *popularitas*: Germanicè Freundligkeit/Leutseligkeit.

Sunt tamen nonnulli, qui distinguunt inter humanitatem, facilitatem & affabilitatem, tanquam inter genus & species. Humanitatem enim statuunt esse genus: facilitatem & affabilitatem species humanitatis: propterea quod facilitas propriè consistat in placidè excipiendo alios, patienter audiendo & benignè respondendo: Affabilitas verò in amicè salutandis & alloquendis aliis. Sed hoc discrimen ab Auctoribus rarissimè solet obseruari; ideoque etiam in præceptis eius rationem non habui; & tria illa vocabula vsurpo, ad significandam vnam & eandem virtutem.

Aliorum opinio traditur de discr. inter huma. facil. & affa.

2 *Quæ vitia humanitati opponantur?*

CVm omnis virtus moralis versetur inter duo extrema vitia, idem etiam de humanitate non potest negari. Illorum verò vitiorum vnum in excessu opponitur humanitati, diciturque ab Aristot. Græcè ἀρέσκεια, ab aliis χαριτολογία, vocabulo in malam partem accepto: Latinè *blandiloquẽtia* seu *blandities nimia*. Dicitur enim ἄρεσκος, qui aliis nimium adblanditur placerèque & obsequi studet, nullaque in re vult aduersari. Alterum in defectu peccat, diciturque ab Aristotele modò αὐθάδεια, modò δυσκολία: ab aliis ἀφιλανθρωπία, μισανθρωπία. Latinè modò inhumanitas, modò morositas, modò austeritas. Dicitur enim inhuma-

nus, qui sese difficilem, inaffabilem, asperum, intractabilem in compellando & audiendo præbet, nullâque in re alteri vult obsequi & gratificari: seu qui ne in honestis quidem rebus aliis placere vult, & præter rationem & modum ab aliorum conuersatione abhorret, eorumque facta & dicta improbat & fugillat.

3 *An humanitatis sit, alicui in omnibus obsequi, nullâque in re aduersari?*

Sententia negatiua defenditur.

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia effectum εὐσχήμονος est, alicui in omnibus obsequi, nullaque in re aduersari. 2, quia vir humanus

Ratio 1 debet approbare & improbare, laudare & vituperare, commendare & reprehendere ea, quæ iustè sunt approbanda & improbanda, laudanda & vituperanda, commendanda & reprehendenda: ideoque tametsi vir humanus oblectare potius quàm offendere debet eum, cum quo conuersatur: tamen si non possit honestè & vtiliter alicuius dicta & facta approbare, simulque videat ea

2 ipsi aliquando dedecus aut damnum allatura, debet eum non tantum humaniter admonere, neque offensionem metuere: sed etiam liberè & modestè reprehendere: nec solum spectare præsentem voluptatem & molestiam, sed magis eam, quæ secutura sit. 3, quia vir humanus debet in

3. congressu hominum neque nimis blandum, obsequiosum & facilem sese præbere, neque nimis difficilem, morosum, austerũ, rigidum, intractabilem & inaffabilem. Proinde neque in omnibus obsequi, neque etiam in omnibus rebus aduersari debet, sed pro circumstantia & ratione tẽporis, loci, personæ, honestatis & vtilitatis, in quibusdam obsequi, in quibusdam aduersari.

4 *An adulatio sit species blanditiei nimiæ?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia adulationi cõpetit definitio blãditiei nimiæ, suprà in præceptis tradita. 2, quia adulatio, quatenus sumitur metonymicè pro habitu, est vitium morale, per quod homo dicta & facta sua fictè ad nutum & gratiam alterius accommodat quęstus sui gratiâ. 3, quia omnis adulator est nimium blandus & obsequiosus: siquidem aliis, à quibus commodum & quæstum expectat, per omnia obsequitur, & nulla in re contradicit, etiam repugnante honestate. *Sentent. affirmatiuã defenditur.* Ratio 1 2 3.

Sed contra hanc sententiam obiici potest: 1, adulationem seu assentationem esse speciem mendacitatis. 2, adulatorem differre à blando, quod ille aliis placere studeat sui commodi & quæstus gratiâ; hic verò id faciat nullius cõmodi aut quæstus gratiâ, sed tantum propter hoc ipsum, vt aliis placeat. *Obiectio.* 1 2.

Resp. 1, vocem adulationis seu assentationis non semper vno & eodem modo vsurpari: sed quandoque sumi pro vitio morali, quo quis aliis attribuit ea, quæ non habet, aut maiora quam habet: Et sic esse speciem mendacitatis: quandoque verò sumi pro vitio morali, quo quis sermonem & gestũ accommodat ad nutum & gratiam alterius commodi sui gratiâ: Et sic esse speciem blanditiei nimiæ. 2, falsum esse quod blandus aliis placere studeat nullius commodi & quæstus gratiâ: Licèt enim interdum commodum & quæstum suum non respiciat in blandiendo: tamẽ interdum hunc finem sibi habet propositum: Et sic differt blandus ab adulatore tanquam genus à specie. *Respondetur ad obiect.* 1 2.

5 *An humanitas consistere possit cum grauitate?*

Sententia aliorum exponitur & refutatur.

SVnt multi, qui grauitatẽ partim ex vultus torsuitate, morumque asperitate æstimant. Illi igitur existimant, humanitatem cum grauitate consistere non posse: quippe cum toruitas vultus morumque asperitas illi omnino repugnet. Sed illi vehementer decipiuntur falsa illa de grauitate opinione. Rationes sunt: 1, quia grauitas non consistit in vultus toruitate, morumque asperitate, sed in decora habitus, gestus & motus externi moderatione: ideoque non ex illa, sed ex hac æstimari debet. 2, quia idem homo simul potest esse humanus & grauis. 3, quia grauitas coniuncta cum humanitate eò fit illustrior, maioremque dignitatem & autoritatem homini conciliat. Hinc Cicero in Catone maiore commendaturus Quintum Maximum ait, in illo viro fuisse comitate conditam grauitatem. Idem commendaturus Atticum inquit, eius comitatem non sine seueritate fuisse, neque grauitatem sine facilitate.

Ratio
1
2
3.

6 *Quid sit vrbanitas, & quæ vitia ei opponantur?*

Definitiones aliorum recensentur.

ARistoteles *lib. 1. magn. mor. cap. 31. & lib 3. Eudem. cap. 7.* vrbanitatem, quam vocat εὐτραπελίαν, definit, quod sit μεσότης βωμολοχίας καὶ ἀγροικίας, *mediocritas inter scurrilitatem & rusticitatem.* Ab aliis verò definitur modò mediocritas rectè componens appetitum irascendi, vt in congressibus hominum in attinentibus ad sales & iocos nos constantes præbeamus vt decet: modò ciuilitas sermonis, quâ in salibus lepidis iociſque liberalibus modestam dexteritatem vsurpamus: modò virtus, quæ in ludis & iocis modum ac decorum obseruat: modò virtus, mediocritatem obseruans

1
2
3.

circa

circa scommata & sales: modò virtus, quâ mediocritatem seruamus in conuersatione iucundâ, atque adeo quâ rectè tum iocamur, tum iocos aliò non ferimus. Ex quibus priores duæ falsum genus; posteriores remotum genus assignant. In vero tamen sensu omnes consentiunt cum ea, quæ in præceptis est expressa.

Porrò vrbanitati secundum Aristotelem *lib.4. Ethic.Nicom.cap.14 libr.1 magn.moral.cap.31 lib. 3.Eudem.cap.6.* opponitur in excessu βωμολοχία, h. e. *scurrilitas*, quæ ab aliis dicitur φιλοσκωμμοσύνη; in defectu ἀγροικία, Latinè *rusticitas, agrestitas, insulsitas.* Sicut enim ὁ εὐτράπελος, hoc est, *vrbanus, facetus & festiuus* homo est, qui in iocis dicendis & audiendis modum decorum obseruat, hoc est, iocos neq; dicit, neque audit, nisi quando, cui, cur, quantum & quomodo decet: Ita cõtra βωμολόχος, *scurra*, est, qui in iocis dicendis & audiendis modum decorum excedit, hoc est, qui non tantum immoderatè & indecorè omnis generis scommata & dicteria aculeata in alios libenter proiicit, partim risus captandi, partim exagitandi gratiâ: sed etiam eadem ab aliis in se iacta libenter audit, non habitâ ratione honestatis & iucunditatis. Ἄγροικος verò, hoc est, *inurbanus, rusticus, agrestis & insulsus homo est*, qui à iocis dicendis & audiendis planè est alienus, hoc est, qui neque ipse potest aut vult iocari, nec alios iocantes sine molestia & offensione audire potest.

Vrbanus quis sit.

Scurra quis sit.

Inurbanus quis sit.

Vbi tamen notandum est: 1, εὐτραπελίαν nõ semper in bonam partem vsurpari pro vrbanitate; sed etiam quandoque sumi pro scurrilitate. 2, βωμολό-

Obseruatio subiicitur.

χν propriè dici sacrilegum, qui aris insidiatur: sed postea sumi pro scurra.

7 *An liceat viro probo iocos vel dicere vel audire?*

ETsi hæc quæstio ex præcedenti facilimè decidi potest: tamen vt eius veritas illustrior euadat, placet in vtramque partem eam ventilare.

Argumenta pro thesi negatiua

Argumenta igitur pro thesi negante hæc proferri possunt: 1, quia vir probus debet esse intētus rebus seriis, quæ Græcè dicuntur τὰ σπουδαῖα, & opponuntur τοῖς γελοίοις, hoc est, *rebus iocosis*. 2, quia vir probus nihil dicere & audire debet, nisi quod honestum & decorum est. Ioci autem plerumque non sunt honesti & decori. 3, quia vir probus nemini debet maledicere. σκῶμμα autem λοιδορημάτιον, *dicterium est quoddam maledictum*, vt testatur Aristoteles *lib.* 4. *Ethic. Nicomach. cap.* 14. 4, quia vir probus fugere debet omnem occasionem alios offendendi & ad iram prouocandi. Id autem fieri non potest, si sit σκωπτικὸς, hoc est, *salibus & dicteriis alios incessat*. 5, quia sacra scriptura vult, ne in loquendo verbis vanis, futilibus & inutilibus vtamur. Hinc Paulus Apostolus *Ephes.* 5. ν. 4. μωρολογίαν καὶ εὐτραπελίαν expressè vetat. Et Christus *Matthæi* 12. asserit hominibus in extremo iudicio rationem reddendam de omni verbo otioso.

1
2
3
4
5.

Pro thesi affirm.

At contra argumenta pro thesi affirmante hæc adduci queunt: 1, quia vir probus non semper potest intentus esse rebus seriis: Ideoque licitum ei est quandoque à rebus seriis quiescere & animi recreādi gratiâ ludere & iocari. Et propterea Aristoles *lib.* 4. *Eudemiorum cap.* 4. inquit, δοκεῖ ἡ ἀνάπαυσις

Argum. 1

πάνου καὶ παιδιὰ εἶναι ἐν τῷ βίῳ ἀναγκαῖον. *Videtur requies & lusus in vita esse res necessaria.* Idem in principio eiusdem capitis ait, ἀνάπαυσιν εἶναι ἐν τῷ βίῳ, καὶ ἐν ταύτῃ διαγωγὴν μετὰ παιδιᾶς, hoc est, *requiem in vita suum habere locum, & in hac, temporis traductionem cum lusu.* 2, quia vrbanitas est virtus moralis, per quam homo in iocis dicendis & audiendis modum decorum obseruat. Ergò licet viro probo esse vrbano. 3, quia ioci liberales & honesti, teste Aristotele in citato loco efficiunt conuersationem hominum aptam, concinnam & iucundam. Hinc homo agrestis ab eodem ad connersationem quotidianam inutilis & ineptus habetur. 4, quia ioci liberales & honesti, sunt condimentum laborum & oblectamentum, quo tædia ex laboribus contracta depelluntur. 5, quia in sacris literis legimus, viros etiam sanctos quandoque iocatos esse, *Genes.* 26. ℣. 8. 2 3 4 5.

Pro decisione quęstionis distinguēdum est inter iocos moderatos & immoderatos: Moderatos voco, qui fiunt ex præscripto rectę rationis, vbi, quando, erga quos, quantum, quomodo & cuius gratiâ decet. Immoderatos voco, qui fiunt contra præscriptum rectæ rationis, vbi, quando, erga quos, quantum, quomodo & cuius gratiâ non decet. In priore genere sunt ioci liberales, honesti, tempestiui, salsi, venusti, lepidi, eruditi & iucundi. Et hi omnes sunt laudabiles & liciti. Atque de iisdem intelligendum dictum Ciceronis libr. 1. Officiorum: *Ludo & ioco vti quidem illis licet; sed sicut somno & vigiliis, & quietibus cæteris: cum grauibus seriisque rebus satisfecerimus.* Item illud Dionis: *Quæstio decidituꝛ per distinct.*

τῷ γελοίῳ ὥσπερ ἀλὶ πεφεισμένως δεῖ χρῆσθαι. In posteriore genere sunt ioci illiberales; inhonesti, intempestiui, insulsi, ineruditi, molesti. Et hi omnes sunt vituperabiles & illiciti: Thesis igitur negatiua quæstionis est vera de iocis immoderatis: affirmatiua autem de iocis moderatis. Vbi etiam obseruandum est, εὐτραπελίαν à Paulo *Ephes.* 4. vsurpari in malam partem, pro scurrilitate, non pro vrbanitate.

CAPVT VII.

De Taciturnitate.

PRÆCEPTA.

1 *Adhuc de virtute homiletica quartæ classis: Sequitur ea, quæ est quintæ classis; & sub se continet taciturnitatem & verecundiam.*

Taciturnitas definitur.

2 *Taciturnitas est virtus moralis, per quam homo in loquendo & tacendo decorum modum obseruat.*

Eius vitia opposita explicantur.

3 *Ei opponitur partim garrulitas, partim intempestiuum silentium.*

4 *Garrulitas est vitium morale, per quod homo in loquendo modum excedit, & in tacendo deficit.*

5 *Intempestiuum silentium est vitium morale, per quod homo in tacendo modum excedit, & in loquendo deficit.*

QVÆSTIONES.

1 *An taciturnitas sit virtus moralis?*

CVm Aristoteles nuspiam in Ethicis taciturnita-

nitatem inter virtutes morales numeret, non immeritò dubitari possit, an illa sit virtus moralis. Ac pro thesi quidem affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia definitio virtutis moralis ei competit. 2, quia mediocritatem obseruat in loquẽdo & tacendo; & sic inter duo extrema vitia versatur. 3, quia est habitus honestus & laudabilis: sicut contra vitia ei opposita sunt habitus turpes & vituperabiles. Hinc etiam à Macrobio *lib. 7. Saturnalium cap.* 10. taciturnitas vna dicitur esse de virtutibus Philosophiæ: propterea quod cum orator non aliter, quàm orando probetur; Philosophus non minus tacendo pro tempore quàm loquendo philosophetur. Et Ouidius non minus verè quàm eleganter ait:

Pro thesi affirm.
Argum.
1
2
3.

Eximia est virtus, præstare silentia rebus,
At contrà grauis est culpa tacenda loqui.

2 *Quid sit taciturnitas, & quæ vitia ei opponantur?*

TAciturnitas, quæ Græcè dicitur σιωπηλότης ἢ ἐχεμυθία à Philosophis definitur, modò ἡ περὶ τὸ γλῶσσαν ἐγκράτεια, hoc est, *continentia linguæ*: modò virtus linguam refrenans, ne loquatur cum silendum est: modo ciuilitas, per quam ab intempestiuo sermone abstinemus: modò virtus, per quam ea tantum loquimur, quæ loquenda sunt, & quæ præsenti loco, tempori & personis accommodata sunt, & per quam adeo nec plus loquimur, quàm decet, nec minus; & per quam deniq; tacemus secreta. Ex quibus definitionibus priores tres sunt vitiosæ siue genus spectes, quod aut falsum est, aut remotum, siue differentiam generi additam. Non enim omnis continentia linguæ

Diuersa aliorum opiniones recensentur & examinantur.
1
2
3
4.

est bona & licita: neque taciturnitas consistit tantum in abstinendo ab intempestiuo sermone; sed etiam in abstinendo ab intempestiuo silentio. Quarta verò melior quidem est præcedentibus, præsertim si per virtutem loco generis positam intelligatur virtus moralis: sed iusto videtur esse prolixior. Itaq; ad declinandum illam prolixitatem in præceptis fuit taciturnitas virtus moralis, per quam homo in loquendo & tacendo modum decorum obseruat. Porrò taciturnitati opponitur partim garrulitas, quæ Græcè dicitur ἀδολεσχία ἢ πολυλογία, Latinè *loquacitas, dicacitas*, partim indecorum seu intempestiuum silentium. Vtrumque autem vitium tam in excessu, quàm in defectu peccat: Garrulitas enim in loquendo excedit, & in tacendo deficit: Indecorum verò silentium in tacendo excedit; & in loquendo deficit.

Propria definitio assignatur.

3 *An homo tam tacendo, quàm loquendo peccare possit?*

Sententia affirmat. defenditur.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia non minus peccatum est tacere dicenda, quàm loqui tacenda. 2, quia non minus turpe est, intempestiuè tacere, quàm intempestiuè loqui: cum vtrumque cum taciturnitate pugnet; & illud quidem ab indecoro silentio; hoc à garrulitate seu loquacitate oriatur. 3, quia qui nescit rectè tacere, nescit etiam rectè loqui. Hinc Æschynes Socraticus reprehensus de silentio, cum Socratem præceptorem habuisset: *Non loqui solum*, dixit, *sed etiam silere didici à Socrate.* Et Isocrates, cum locutuleius quidã nomine Careon in disciplinam eius recipi vellet, duplicem mercedem postu-

Ratio 1

2

3.

postulauit: Illi verò causam interroganti dixit, *alteram quidem peto, vt loqui discas; alteram autem, vt tacere.*

4 *An tacere melius sit quàm loqui?*

PRo thesi affirm. adducuntur hæc argumenta: 1, quia multis hominibus pharmacum malorum est silentium, vt ait Carcinus citante Stobæo serm 33. de taciturnitate. 2, quia silentii præmium periculo vacat: *nec tacuisse nocet, nocet esse locutum.* Vnde Simonides dicebat, nunquam se pœnituisse, quod tacuerit; sæpè verò, quod locutus fuerit. 3, quia decorum silentium est corona viri boni, vt ait Euripides in Antiope. 4, quia Garrulitas seu loquacitas est mater multorum peccatorum & calamitatum. 5, quia taciturnitas optimum ac tutissimum est administrandarum rerum vinculum, vt ait Valerius Maximus *lib. 3. titulo de antiquis institutionibus.* 6, quia malum hominem melius potest tacendo aliquis vincere, quàm respondendo: propterea quod malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur, vt ait Chrysostomus super Matthæum. 7, quia secundum Hugonem libr. 2. de anima *lingua dicitur qua lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo; ligat & ligari non potest, sed labitur & fallit; labitur vt anguilla, penetrat, vt sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos; mouet rixas, seminat discordias, vno ictu multos percutit & interficit, blanda est & subdola, & parata ad exhaurienda bona & miscenda. Qui custodit linguam, custodit vitam suam, custodit animam: cum mors & vita in potestate linguæ sit.*

Pro thesi affirm. — *Argumenta.* — 1 — 2 — 3 — 4 — 5 — 6 — 7.

Pro thesi negatiua arg.

At contra pro thesi neg. afferuntur hæc argumenta: 1, quia sermo seu loquela post rationem
1 est præcipuum naturæ donum, quo homo bestiis
2 antecellit. 2, quia facultas loquendi propterea à natura homini data est, vt homo eâ vtatur ad cõmunicandum animi sui sensa cum aliis: Id autem
3. fieri non potest si taceat. 3, quia sermo hominis scutum est & propugnaculum fortissimum, character animi, remedium perturbationum, leuamen curarum, doctrinæ & morum magister.

Quæstio deciditur per distinct.

Pro decisione quæstionis distinguendum est partim inter tempus & modum diuersum tacendi & loquendi; partim inter subiecta diuersa, circa quę silentium & loquela versatur. Nam 1. quandoque melius est tacere, quàm loqui: quandoque melius loqui, quàm tacere. 2, melius est honestè tacere, quàm turpiter loqui: Et contra melius est honestè loqui, quàm turpiter tacere. 3, melius est tacere res arcanas, turpes, futiles & inutiles, quàm eloqui: Et contrà melius est eloqui res honestas, graues & vtiles quàm tacere. Hinc Isocrates ad Demonicum inquit: *Duo sint tibi tempora dicendi, vt aut de rebus quas manifestè nosti, aut quas necesse est dicere, dicas. In istis enim solis oratio præstat silentio, in aliis verò tacendum potius, quàm loquendum.* Nec malè Euripides ait: ἢ λέγε τὸ σιγῆς κρεῖσσον, ἢ σιγὰν ἔχε. *Aut dic aliquid silentio melius, aut sile.* Cum quo consentit illud Pythagoræ: χρὴ σιγᾶν ἢ κρείσσονα σιγῆς λέγειν. Et scitum est illud Menandri:

Sententia affirm. defenditur.

κρεῖττον σιωπᾶν, ἢ λαλεῖν, ἃ μὴ πρέπει.

5 *An taciturnitas omni homini sit colenda, garrulitas verò fugienda?*

Ratio

1 STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia

quia taciturnitas est virtus moralis sermonis & silentii moderatrix: Garrulitas verò est vitium morale in loquendo & tacendo modum excedens. 2, quia taciturnitas facit, vt homo partim ea loquatur, quæ decet, & quæ accommodata sunt rebus, personis, loco & tempori: partim non plus loquatur, nec minus, quàm decet: partim etiam taceat, quę sunt tacenda: garrulitas verò facit, vt homo contrario modo agat. 3, quia taciturnitas est optimum & tutissimum administrandarum rerum vinculum. 4, quia multorũ malorum est remedium: sicut contra garrulitas multorum malorum est fomes & irritamentum. 5, quia multarum virtutum est custos & quasi nutrix. 6, quia decorum silentium est corona viri boni: Loquacitas autem neque iucundum aliquid habet, & mala est conuersationi inutilisque ciuitati, vt docet Euripides in Antiope. 7, quia silentii præmium tutum est, & caret periculo: Linguæ autem vanæ pœna semper proxima est. 8, quia, vt Poëta Hesiodus canit:

2 3 4 5 6 7 8.

Γλώσσης τοὶ θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος,
Φειδωλῆς, πλείστη ἢ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.
Optimus est homini linguæ thesaurus, & ingens,
Gratia, quæ parcis mensurat singula verbis.

Cui consentit illud Ouidii:

Eximia est virtus, præstare silentia rebus,
At contrà grauis est culpa, tacenda loqui.

6 *An, qui tacet, semper consentire videatur?*

VSitata est regula ICrum: *Qui tacet consentire videtur.* Cum qua etiam consentit illud Menandri: πολλοῖς ἀπόκρισις ἡ σιωπὴ τυγχάνει· *Multis responsum est silentium*: Item illud Euripidis in Andromeda: σιωπὴ ἄπορος ἑρμηνεὺς λόγων. *Silentium*

obscurus est interpres sermonum. Illa verò regula non simpliciter est vera, sed secundum quid. Licèt enim in rebus appetendis & fauorabilibus silentium trahatur ad consensum: tamen in rebus damnosis & præiudicialibus ex silentio consensus statim inferri non potest.

CAPVT VIII.

De Verecundia.

PRÆCEPTA.

Verecundia definitur.

1 *Fuit Taciturnitas: Sequitur Verecundia; quæ est virtus moralis, per quam homo in pudēdo modum decorum obseruat.*

Eius vitia opposita explicantur.

2 *Ei in defectu opponitur impudentia; in excessu stupiditas seu immodicus pudor.*

3 *Impudentia est vitium morale, per quod homo in dictis & factis omnem pudorem exuit.*

4 *Stupiditas est vitium morale, per quod homo in dictis & factis nimium est pudibundus.*

QVÆSTIONES.

1 *An verecundia sit virtus moralis?*

Prothesis negatiua arg.

VIdetur Aristoteles *lib. 4. Ethicorum Nicom. cap. 15.* verecundiam ex numero virtutum moralium excludere. Rationes ipsius sunt: 1, quia nullus affectus est virtus moralis. Verecundia autem est affectus. 2, quia verecundia nihil aliud est; quàm φόβος ἀδοξίας, hoc est, *metus infamiæ.* Cum qua definitione etiam consentit illa Thomæ Aquinatis, quâ dicitur timor turpitudinis exprobrabilis. Nullus autem timor est virtus; cum sit affe-

1

2

affectus. 3, quia omnis virtus moralis conueniens 3
est tam iuuenibus, quàm senibus. Verecundia autem non conueniens est senibus, sed tantum adolescentibus. Et propterea iuuenes verecũdi laudantur: senes autem non. Adolescentes enim verecundiâ abstrahuntur à peccatis, ad quæ alioquin ob affectuum vehementiam sunt procliues. Senes autem nihil agere debent, vnde pudor iis suboriri queat. 4, quia omnis virtus moralis ca- 4.
dit in virum bonum. Verecundia autem non cadit in virum bonum; tum quia oritur ex rebus malis & turpibus, quæ viro bono non sunt agendæ, sed fugiendæ, siue reuerâ, siue opinione sint turpes: tum, quia nõ viri boni, sed improbi est, aliquid suâ sponte admittere, ob quod pudore afficiatur.

At pro thesi affirmante hæc argumenta profe- *Pro thesi affirmat: Argum.*
runtur: 1, quia definitio virtutis moralis verecundiæ competit. 2, quia verecundia pudorem in dictis & factis moderatur, versaturque media inter 1
duo extrema vitia; quorum vnum dicitur impudentia, alterum stupiditas, teste ipso Aristot. *lib. 1. magn. mor. c. 30.* 3, quia est habitus per se honestus 2
& laudabilis. 4, quia tam sacri, quàm profani auctores verecundiã commendant, & ad illã tanquã 3
virtutem præclaram nos hortantur. Hinc Ambrosius *libr. 2. de officiis* ait: *Pulchra virtus est verecundia, & suauis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modũ pratergrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus.* Et Theognis ait, nullum thesaurum esse meliorem verecundiâ. 5, quia *omnibus* 4
ætatibus, personis, temporibus & locis apta est:

inprimis verò adolescentes iuuenilesq; animos maximè decet, vt idem Ambrosius *lib.* 2. *Offic.* testatur.

Thesis affir. defenditur. Atque hæc postrema sententia vera est & amplectenda. Quod igitur ad Aristotelis sententiam

Respondetur ad obiect. Aristotelis. attinet, illa videtur ob ambiguitatem vocabuli αἰδῶς confundere partim pudorem naturalē cum verecundia; partim pudorem moralem immoderatum cum moderato: cum tamen longè inter se differant. Pudoris enim naturalis obiectum est, in quo moderando verecundia occupatur. Neque quilibet pudor dedecet vel senes, vel viros probos; sed tantum immoderatus, vt è sequentibus quæstionibus melius intelligetur.

2 *Quid sit verecundia, & quæ vitia ei opponantur?*

Definitiones aliorum recensentur. ARistoteles *libr.* 2. *mag. moral. cap.* 30. verecundiam definit, quod sit μεσότης ἀναισχυντίας καὶ κατατηξέως περὶ πράξεις καὶ λόγες, *mediocritas inter impudentiam & stuporem circa actiones & sermones.*

1 Impudentem enim dicit esse, qui vbique & ad omnes loquitur, omniaque agit, quæ ei obueniunt: stupidum verò, qui cuncta & cunctis veretur tam in agendo quàm dicendo: verecundum verò, qui inter hos medium locum tenet, neque vt stupidus in omni & omninò præ pudore trepidat; verum agit & loquitur, vbi, quæ, & quando

2 decet. Alii verò verecundiam definiunt modò ciuilitatem per quam nos metu infamiæ eorum,

3 quæ nos dedecent, pudet: modò virtutem moralem pudoris in dictis & factis moderatricem. Ex quibus definitionibus priores duę vitioso genere laborant: postrema verò est legitima & omninò congruit cum ea, quæ in præceptis à me tradita est.

est. Porrò verecundię, quæ Græcè dicitur αἰδὼς rectius αἰδημοσύνη, in excessu opponitur ἀναισχυντία, *impudentia* seu *inverecundia*; in defectu κατάπληξις ἢ δυστοπία, *stupor*, seu *stupiditas*, seu *pudor indecorus & subrusticus*. Non enim tantũ turpe est, in loquendo & agendo nihil aut parum pudere; sed etiam turpe est nimium esse pudibundum, ita vt vix audeas in conspectum aliorum prodire, eosque vel intueri, vel alloqui.

3 *Virum pudor sit laudabilis, an vituperabilis?*

DE hac quęstione grauis est inter Philosophos morales disceptatio. Alii enim statuunt omnem pudorẽ esse laudabilem: alii omnem pudorem esse vituperabilem: alii mediam viam tenent & quendam laudabilem, quendam vituperabilem arbitrantur. *Diuersa aliorum opiniones recensentur.* 1 2 3.

Argumenta pro prima opinione sunt: 1, quia pudor est metus turpitudinis & infamiæ. Eiusmodi autem metus est principium virtutis moralis: quoniam abstrahit hominem à prauis & turpibus actionibus. 2, quia pudor virtutem custodit, & vitium expellit. 3, quia pudor est signum bonæ naturæ, & à vitiorum turpitudine abhorrentis. 4, quia vbi pudor est, ibi spes aliqua futuræ emendationis est. Vbi autẽ pudor non est, ibi spes quoque non erit. Idcircò rectè ait Sen. epist. 25. *Nutriendus est pudor: qui quamdiu in animo duraverit, aliquis erit bonæ spei locus.* Et rectè exclamat ille apud Plautum in Bacch. *Perit, cui perit pudor*: siquidem, vt Plutarchus ait, *qui pudore vacat, non sentit dolorem à turpiter factis*: & consequenter illa non auersatur. 5. quia impudentia est vituperabilis. Ergò vi oppositorum, pudor, qui impu- *Pro 1. opinione argum.* 1 2 3 4 5.

dentiæ repugnat, est laudabilis. Hinc Menander ait:

Πᾶς ἐρυθριῶν χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ.
Omnis erubescens probus esse mihi videtur.

Et Pythias Aristotelis filia interrogata, qui color esset pulcherrimus, dixit, qui ob pudorem ingenuis oboritur.

Pro 2. opinione, argum.

1

2.

Argumenta pro altera opinione sunt: 1, quia pudor est comes non virtutum, sed vitiorum, non honestarum, sed turpium actionum: 2, quia pudor virum bonum non decet; neque in eum cadit, sive præcedat actiones, sive sequatur. Cum enim virtutis habitu sit præditus, nihil turpe cogitat vel agit, propter quod pudore suffundi necesse sit.

Pro 3. opinione, argum.

1

Argumenta pro tertia opinione sunt: 1, quia pudor teste Aristotele *lib. 4. Ethic. cap. 15.* in ætate iuuenili est honestus & ingenuus: siquidem reuocat iuuiores à vitiis & peccatis, indicatque naturam ingenii ad virtutem propensionem: in ætate verò adultâ & senili est turpis: cum adulti & senes nihil agere debeant, propter quod pudore suffundi necesse sit. Idcirco etiam eodem in loco inquit Philosophus, iuuenem pudibundum laudari; senem verò non. 2, quia *si omnis pudor esset vel laudabilis, vel vituperabilis, non opus esset verecundiâ, quæ pudorem moderetur. Sed consequens est absurdum. Ergò & antecedens.*

Quæstio explicatur per distinct.

1

2.

Pro decisione quæstionis distinguendum est primum inter pudorem naturalem & moralem; quorum ille suâ naturâ est indifferens, hoc est, neque laudabilis, neque vituperabilis: hic verò, vel laudabilis, vel vituperabilis: Deinde distinguendum

dum est inter pudorem moralem moderatum & immoderatum. Moderatum pudorem voco, qui fit ex præscripto rectæ rationis, vbi, quando, erga quos, quantum, quomodo, & cur decet: Et hic est honestus & licitus. Immoderatum pudorem voco, qui fit contra præscriptum rectæ rationis, vbi, quando, erga quos, cur, quantum & quomodo non decet: Et hic turpis est ac illicitus; ac Græcè propriè dicitur αἰσχύνη. Hæc enim est metus iustæ reprehensionis, ortus ex conscientia malefactorum. In priore genere est pudor ille, qui antecedit peccatum hominis, eumque ab illo abstrahit. In posteriore genere est pudor, qui post peccati perpetrationem ex malâ cõscientiâ oritur. Pudor igitur moderatus omnis per se est laudabilis: sicut immoderatus omnis est vituperabilis; siue in iuuenibus, siue in adultis & senibus existat. Ideoq; simul etiam verum est, pudorem moralem alium esse laudabilem, alium vituperabilem.

4 *An melius sit pudore affici ob turpia facta, quam impudentem esse?*

ETsi secundum Aristotelem *lib. 4. Ethic. Nic. cap. vlt.* absolutè & per se malum est, aliquem ob turpia facta, quæ fecit, aut facit, pudore suffundi: tamen comparatè, & per accidens melius id est, quàm impudentem esse. Ille enim pudor arguit, hominem non planè esse perditi & deplorati ingenii; sed aliquem adhuc in eo honestatis amorem & curam, & per consequens, spem aliquam futuræ resipiscentiæ superesse. Vnde etiam Seneca *epist.* 11. bonũ in Adolescente signum esse ait, cũ ille ex alto rubore suffunditur. Et rectè iudicat senex ille Terentianus: *Erubescit, salua res est.* *Sententia affirmat. defenditur.*

est. Impudentia verò arguit hominem planè esse perditi & deplorati ingenii: quippe qui nullo honestatis amore amplius tangatur, neque vllam resipiscentiæ spem ex se promat.

5 *An verecundia sit expetenda: impudentia fugienda.*

Sententia affirm. defenditur.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia verecundia est virtus moralis. 2, quia est pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est, vt ait Ambrosius *lib.* 1. *de officiis.* 3, quia omnibus ætatibus, personis, temporibus & locis apta est; maximè verò adolescentes iuuenilesque animos decet, teste ibidem Ambrosio. 4, quia

Ratio

1 2 3 4 *verecundia* secundum Bernhardum super cantica serm. 78. *est pulcra & splendida gemma morum, nuntia bonæ indolis, virga disciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, fama custos, vita decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus & insigne totius honestatis; item, soror continentiæ.* 5, quia impudentia est vitium morale, pugnans cum verecundia. 6, quia secundum Euripidem in Medea, ἡ μεγίστη δ' ἐν ἀνθρώποις νοσῶν παισὶν ἀναίδεια, hoc est, *maximus omnium morborum in hominibus est impudentia.* 7, quia secundum Xenophontem *in lib.* 1. *de pædia* Cyri, ἀναισχυντία δοκεῖ εἶναι μεγίστη ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμών, *Impudentia videtur esse maxima ad omnia turpia dux.* 8, quia secundum Theophrastum, ἡ ἀναισχυντία ἐστὶ καταφρόνησις δόξης αἰσχρᾶς ἕνεκα κέρδους, *Impudentia est contemptus gloriæ sordidi lucri gratiâ.* 9, quia secundum Diphilum, οὐκ ἔστιν ἀναιδὲς ζῶον ἀθαρσέστερον, *homine impudente nullum animal est confidentius.*

6 *An*

6 An homo verecundiam debeat etiam erga ſeipſum exercere?

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia homo ſeipſum moderatè amare debet. Ergò etiam verecundus eſſe erga ſeipſum. 2, quia qui non eſt verecundus erga ſeipſum, non poteſt etiam eſſe verecundus erga alios. Hinc rectè inquit Muſonius: αἰδὲς σεαυτὸν πᾶσιν ἄξιον ἴσθι, ἐὰν σεαυτοῦ ἄρξῃς σὺ τὴν αἰδῶ, *reuerentia apud omnes dignus eris, ſi primum ceperis teipſum reuereri.* Item, Theophraſtus, αἰδὲ σαυτὸν, καὶ ἄλλον οὐκ αἰσχυνήσῃ, *reuerere teipſum, & non erubeſces coram aliis.* Item Democ. φαῦλον καὶ μόνος ἦς μήτε λέξῃς, μήτ' ἐργάσῃ· μᾶλλον δὲ πολὺ μᾶλλον ἢ ἄλλων σεαυτὸν αἰσχύνεσθαι, *malum, etiamſi ſolus ſis, neque dixeris, neq; feceris. Diſce autem teipſum multò magis, quam alios reuereri.* *Argum. pro theſi aff.* *Ratio 1* *2.*

CAPVT IX.

De Liberalitate.

PRÆCEPTA.

1 Hactenus explicata eſt virtus ſeu probitas homiletica: Sequitur κοινωνητικὴ, quæ in communicatione verſatur, & per hanc humanam ſocietatem conſeruat.

2 Eſtq; vel liberalitas vel iuſtitia.

3 Liberalitas eſt virtus moralis, per quam homo promptus redditur ad benefaciendum & benignè communicandum aliis ſua bona. *Liberalitas definitur & diuiditur.*

4 Eſtque vel officioſitas, vel munificentia.

5 Officioſitas eſt liberalitas, per quam homo ſua officia libenter aliis defert & præſtat.

6 *Munificentia est liberalitas, per quam homo de suis facultatibus & opibus benignum & largum se erga alios præbet.*

7 *Ei subiicitur magnificentia & hospitalitas.*

8 *Magnificentia est munificentia in sumptibus magnis publicè faciẽdis modum obseruans.*

9 *Hospitalitas est munificentia in hospitibus excipiendis, tractandis & dimittendis modum decorum obseruans.*

10 *Liberalitati opponitur illiberalitas & prodigalitas.*

11 *Illiberalitas est vitium morale in communicatione suorum bonorum cum aliis à modo deficiens.*

12 *Est q̃ vel inofficiositas, vel immunificẽtia.*

13 *Inofficiositas est illiberalitas, per quã homo in officiis aliis præstandis deficit.*

14 *Immunificentia est illiberalitas, per quã homo in largiendo aliis de suis facultatib. deficit.*

15 *Ei subiicitur paruificentia & inhospitalitas.*

16 *Paruificentia est immunificentia in sumptibus magnis publicè faciendis, ad parum declinans.*

17 *Inhospitalitas est immunificentia in hospitibus excipiendis & tractandis ad parum declinans.*

18 *Pro-*

18 *Prodigalitas est vitium morale, in communicatione suorum bonorum cum aliis modum excedens.*

19 *Ei subiicitur nimia officiositas, & nimia largitas.*

20 *Nimia officiositas est prodigalitas in officiis aliis præstandis ad nimium deflectens.*

21 *Nimia largitas est prodigalitas, in largiendo aliis de suis facultatibus ad nimium deflectens.*

QVÆSTIONES.

1 *Quid sit liberalitas?*

Definitiones Aristot. recensentur & examinātur.

Liberalitas definitur ab Arist. *lib.* 4. *Ethic. Nic. c.* 1. & 2. μεσότης περὶ χρημάτων δόσιν καὶ λῆψιν, h.e. *mediocritas circa diuitiarum datione & acceptionem.* Item, *lib.* 1. *magn. mor. cap.* 34. μεσότης ἀπωτίας καὶ ἀνελευθερίας, *mediocritas inter prodigalitatem, & illiberalitatem.* Item, *lib.* 3. *Eudem. cap* 4. μεσότης περὶ χρημάτων κτῆσιν καὶ ἀποβολὴν, *mediocritas circa facultatum acquisitionem & amissionem.* Item, *in libello de virtutib.* ἀρετὴ ψυχῆς εὐδύπαντος εἰς τὰ καλὰ, *virtus sumptus facere parata, in res honestas.* Item, *lib.* 1. *Rhet.* ἀρετὴ περὶ χρημάτων εὐποιητική, *virtus de quibus benefaciens* E quibus definitionib. nulla videtur posse cōsistere. Aut enim genus illegitimum, aut differentiam illegitimam exprimunt. Non enim liberalitas est ipsa mediocritas: sed virtus in mediocritate consistens. Neque illa versatur circa diuitiarum vel acquisitionem, vel acceptionem, vel custodiam: sed circa earundem vsum, quatenus in datione & amissione cōsistit. Neque

duntaxat diuitiarum vsum, sumptuumque erogationem; sed etiam officiorum præstationem moderatur, vt è sequentibus quæstionibus clarius patebit.

Aliorum recentiorũ definitiones recensentur & examinãtur.

Porrò ab aliis & quidem recentioribus Philosophis liberalitas definitur modò virtus, quæ mediocritatem seruat in dandis accipiendisque pecuniis: modò virtus benè dispensandi diuitias in vsus bonos sibi suisque & aliis: modò virtus beneficiorum erogatrix: modò iustitia, per quam homo aliorum commodis inseruit, bona sua, quæ potest & debet, cum iis communicando: modò charitas erga proximũ, per quam ipsi prodesse studemus: modò virtus, bona sua, quæ communicanda sunt, aliis communicans: modò virtus seruans mediocritatem in dandis siue erogandis & accipiendis modicis sumptibus. E quibus definitionibus sola tertia & sexta videntur approbandæ. Reliquæ verò aut genus illegitimum exprimunt, cuiusmodi est iustitia & charitas; aut obiectum liberalitatis imperfectè assignant.

Proinde in præceptis fuit definita liberalitas, quæ alio nomine dicitur benignitas & beneficentia, quod sit virtus moralis, per quã homo promptus redditur ad benefaciẽdum & benignè communicandum aliis sua bona.

2 *Quod sit obiectum proprium & adæquatum liberalitatis?*

Opinio Aristot. exponitur.

ARistoteles obiectum liberalitatis statuit esse modò χρήματα; & per illud vocabulum intelligit πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομισμάτι μετρεῖται, *omnia quorum dignitas seu pretium nummo mensuratur*, cuiusmodi sunt

di sunt opes & diuitiæ: modò δόσιν καὶ λῆψιν χρημάτων, *dationem & acceptionem diuitiarum*: modò χρῆσιν & κτῆσιν χρημάτων, *vsum & possessionē diuitiarum*; & sub χρήσει comprehendit δαπάνην καὶ δόσιν, *sumptum & dationem*; sub κτήσει λῆψιν καὶ φυλακὴν, *acceptionem & custodiam*. Verum hæc sententia Aristotelis quocunque modo explicetur, non potest consistere. *Arist. opinio refutatur.*

Rationes sunt: 1, quia non tantum liberalitas versatur circa diuitias; sed etiam aliæ virtutes morales, vt sunt αὐτάρκεια, *parsimonia*, & id genus aliæ. *Ratio* 1. 2, quia liberalitas nō moderatur κτῆσιν, h.e. λῆψιν καὶ φυλακὴν diuitiarum; sed χρῆσιν, hoc est, *vsum*, eumque non simpliciter, sed quatenus in datione seu donatione & sumptu consistit. Nemo enim, qui naturam liberalitatis, seu, quod idem est, benignitatis & beneficentiæ rectè considerat, liberalem appellat eum, qui modum tenet in possidendis seu accipiendis & custodiendis diuitiis: Hoc enim pertinet ad αὐτάρκειαν & parsimoniam: sed qui in dandis & erogandis diuitiis mediocritatem obseruat. 3, quia liberalitas non tantum moderatur vsum diuitiarum, quatenus in datione consistit; sed in genere spontaneam bonorum cum aliis communicationem, siue sint bona interna, nempe officia per quæ intelligimus virtutes intellectuales & morales, earumque effecta, v.g. consilia, operas, siue bona externa, cuiusmodi sunt diuitiæ & opes. 2. 3.

3 *An liberalitas sit virtus apprimè necessaria & vtilis?*

Sentent. affirmatiua defenditur.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia sine liberalitate societas hominum & vi- *Ratio* 1

tæ, quasi communitas cõseruari non potest. Hinc Theophrastus interrogatus, *quidnã vitam hominum conseruaret*, respondit, *beneficentia*. 2, quia vt præclarè scriptum est à Platone, *non nobis solum nati sumus; sed ortus nostri partem patria sibi vendicat, partem parentes, partem amici*. Atque vt placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad vsum hominum omnia creantur: homines autem hominũ causa sunt generati, vt ipsi inter se alii aliis prodesse possint. Id autem fieri non potest sine communicatione officiorum & facultatũ, quam liberalitas moderatur. 3, quia vt Strabo inquit, mortales tunc maximè imitãtur Deum, cum sunt benefici. Hinc Pythagoras interrogat, qua ratione homines Diis similes euadere possint? respondit, si veritatem amplecterentur, & cunctis benefacerent. 4, quia charitas erga proximum maximè sese exercet per beneficentiam. 5, quia fructus ingenii & virtutis, omnisq; præstantiæ tum maximè capitur; cum in alterum confertur, vt ait Cic. in Lælio. 6, quia liberalitate qui vtuntur, beneuolentiã sibi conciliant, &, quod aptissimum est ad quietè viuendũ, caritatem. 7, quia omne bonum est communicatiuum sui. 8, quia beneficium dare qui nescit, iniustè petit: Et dedecus est, semper sumere nihilq; dare. 9, quia liberalitas inde nomen habet apud Latinos, quod liberalem & ingenuum hominẽ maximè deceat: quemadmodum etiã eandem ob causam apud Græcos dicitur ἐλεύθερος.

Pro thesi affirm.

4 *An liberalitas rectè diuidatur in officiositatem & munificentiam?*

Ratio 1

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia bona, quorum communicationem modera-

deratur liberalitas, sunt duplicia, alia interna, quę vocabulo officiorum comprehenduntur; alia externa, quæ diuitiarum nomine continentur. Ergò ex vi & ratione huius obiecti liberalitas etiam nõ inconcinnè diuiditur in duas species, quarum vna officiorum, altera diuitiarum communicationem moderetur. Nec malè prior dici potest officiositas Græcè ἐλευθεριότης θεραπευτική: posterior munificentia Græcè ἐλευθεριότης δωρημαλική. 2, quia illa diuisio congruit cum omnibus legibus perfectæ distributionis: cum partes inter se dissentiant, & cum toto consentiant; adeoque toti sint adæquatæ. 3, quia ab aliis etiam magni nominis Auctoribus approbatur. Cicero enim *libr.* 1. & 2. *Officiorum* liberalitatem duplicem facit, vnam quæ fit operâ & industriâ; alteram, quæ fit facultatibus & copiis. Similiter Ambrosius lib. 1. de officiis duplicem facit liberalitatem; vnam, quæ subsidio rei adiuuat, id est, vsu pecuniæ: alteram, quæ operum collatione impendit. Item Seneca *li.* 1. *de beneficiis* docet, beneficium seu liberalitatem fieri dupliciter, aut operâ aut pecuniâ: alteram ex arca, alteram ex virtute depromi. Proinde errat Aristoteles, qui liberalitatem tantum ex diuitiarum, nõ autem officiorum communicatione æstimat.

2

3.

Error Arist. taxatur.

5 *An idem sit prodesse alteri & benefacere?*

STatuitur thesis neg. Licèt enim omnis, qui benefacit alteri, eidẽ etiã prosit: tamẽ vice versâ nõ omnis, qui alteri prodest, eidẽ etiã benefacit. Nã 1. lapides, plantæ, bestiæ prosunt aliis; neq; tamen propriè dicũtur iis benefacere. 2, mercatores & opifices prosunt ciuitati, neq; tamen benefaci-

Sentent. neg. defenditur.

unt. 3, quia quidam homines etiam nescii & nolentes prosunt aliis; neque tamen benefaciunt. Causa est, quia non est beneficium, nisi quod scienter à rectæ rationis iudicio bonaque voluntate, & quidē gratuitò solius honestatis gratiâ proficiscitur, vt ex sequentibus quæstionibus melius intelligetur.

6 *An simpliciter honestum & laudabile sit communicare alteri sua bona?*

Pro sententia neg. Ratio

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt; 1, quia nihil est simpliciter honestū & laudabile, nisi

1 quod fit ex præscripto rectæ rationis. Communicare autē alteri sua bona nō semper fit ex præscripto rectæ rationis. Hæc enim vult, vt homo non communicet sua bona, nisi quibus decet, quando, cur, quantum, & quomodo decet. Hæ autem conditiones non semper in qualibet bonorum

2 communicatione obseruātur. 2, quia prodigi etiam communicant aliis sua bona: Et tamen hæc actio illorum nō est honesta & laudabilis; sed tur-

3 pis & vituperabilis. 3, quia interdum honestum est & laudabile, non communicare alteri sua bona, vt si parentes non communicent liberis pecuniam, quâ sciunt illos abusuros esse, ad comportationem, ad amorem illicitum, ad rerum futilium & inutilium coemptionem aliaue peccata. Et hoc etiam testatur Seneca, dum ait esse quędam nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare beneficium est. Ideoque vtilitatem potius, quàm

4. voluntatem petentium æstimandam esse. 4, quia si simpliciter honestum esset & laudabile communicare alteri sua bona, non opus esset liberalitate,

litate, quę bonorum communicationem moderaretur. Sed consequens est falsum. Ergò & antecedens. Proinde non quæuis bonorum cum aliis communicatio est simpliciter honesta & laudabilis; sed tantum illa, quæ est moderata, & fit ex præscripto rectæ rationis. Et hæc sola propriè dicitur benefactio.

7 *Quibus sit benefaciendum?*

NOn omnibus sine delectu est benefaciendum. Nam vt Seneca ait lib. 1. de beneficiis cap. 1. *Beneficia sine vllo delectu magis proiicimus, quam damus.* Et, vt idem inquit lib. 2. cap. 18. *maiore delectu quærendum est, cui debeamus, quam cui præstemus beneficium.* Proinde vtile est scire, quibus sit benefaciendum. Ac primum quidem absolutè benefaciendum est omnibus hominibus, beneficio nostro indigentibus, siue noti sint, siue ignoti; siue amici, siue inimici; siue boni siue mali; siue diuites, siue pauperes; siue benemeriti, siue malemeriti; siue digni, siue indigni, siue grati, siue ingrati: sed non alio respectu, quàm quatenus sunt homines, aut nostræ opis indigi, aut spē aliquam futuræ emēdationis nobis præbent. Rationes sunt: 1, quia homines hominum causâ sunt generati, vt ipsi inter se alii aliis benefaciāt. 2, quia lex Dei & naturæ vult, vt proximum nostrum diligamus, eique id præstemus, quod volumus ab aliis nobis fieri. Proximus autem noster est, quicunque auxilio & beneficio nostro indiget. 3, quia omnes homines naturalis cognationis iure sibi inuicem sunt deuincti ad benefaciendum. 4, quia benefaciendo Deum imitari debemus, qui omnibus creaturis suis, quatenus sunt creaturę, be-

Primū præceptum.

Ratio
1
2
3
4.

nefacit, siue bonę sint, siue malæ: siue amicæ, siue inimicæ: siue dignæ, siue indignæ: siue gratæ, siue ingratæ. Deinde comparatè benefaciendum magis notis quàm ignotis: amicis, quàm inimicis: bonis, quàm malis: pauperibus quàm diuitibus: benemeritis, quàm malemeritis: dignis quàm indignis: gratis quàm ingratis. Rationes sunt: 1, quia in notos & dignos magis circumspectè & vtiliter beneficiũ collocatur, quàm in ignotos & indignos. 2, quia amici, boni, benemeriti, & grati, magis digni sunt nostro beneficio quàm alii. 3, quia pauperes magis indigent nostra ope quàm diuites. 4, quia Deus ipse, cuius exemplum nobis in benefaciẽdo est imitandũ, magis benefacit amicis quàm inimicis, iustis quàm iniustis. Tertio non est benefaciendum malis, quatenus sunt mali, nè beneficiis nostris abutantur ad peccandum, & in malitia sua ac peccatis magis magisq; confirmentur. Et hoc etiam vult Syracides *cap.* 12. vbi prohibet, ne impiorum misereamur, iisque benefaciamus. Nec malè ait Augustinus super Iohannem: *Donare res suas histrionibus vitium est immane, non virtus.* Item, Seneca in prouerbiis: *Bis peccas cum peccanti obsequiũ accommodas.* Interim tamen sciendum est, melius esse, benefacere etiam malis propter bonos, quàm non benefacere bonis propter malos. Et hoc etiam testatur Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 28. *satius est prodesse etiã malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos.*

Secundum præceptum.

Ratio
1
2
3
4.

Tertium præceptum.

Modus legitimus benefaciendi explicatur.

8 *Quomodo sit benefaciendum?*

NOn quiuis modus benefaciendi est legitimus: sed tantum is, quem recta ratio prescribit.

bit. Hæc autem vult, vt benefaciamus. 1, scientes, non ignorantes. 2, volentes non nolentes. 3, animo bono, nõ malo. 4. vltrò, promptè & libenter: non grauatim & cum molestia. 5, citò, non tardè.

Fundamenta huius præcepti sunt: 1, quia non est beneficium, quod fit ab ignorante aut nolente. Vnde Seneca lib. 1. de beneficiis cap. 2. *Beneficiis si detraxeris iudicium, desinit esse beneficium.* Et lib. 4. cap. 10. *Non est beneficium, nisi quod ratione fit: quoniam ratio omnis honesti comes est.* Et lib. 6. cap. 8. *Beneficium aliquis nesciens accipit; nemo a nesciente.* Item cap. 9. *Non est beneficium, quod a bona voluntate proficiscitur, nisi illud agnoscit qui dedit.* 2, quia beneficium non in eo, quod fit aut datur, consistit: sed in ipso dantis, aut benefacientis animo, vt ait Seneca *libr. 1. de beneficiis cap. 6.* Nec videtur dedisse beneficium, qui malo animo profuit, *lib. 2. cap. 19.* Hinc etiam beneficium ab iniuria distinguit, non euentus sed animus, *lib 6. cap. 8.* Hinc Valerius Maximus lib. 4. cap. 8, titulo de liberalitate inquit: *Liberalitatis duo sunt maximè probabiles fontes, verũ iudicium & honesta beneuolentia.* Et Gregorius lib. 19. moral. *Nunquam est vacua manus a munere, si arca cordis est repleta bona voluntate.* Item, *Semper illi, quod largiatur, occurrit, cui bene velle non deficit.* 3, quia beneficium vltro oblatum gratius est eo, quod precario obtinetur. Vnde Seneca lib. 2. capite 1. *Nulla res carius constat, quam qua precibus emitur.* Item, capite 2. *Illud beneficium iucundum, victurumq; animo scias, quod obuiam venit.*

Fundamenta ipsius exponuntur.

1

2

3

4. 4, quia quod secundum virtutem fit, id fit promptè & libenter, & cum voluptate; non autem grauatè & cum molestia. Et, *hilarem datorem diligit Deus*, vt ait Paulus 2. ad Corinth. cap. 9. 5, quia beneficium citò datum gratius est eo, quod tardè datur, promptioremque voluntatem arguit. Et hoc testantur versiculi illi:

Gratia quæ tarda est, ingrata est: gratia namque,
Quæ fieri properat, gratia grata magis.
Si bene quid facias facias citò: nam citò factum,
Gratum erit: ingratum gratia tarda facit.

Hinc Seneca libr. 2. de beneficiis cap. 5. *Verissimum*, inquit, *existimo quod ille Comicus ait: Quid? tu non intelligis tantum te gratiæ adimere, quantum moræ adiicis?* Idem alibi ait: *Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis citò facere. Qui tardè dedit & diem extrahens profuit, non ex animo fecit: Ita duas res maximas perdidit: & tempus & argumentum amicæ voluntatis: Tardè velle nolentis est.* Item, *Qui tardè fecit, diu nolu't.* Item, *ingratum est beneficium, quod inter manus dantis diu hæsit.* Huc pertinet versiculus ille: *Bis dat qui citò dat: qui nil dat, munera tardat.* Item illud Græcum ὠκέως χάριτες γλυκίερώτεραι, *veloces gratiæ sunt dulciores.*

9 *Vnde sit benefaciendum?*

De suis, non alienis est benefaciendū.

REperiuntur nonnulli, qui vt videantur liberales & benefici, communicant aliis largiter; non tamen de suis, sed de alienis bonis. Verum hoc institutum ipsorum probari nullo modo potest ob sequentia argumenta: 1, quia homo liberalis de suis bonis debet benefacere, non de alienis. In illa enim ius habet dispensandi; in hæc autem

Argum. 1

tem non. Et hoc etiam testatur Seneca libr. 1. de clementia, cum ait: *Non est liberalis, qui de alieno est liberalis; sed ille, qui quod alteri donat, sibi detrahit.* Item, illud Comici: *De te largitor puer.* 2, quia iniustum est de alienis bonis largiri aliis: cum detrahatur ei, cui non debet detrahi. 3, quia benefacere nihil aliud est, quàm fructum & vsum propriorum bonorum, quæ honesto titulo possidentur, aliis, qui egent, ex præscripto rectæ rationis communicare. 4, quia beneficium hominis liberalis non debet esse coniunctum cum alterius damno. Qui autem de alienis bonis largitur præter aut contra consensum & voluntatem legitimi domini, is largitur cum alterius damno: Ideoque ipsius factum nõ est beneficium, sed maleficium. Proinde illi valdè sunt reprehendẽdi, qui per fas & nefas corradũt diuitias sub hoc prætextu, vt habeant facultatẽ pauperibus eleemosynas largiendi. Eiusmodi .n. eleemosynę non sunt opera à vera liberalitate & benignitate, sed ab iniusta aliorum compilatione profecta: Ideoque neque Deo grata sunt, & acceptã.

2 3 4

Error aliorũ taxatur.

10 *Quando & vbi sit benefaciendum?*

NOn quouis tempore & loco beneficentia erga alios est exercenda: sed ratione temporis considerandum est, quando benefacere aut necesse sit, aut vtile. Nam vt Cicero inquit libr. 1. officiorum, *causa largitionis est, si aut necesse sit, aut vtile.* Quod si igitur tempus incidat, in quo nulla aut necessitas, aut vtilitas benefaciendi appareat, claudenda est arca liberalitatis, ne beneficium nostrum videatur aut superuacaneum, aut noxi-

Quo tempore benefaciendum.

Quo loco benefaciendū.

um; & sic rationem beneficii amittat. Similiter ratione loci spectandum est, vtrum publicè in conspectu aliorum; an priuatim & clam sit benefaciendum. Interdum enim honestius & melius est beneficiario, si beneficium ei publicè detur, præsertim eiusmodi, quod testimonium sit virtutis, & ad hònorem eius amplificandum faciat. Interdum verò honestius & melius est, si priuatim & clam detur; præsertim eiusmodi, quod ad subleuandam paupertatē & inopiam facit, cuiusmodi est eleemosyna. Et de hoc genere beneficii intelligendum est, quod Christus Matthæi 6. præcipit: *Nesciat sinistra tua, quod facit dextra tua.* Item illud Ambrosii, quod habetur lib. 1. de off. *Perfecta est liberalitas, vbi silentio quis egit opus suum, & necessitatibus singulorum occultè subuenit: quem laudat os pauperis, & non labia sua.*

II *Quo fine sit benefaciendum?*

Finis legitimus benefactionis explicatur.

IN benefaciendo accurata habenda est ratio finis. Non enim benefaciendū est aliis vel ostentationis & gloriæ vanæ aucupandæ; vel commodi & quæstus inde ad se reuersuri gratiâ: sed solius honestatis ac indigentiæ aliorum subleuandæ causâ. Rationes sunt: 1, quia vt docet Aristoteles *lib. 4. Ethicorum Nicomach. cap. 2,* αἱ κατ' ἀρετὴν πράξεις καλαὶ καὶ καλᾶ ἕνεκα, *actiones virtutis sunt honestæ, & honestatis gratiâ fieri debent.* Ergo etiam liberalitatis actiones ita debent esse comparatæ. 2, quia beneficium inquinatur & obscuratur, si ostentationis & gloriæ vanæ aucupandæ gratia fiat: imò planè beneficii nomen amittit. Hinc Seneca lib. 2. de legib. cap. 11. *Nihil æquè in beneficio dando vitandum ac superbia. Quid opus arrogantiâ vul-*

Ratio 1

2

vultus? quid tumore verborum? ipsa res te extollit, detrahenda est manus iactantiæ. Res loquentur nobis tacentibus. Non tantum ingratum, sed inuisum est beneficium superbè datum. Item, cap. 13. *ô superbia magnæ fortunæ! ô stultissimum malum; vt ate nihil accipere iuuat: vt omne beneficium in iniuriam conuertis*, &c. Quô pertinet etiam illud Ambrosii lib. 2. de off. *Non illa perfecta est liberalitas, si iactantiæ causâ magis, quam misericordiæ largiaris.* 3 quia, vt Sen. ait lib. 1. de benef. c 1. *beneficium dandum est, non fœnerandum. Et magni animi & boni proprium est, non fructum beneficiorum sequi.* 3
Vnde idem in citato loco ait: *Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitauit, cum daret.* Et lib. 4. c. 1. *Pudeat vllum venale esse beneficium. Gratuitos habemus Deos. Si Deos imitaris, da & ingratis beneficium.* Et Cic. *lib. 1. offic.* docet liberalitatem debere esse gratuitam, non mercenariam. 4, quia proprius & essentialis finis liberalitatis est, succurrere 4.
necessitati & indigentiæ aliorum. Proinde liberales non sunt illi, qui aliis dant beneficium, vt vel maiora beneficia reportent, vel vt fauorem sibi concilient, & parent promotionem ad honores; vel vt causam in iudicio obtineãt; vel vt se ostentent; vel denique vt ab importunitate petentium liberentur.

12. *Quantum sit benefaciendum?*

IN benefaciendo homo liberalis partim quantitatem indigentiæ in eo, cui dandũ est; partim quantitatem facultatum suarum spectare & ponderare debet. Tantum enim est dãdum cuilibet, quantum cum indigentia accipientis efflagitat; tum ratio facultatum nostrarum patitur. Ra-

Ratio tiones sunt: 1, quia minus indigentibus, minus; &
1 magis indigentibus, magis est dandum. 2, quia, vt
2 Cicero ait lib. 1. offic. *cauendum est, ne benignitas maior sit quàm facultates.* Et hoc etiam innuit Seneca lib. 2. cap. 15. de benef. *Respiciendæ sunt cuiq; facultates suæ viresque, ne aut plus præstemus, quàm*
3 *possumus, aut minus.* 3, quia non ita est largiẽdum,
2. Cor. 8. ℣. 30. vt aliis sit relaxatio, nobis afflictio; hoc est, vt alii reficiantur & abundent; nos verò affligamur & egeamus. Hinc Seneca lib. 2. cap. 15. *Dabo egenti, sed vt ipse non egeam: succurram perituro; sed vt ipse non peream.*
4. 4, quia prodigi hominis est, nimium largiendo profundere sua bona. Et, vt Cicero ait 2. offic. *nihil est stultius, quam quod libenter facis, curare, ne id diutius facere possis.* Hinc Ambrosius lib. 1. de officiis: *Dominus non vult effundi opes, sed dispensari.*

13 *An beneficium per se sit sensile?*

Pro thesi negatiua STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt; 1, quia nullum opus virtutis moralis, cum sit honestũ, per se est sensile. Beneficium autem est opus vir-
Ratio 1 tutis moralis. 2, quia *beneficium non in eo, quod fit,*
2 *aut datur, consistit; sed in ipso dantis & benefacientis animo,* vt ait Seneca libr. 1. de beneficiis cap. 6.
3. 3, quia non sensus per se potest esse iudex & æstimator beneficii, sed recta ratio.

Obiectioni occurritur. Neque obstat, si quis obiiciat, aurum, argentum & id genus alia, quæ à liberali dantur, per se oculis cerni & manu tangi. *Multum enim interest,* vt idem Seneca ait cap. 5. lib 1. de beneficiis, *inter materiam beneficii, & ipsum beneficium. Aurum enim, argentum, & similia, quæ alicui dantur ab homine liberali, non sunt beneficium, sed materia bene-*

beneficii. Et sicut corona non est ipse honor, sed honoris insigne: sic non est beneficium id, quod sub oculos venit; sed beneficii vestigium & nota. Itaque eodē in loco idem Auctor rectè asserit: *Non potest beneficium manu tangi, sed animo cernitur.*

14 *An beneficium æstimandum sit ex quantitate eius, quod datur?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia sicut beneficium maximè à beneuolo & prompto animo dantis pendet: ita etiam ex eodem est æstimandum. 2, quia sæpè accidit vt beneficium, quod secundum rei quantitatem minus est, affectu sit maius: Et cōtra, quod secundum rei quantitatem maius est, affectu sit minus. Hinc etiam fit, vt interdum qui pauca dat, liberalior sit eo, qui dat multa; si modò ex paucioribus det. 3, quia hoc idem testantur grauissimi viri. Aristoteles enim *lib.4. Ethic. Nic. cap.2.* inquit, οὐκ ἐν τῷ πλήθει τῶν διδομένων τὸ ἐλευθέριον, ἀλλ' ἐν τῇ τοῦ διδόντος ἕξει. αὐτὴ δὲ κατ' οὐσίαν δίδωσι· *Non in multitudine eorum, quæ dantur; sed in habitu eius qui dat, sita est vis liberalitatis. Hic autem dat pro facultatibus.* Sic Leo Papa in apparitione Domini inquit, *fidelium largitatem non de muneris pensari pondere, sed de beneuolentiæ quantitate.* Et Hieronymus ad Paulinum asserit, *liberalitatem non cumulatione patrimonii, sed largitatis definiri affectu.* Hinc etiam ipse Christus, cum videret viduam aliquam pauperculā, vnum teruncium in gazophylacium coniicere, apertè pronunciauit, illam plus dedisse, quàm omnes Scribas & Pharisæos cæterosque diuites: cum illa dederit de sua paupertate, quod habebat: hi verò de sua opulentia & redundantia.

Pro sentētia neg. Ratio
1
2
3.

15 *An homo omnia sua bona debeat communicare aliis?*

Pro thesi negatiua

Ratio

1 STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia quorundam bonorum proprietas honesta est & licita. 2, quia quorundam bonorũ, v.g. vxorum communitas, est turpis & illicita. 3, quia illa bona nõ sunt communicanda aliis, quæ iis sunt aut noxia, aut saltem non vtilia, vt si quis donaret cultrũ vel gladium acutum puero; aut fæminæ arma: aut venatori rustico libros; aut studioso retia. Hinc August. in sermone Domini in monte; *Dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat.* Neque valet, si quis obiiciat vulgatum illud Græcorũ prouerbium τὰ τῶν φίλων κοινὰ, *amicorũ omnia sunt communia.* Illud enim non est simpliciter verum, sed tantum de bonis, quæ honestum & licitum est aliis communicare. Multò minus valet, si quis alleget sententiam Platonis dicentis, felicem Reipublicæ statum rerum omnium communitate constare: Item, felicem ac beatam fore ciuitatem, in qua non audirentur hæc verba, *meum*, &, *non meum.* Hoc enim dictum Platonis videtur non recipiendum, nisi sanâ & concinnâ interpretatione molliatur. Nec illud comprobat vitæ facultatumque communitas in primitiuâ Ecclesiâ inter Christianos obseruari solita. Hęc enim ad tempus tantum instituta fuit à primis Christianis ex zelo erga Christianam religionem, vt eò melius expeditiusq; pietatis studiis vacare possent. Neq; vnquam in sacris literis expressê à Deo fuit mandata.

Obiectioni occurritur.

1

2

3.

Prothes. neg.

Ratio

1

16 *An liberalis sit, qui dat, quod sibi vel alteri nocet?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia omne beneficium, ab homine liberali profectum,

ctum, debet esse honestum & vtile cum sibi, tum aliis. 2, quia finis liberalitatis proprius & essentialis est, succurrere aliorum necessitati & indigentiæ. Id autem non facit is, qui alteri dat, quod ipsi nocet. 3, quia nõ tantum beneficium est, dare alicui, quod ipsi prodest; sed etiã non dare, quod ipsi nocet. Hinc Sen. lib. 2. de benef. c. 14. *Sunt quadã nocitura impetrantibus, quæ nõ dare, sed negare, beneficiũ est. Æstimabimus itaq; vtilitatem potius, quam voluntatem petentiũ. Sæpe enim noxia concupiscimus, nec despicimus, pernicioſa sint, licèt: quia iudiciũ interpellat affectus. Sed cum subsidit cupiditas, cum impetus ille flagrantis animi, qui cõsilia fugat, cecidit; detestamur pernitiosos malorum munerum auctores. Vt frigidam ægris negamus: & lugentibus ac sibi iratis ferrum, aut amantibus quicquid contra se vsuros ardor petit: sic ea, quæ nocitura sunt, impensè & submiſè, nonnunquam etiam miserabiliter rogantibus perseuerabimus non dare.* Item in eodem capite: *Exorari in perniciem rogantium sæua bonitas est. Quemadmodum pulcherrimum opus est, etiam inuitos nolentesque seruare: ita rogantibus pestifera largiri, blandum & affabile odium est. Beneficium demus, quod vsu magis ac magis placeat, quod nunquam in malum vertat. Pecuniam non dabo, quam adultera sciam dari, ne in societatem turpis facti, aut consilii veniam.* Idem testatur Cicero lib. 1. Offic. sic scribens: *Liberalitate vtamur, quæ prosit amicis, nemini noceat. Nihil enim liberale, quod non est iustũ.* Item, Augustin. in serm. Domini in monte, cum inquit: *Dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat: & cum negaueris quod petit, iudicanda est iustitia, & non, cum in-*

2

3.

anem dimittas; & aliquando melius aliquid dabis, etiam cum iniuſtè petentem correxeris.

17 *An homo poſſit eſſe liberalis erga ſeipſum?*

Protheſ. neg. STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt 1, quia
Ratio liberalitas eſt virtus κοινωνικὴ, per quam homo
1 aliis benefacit. 2, quia nemo ſibi ſua bona com-
2. municare poteſt, niſi impropriè, vt cum homo de ſuis bonis ſibi prodeſt. Hinc Seneca libr. 5. de beneficiis: *Sicut non eſt liberalis, qui ſibi donat; nec clemens, qui ſibi ignoſcit; nec miſericors, qui malis ſuis tangitur, ſed qui aliis: ita etiam nemo ſibi ipſi beneficium dat, ſed naturæ ſuæ paret, quæ monet refugienda eſſe nociua, & appetenda proficua.*

18 *An liberalis ſit, qui beneficium accipit?*

Sentent. neg. defenditur. CIcero *li. 1. Offic.* duo facit genera liberalitatis, vnum dandi beneficium, alterum reddendi. Et in eare imitatus eſt Ariſtotelem, qui *in libris moralibus* paſſim docet, liberalitatem in dando & accipiendo occupari: Sed hæc opinio *ſupra Qu.* 2. fuit refutata. Liberalitas enim non in accipiendo, ſed in dando conſiſtit. Ideoque nec liberalis eſt, qui accipit, ſed qui dat beneficium. Neque
Obiectioni occurritur. obſtat quod dare & accipere ita ſunt connexa, vt vnum ſine altero conſiſtere nequeat. Liberalis enim proprium eſt dare; ſicut beneficiarii accipere. Itaque nemo, qui accipit beneficium, poteſt dici liberalis; niſi beneficiarius etiam ſit dicendus liberalis: quo nihil abſurdius cogitari poteſt.

19 *An pauper poſſit eſſe liberalis?*

Sententia affirm. defenditur. CVm liberalis ille dicatur, qui alteri de ſuis bonis communicat: Pauper autem nihil, aut parum

parum bonorum propriorum habeat: videtur nō posse dici liberalis. Nihilominus contrarium videtur statuendum esse. Nam primum pauper potest esse officiosus, hoc est, suis officiis aliis inseruire & gratificari. Deinde licèt eo modo, quo diuites, non possit esse munificus: tamen cum liberalitas secundum facultates sit exercenda, eaque non ex quantitate eius, quod datur; sed ex animo & affectu dantis sit æstimanda: videtur etiam pauper posse esse munificus, si animum beneuolum & promptum largiendi habeat; etiamsi aut nihil, aut parum possit aliis largiri.

20 *An liberalis possit euadere diues?*

ARistoteles *lib. 4. Ethic. Nic. c. 2.* docet difficile esse, vt liberalis ditescat; propterea, quod non sit λαπτικὸς neque φυλακτικὸς, sed δοτικὸς, hoc est, *non ad accipiendum neque custodiendum, sed largiendum propensus*: & pecuniam non propter se magni faciat, sed dationis gratia. Sed hęc sentētia non simpliciter videtur esse approbanda. Rationes sunt: 1, quia non pugnat cum liberalitate vel moderatum studium acquirēdi honestis mediis diuitias; vel parsimonia, per quam diuitiæ acquisitæ conseruantur. 2, quia liberalis debet aliis benefacere secundum facultates suas, & per consequēs, sine detrimento rei familiaris. 3, quia quicunque largiendo seipsum redigit ad inopiam, is non est liberalis, sed prodigus. 4. quia historia & experientia testatur, multos per benedictionem diuinam euasisse diuites, qui tamen erga alios fuerint benefici & liberales. Proinde etiam probari non potest, quod Aristoteles in eodem citato

Sententia Arist. exponitur & refutatur.

Ratio
1
2
3
4.

loco asserit, liberalis esse, ita superare modum in dando, vt sibi pauciora relinquat, suique rationem non habeat.

21 *An, qui diuitias suo labore pepererunt, sint liberaliores iis, qui ab aliis partas acceperunt vel donatione, vel hæreditate?*

Pro sententia neg. SEntentiam negãtem defendit Aristoteles *lib. 4. Ethicor. Nicomach. cap. 2.* Rationes sunt: 1,

Ratio 1 quia omnes magis amant sua ipsorũ opera, quàm aliena, vt testatur exemplum parentum & poëtarum. Ergo etiam diuitias suo labore partas magis amant, quàm alieno: & per consequens, minus sunt propensi ad largiendum de illis, quàm de

2. his. 2, quia, qui diuitias suo labore pepererunt, magis experti sunt indigentiæ molestiam, quàm illi, qui diuitias alieno labore partas acceperunt. Ideoque etiam in iis communicandis minus sunt largi.

22 *An honestius sit dare, quàm accipere beneficium?*

Pro thesi affirmat. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1,

Ratio quia τὴς ἕξεως μᾶλλον τὸ δοῦ ποιεῖν, ἢ τὸ δοῦ πάσχειν. *virtutis est magis benè facere, quam benè pati*, vt ait Aristoteles *lib. 4. Ethicorum Nicomach. cap. 1.* 2, quia

1 dare beneficium proficiscitur ab habitu virtutis moralis, nimirum liberalitatis: accipere autem

2 beneficium non item. 3, quia nemo laudatur, quia accipit beneficium, sed quia dat beneficium. 4, quia etiam improbus potest accipere be-

3 neficium; non autem dare, nisi probus. 5, quia

4 quis nescius etiam potest accipere beneficium; nemo autem dare, nisi sciens.

5.

23 *An*

23 *An simpliciter turpe sit beneficiis vinci ab aliis?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia in omnibus non æquè perfectus est habitus liberalitatis. 2, quia omnibus æqualis benefaciendi facultas non suppetit. Idem testatur Seneca lib. 4. de beneficiis, cap. 5. *Non est turpe vinci beneficiis à parente. Quidni non sit turpe cum a nullo turpe sit? Quibusdam enim & pares & impares sumus: Pares animo, quem solum illi exigunt, quem nos solum promittimus: Impares fortunâ, quæ si cui obstitit, quo minus referret gratiam, non ideo illi tanquam victo erubescendum est. Non est turpe non assequi, dummodo sequaris.* Quæ postrema verba Senecæ diligenter sunt obseruanda. Indicant enim, non tantum quando non sit turpe beneficiis vinci ab aliis; sed etiam quando sit turpe, nimirum si non sequaris: hoc est, si animum & voluntatem benefaciendi non habeas.

Pro thesi negatiua.

Ratio 1

2.

24 *An magnificentia sit species liberalitatis, & per consequens, munificentia?*

ARistoteles in omnibus suis scriptis moralibus semper magnificentiam, quam vocat μεγαλοπρέπειαν, distinguit à liberalitate tanquam diuersam & distinctam speciem virtutis moralis. Et propterea etiam magnificentiam dicit versari circa sumptus magnos, & in res magnas collatos. Liberalitatem verò circa sumptus paruos & in res paruas collatos, aliasque actiones pecuniarias. Verum hæc sententia Aristotelis non videtur esse approbanda, ob sequentes rationes: 1, quia definitio liberalitatis supra tra-

Sententia Aristot. exponitur & refutatur.

2 dita competit etiam magnificentiæ. 2, quia obiectum liberalitatis latius patet, quàm magnificentiæ, idque suo ambitu comprehendit. Et hoc etiam ipse Aristoteles, sui quasi immemor, expressè docet *lib. 4 N. com. cap. 4.* cum ait liberalitatem extendi ad omnes actiones pecuniarias: magnificentiam verò ad sumptuarias duntaxat. 3, quia omnis magnificus est liberalis; sed non omnis liberalis est magnificus, vt idem Aristoteles asserit in citato loco. Ergò vi coniugatorum etiam omnis magnificentia est liberalitas; sed non omnis liberalitas est magnificentia. Quod verò eadem magnificentia sit species non officiositatis, sed munificentiæ, hoc inde patet primò, quod munificentia in genere diuitiarum vsum in dando consistentem moderatur: magnificentia verò tantum in specie, quatenus magni sumptus in res magnas conferuntur. Deinde, quod omnis magnificus est munificus, sed non omnis munificus est magnificus.

3. *Magnificentia species est munificentiæ.*

1

2.

25 *An pauper possit esse magnificus?*

Sententia Arist. exponitur, & secundùm quid improbatur.

ARistoteles thesin negantem defendit. Cum enim magnificus sit, qui magnos, hoc est, amplos & honoratos sumptus in res magnas, siue sacras, siue profanas decorè & concinnè facit: Pauper autem eiusmodi sumptus facere non possit; cum non habeat, vnde eos faciat: hinc concludit, pauperem non posse esse munificum. Sed distinguendum esse videtur inter eum, qui affectu tantum est magnificus, & qui effectu simul. Licèt enim pauper non possit effectu esse magnificus ob penuriam pecuniæ, sine quâ magni sumptus fieri non possunt: tamen quo minus affectu talis sit, nihil

nihil obstat & prohibet; præsertim si in aliqua dignitate sit constitutus.

26 *An hospitalitas sit species munificentiæ, & à magnificentia distincta?*

ETsi quidam reperiuntur, qui hospitalitatem malunt speciem officiositatis, quàm munificentiæ constituere: tamen contraria sententia videtur esse verior; propterea, quod hospitalitas per se non officiorum, sed diuitiarum communicationem moderatur. Licèt enim vnus & idem homo erga hospitem suum possit esse officiosus & munificus: tamen quatenus hospitalitatis actiones erga eum exercet, non est officiosus sed munificus: siquidem communicatio domus, victus & lecti comprehenditur sub diuitiarum communicatione. Vtrum autem hospitalitas sit distincta à magnificẽtia, de eo meritò dubitatur: cum Aristoteles *lib.* 4. *Nicomach. cap.* 5. expressè affirmet magnificentiã versari περὶ ξένων ὑποδοχὰς καὶ ἀποστολάς, hoc est, *circa hospitum receptiones & dimissiones.* Verum neque hac in parte videtur astipulandum esse Aristoteli. Rationes sunt: 1, quia priuati sumptus, quos quis domi facit in tractandis hospitibus tanquã priuatis personis, propriè ad magnificentiam non sunt referendi; sed tantum sumptus publici, iique magni & ampli & in res magnas impensi: quemadmodum etiam ipse Aristoteles ibidem testatur, cum ait magnificum non esse in se ipsum sumptuosum, sed εἰς τὰ κοινὰ, in res communes & publicas. 2, quia pauper etiam potest esse hospitalis erga alios: tametsi ipso effectu non possit esse magnificus, hoc est, neque in exci-

Thesis affir. defenditur.

Ratio 1

2.

piendis & tractandis, neque in dimittendis hospitibus magnos sumptus facere.

27 *Quæ vitia liberalitati opponantur?*

Oppositæ liberalitatis explicantur.

Liberalitati in genere opponitur in excessu prodigalitas, quæ Græcè dicitur ἀσωτία, quod hominē ita corrumpat vt neq; seipsum, neq; sua bona seruare possit: in defectu verò illiberalitas, Græcè ἀνελευθερία. Prodigus enim est, qui modum in dando excedit, hoc est, qui sua bona impendit, in quæ non decet, & plura, quam decet, & quando non decet: Illiberalis verò, qui in dando à modo deficit, hoc est, qui non impendit in quæ decet, & quantum decet, & quando decet. Quoniam autem liberalitas diuiditur in officiositatem & munificentiam: idcirco officiositati in defectu opponitur inofficiositas; in excessu nimia officiositas: Munificentię verò in defectu, immunificentia; in excessu, nimia largitas. Rursus quoniam munificentia diuiditur in magnificentiam & hospitalitatem: idcircò in excessu opponitur magnificentiæ insolens & inepta magnificentiæ affectatio ex honesti & decori ignorantia orta, quæ ab Aristotele dicitur modò ἀπειροκαλία, modò βαναυσία, à Latinis luxus; in defectu verò μικροπρέπεια, paruificentia, seu vt alii vertunt, indecora parsimonia seu sordes: Hospitalitati verò in defectu opponitur inhospitalitas, quæ Græcè dicitur ἀξενία: in excessu verò πολυξενία. Hinc Hesiodus *libro 1. operum & dierum* monet fratrem suum:

Lib. 1. magn. mor. cap. 24.

Μηδὲ πολύξεινον, μήτ' ἄξεινον κυλέεσθαι.
Ne multorum, neque nullorum hospes voceris.

28 *An*

28 *An illiberalitas differat ab auaritia?*

VVlgò à Peripateticis illiberalitas confunditur cum auaritia: tum quia omnis auarus sit illiberalis: tum quia illiberalis ab Aristotele definiatur, qui in dando deficit, & in accipiendo modum excedit. Sed hic error meritò est taxandus: 1, quia auaritia est vitiũ, quod homo erga seipsum potissimum exercet, & opponitur ἀυτεξουσίᾳ: Illiberalitas verò est vitiũ, quod erga alios potissimum exercetur; & opponitur liberalitati. 2, quia auaritia consistit in nimio appetitu & studio corradendi diuitias: illiberalitas verò in nihil aut parum dando siue communicando aliis de suis bonis siue internis, siue externis. Neque obstant rationes supra allatæ. Licèt enim auaritia & illiberalitas sint connexa, quorum vnum sine altero non reperiatur: tamen auaritia non est illiberalitas; neque illiberalitas est auaritia. Præterea falsum est, quod illiberalis in dando deficiat, & in accipiendo modum excedat. Est enim propriũ obiectum illiberalis, quemadmodum etiam illiberalitatis, non λῆψις, sed δόσις duntaxat tam officiorum, quàm diuitiarum.

Error Peripateticorum exponitur & taxatur.

Ratio 1

2.

Respondetur ad rationes Peripat.

29 *An illiberalitas deterior sit prodigalitate?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia illiberalitas magis pugnat cum liberalitate, quàm prodigalitas. 2, quia difficilius curari potest, quàm prodigalitas. Hæc enim partim progressu ætatis, partim inopiâ bonorum, quæ communicanda sunt, corrigi potest. Illa verò contrà cum ætate & maiore bonorum possessione crescit. 3, quia illiberalitas frequentior est, plurésque homines occupat, quàm prodiga-

Pro thesi affirm. Ratio 1

2

3

litas. 4, quia prodigus videtur magis ex ſtoliditate & imprudentia peccare, quàm ex deſtinata malitia Illiberalis verò contrà. 5, quia prodigus multis prodeſt: Illiberalis verò nemini, ne ſibi ipſi quidem. 6, quia omnis illiberalis eſt auarus, Nullus autem prodigus eſt auarus.

4 5 6.

10 *An prodigus ſit improbus?*

Sententia Ariſt. exponitur & refellitur.

VIdetur Ariſtoteli *libr. 4. Ethic. Nicom. cap. 3.* prodigus nō eſſe improbus: propterea, quod improbi & degeneris animi non ſit: ſed ſtulti modum dando excedere, non accipiendo: ſed hæc opinio non poteſt conſiſtere: 1, quia prodigalitas eſt vitium morale in exceſſu oppoſitum liberalitati. Ideoque cui illa ineſt, is eſt improbus. 2, quia prodigus interdum ſimul eſt intemperans, quatenus ſumptus immoderatos in fercula & rem veneream confert: interdum iniuſtus, quatenus accipit vnde non decet ea, quæ aliis vult largiri. 3, quia prodigi largitiones non ſunt honeſtæ, neque honeſtatis cauſa fiunt, quippe quæ ſine delectu exercentur, ſæpè etiam erga eos, quibus non eſt largiendum, cuiuſmodi ſunt hiſtriones, adulatores, aliarumque voluptatum corporis adminiſtri.

Ratio 1 2 3.

31 *An reges, cum modum excedunt in dando, appellandi ſint prodigi?*

Sententia Ariſt. exponitur & refutatur.

SEntentiam negantem defendit Ariſtoteles *lib. 4. Eth. Nic. cap. 2.* Ratio ipſius eſt, quia prodigus eſt, qui nimiis largitionibus rem ſuā familiarem abſumit. Regum autem copiæ & opes tantæ ſunt & tam multæ ac magnæ, vt non poſſint nimiis largitionibus & ſumptibus exhaurirri. Verum hæc Ariſtotelis ſententia videtur planè non

eſſe

esse concedenda, propter sequentes rationes: 1, quia prodigus definitur, qui modum in dando excedit, hoc est, qui dat, quibus non debet, quantum non debet, & quando non debet. Reges autem sæpè modum in dando excedunt; hoc est, dant, quibus, quantum & quando non debent. Ergo Reges possunt verè appellari prodigi. 2, quia reges etiam nimiis largitionibus possunt bona sua absumere aut saltem magnum iis detrimentum inferre: Idcircò rectè à veteribus dicitur prodigalitas vas magnum sine fundo, ingens arca sine sera. *Ratio* 1 2.

32 *An vitia magnificentiæ opposita sint homini ignominiosa?*

SEntentiam negãtem defendit Aristoteles *lib. 4. Ethic. Nicomach. cap. 6.* Dicit enim vitia illa homini nullum probrũ inferre: propterea quod neque proximo noxia sint, neque admodum deformia. Quæ sententia etsi concedi potest, si intelligatur de probro aliquo insigni & publico: tamen reiiciẽda est, si in genere intelligatur de qualibet turpitudine. Cum enim omne vitiũ sit turpe, necesse est, vt concedatur, vitia etiam magnificentiæ opposita esse turpia. *Sententia Arist. exponitur & limitatur.*

33 *An eleemosyna sit species liberalitatis?*

EX recentioribus quidam eleemosynam numerant inter species liberalitatis. Ideoque definiunt, quod sit virtus siue liberalitas specialis, quâ egentes & pauperes per commiserationem victu, amictu, & aliis rebus necessariis subleuamus. Sed contra hanc sententiam obiici potest, vocabulum Græcum ἐλεημοσύνη primum propriè significare *misericordiam*, hoc est, affectum, quo *Opinio aliorum exponitur & examinatur.*

contristamur propter res aduersas aliorum: Deinde per metonymiam efficiētis beneficiū, quod ex misericordia pauperi datur. In vtraq; autem significatione illi neque definitionem virtutis moralis, neque liberalitatis competere. Respondeti autem potest, misericordiam Græcè ἐλεημοσύνη interdum etiam vsurpari pro habitu morali pauperibus benefaciendi; & sic esse speciem liberalitatis, quæ ad munificentiam commodè referri possit, ita, vt non opus sit distinctè & separatim de ea agere.

34 *An cuilibet licitum sit de suis bonis alteri donare quantum velit?*

ETsi hæc quæstio è superioribus quæst. facilè decidi potest: tamen, vt eius veritas luculentius appareat, colophonis loco paucis eā attingere visum fuit. Est autem in illa thesis neg. vera.

Pro sententia neg. Ratio

1 Rationes sunt; 1, quia liberalitas moderatur bonorū cum aliis communicationē, ne vel modum excedat, vel ab eo deficiat. Illa aūt moderatione opus non esset, si cuilibet licitum esset de suis bonis alteri donare quantum velit. 2, quia largitiones debent fieri secundum facultates. Tunc autem fiunt secundum facultates, quando sine damno & iactura rei familiaris fiunt. 3, quia nemini licet esse prodigo. Prodigus autem est, qui modum in largiendo excedit, hoc est, qui non tantum dat, quibus, quando & vbi non debet dare; sed etiam qui plus dat, quàm debet, non habita ratione vel personæ, vel facultatum suarum.

Obiectio.

1 At contrà obiici potest: 1, liberalitati non posse certum præscribi terminum. 2, vnumquemque plenariam potestatem habere dispensandi & e-

largi-

largiendi sua bona pro libitu. Respondeo, vtrumque esse falsum. Nam primò sicut aliæ virtutes; ita etiam liberalitas certum habet modum certosq; fines, quos vltra citraq; nequit consistere rectum. Deinde, nemo habet potestatem sua bona largiendi, quibus, quando, vbi, quomodo, quãtum & cuius gratiâ non debet: quemadmodum patet è multis quæstionibus suprà tractatis. Interim libenter etiam fateor, homini liberali in dando & largiendo habendam esse rationem partim facultatum suarum, partim eius, cui vult donare vel largiri, indigentiæ & dignitatis. Quò enim is, qui dat plures vel pauciores possidet diuitias; eo etiam plus vel minus dare debet: Et quò magis vel minus indigus aut dignus est is, qui accipit; eò maior vel minor debet esse donatio & largitio.

Respondetur ad obiect.

Cautela.

CAPVT X.

De Iustitia.

PRÆCEPTA.

1 *Adhuc de Liberalitate: Sequitur Iustitia, quæ est virtus moralis, per quã homo promptus est ad suum cuiq; in distribuendis & cõmutandis rebus secundum iuris tenorem tribuendum.*

Iustitia definitur.

2 *Est q; vel distributiua vel cõmutatiua.*

Eadem diuiditur.

3 *Distributiua iustitia est, quæ in distributione rerum æqualitatem seruat pro dignitate & merito personarum.*

4 *Est q; vel attribuens, vel retribuens.*

5 *Attribuens iustitia est, quæ æqualiter cuiq; tam bona, quàm mala debita assignat.*

6 *Retribuens iustitia est, quæ æqualiter cuique tam bona, quàm mala debita compensat.*

7 *Est q; vel remunerans, vel puniens.*

8 *Remunerans iustitia est, quæ præmia debita æqualiter vnicuiq; distribuit.*

9 *Ei subiicitur gratitudo & mistħapodosia.*

Gratitudo quid sit.

10 *Gratitudo est iustitia remunerans, per quam homo se gratum erga benefactorem declarat.*

11 *Mistħapodosia est iustitia remunerans, per quam homo pro laboribus debitam mercedem aliis libenter persoluit.*

12 *Puniens iustitia est, quæ pœnas debitas æqualiter vnicuiq; distribuit.*

13 *Commutatiua iustitia est, quæ in commutatione rerum æqualitatem seruat sine respectu dignitatis & meriti personarum.*

14 *Ei subiicitur fidelitas & iustitia correctiua.*

Fidelitas quid sit.

15 *Fidelitas est iustitia, per quam homo pacta & promissa constanter sine fraude seruat.*

16 *Iustitia correctiua est, quæ inæqualitatem in rerum commutatione obortam corrigit & emendat.*

Iniustitia definitur.

17 *Iustitiæ opponitur iniustitia, quæ est vitium morale, per quod homo alienus est à tribuendo cuiq; quod suum est.*

18 *Est q; vel distributiua vel commutatiua.*

19 *Dis-*

19 *Distributiua iniustitia est, quæ in distributione rerum inæqualitatem seruat.*

20 *Commutatiua iniustitia est, quæ in commutatione rerum inæqualitatem seruat.*

21 *Ad vtramq; refertur pleonexia, meionexia & prosopolepsia.*

22 *Pleonexia est iniustitia, per quam homo de bonis externis sibi plus, quàm par est, assumit & vendicat.*

23 *Meionexia est iniustitia, per quam homo de malis externis minus sibi, quàm par est, assumit.*

24 *Prosopolepsia est iniustitia, per quam homo ad externas personarum qualitates ad rem nihil pertinentes respiciens, æqualibus dat inæqualia, aut inæqualibus æqualia.*

QVÆSTIONES.

1 *An iustitia sit species virtutis moralis?*

PRo thesi negante afferri posse videntur hæc argumenta: 1, quia iustitia ita latè patet, vt sub se omnes reliquas virtutes morales tanquam species comprehendat. Et hoc testatur vulgatus ille versiculus Theognidis ab Aristotele citatus *lib. 5. Ethic. Nic. cap. 1.* *Arg. prothes. neg.* 1

Ἐν δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι,
Iustitia in se le virtutes continet omnes.

Ergò cum omnis virtus moralis, specialiter sumpta, sit iustitia: sequitur hanc non posse statui speciem virtutis moralis. 2, quia iustitia est mater & 2
nutrix cæterarum virtutum, teste Polo Pythago-

rico, cuius verba in libro de iustitia à Lucano citãtur, hoc modo: Δοκεῖ μοι τὴν δικαιοσύνην μητέρα καὶ τιθήνην τῶν ἄλλων ἀρετῶν προσειπεῖν, *Videtur mihi iustitia inter homines mater & nutrix caeterarum virtutum appellanda.* Vbi etiam ad confirmandam hanc assertionem duas rationes subiicit: quarum prima est, quod sine iustitia neque temperans, neque fortis, neque prudens quisquam fieri potest: altera est, quod iustitia est ἁρμονία καὶ εἰρήνη τῆς ὅλης ψυχῆς μετ' εὐρυθμίας, *harmonia & pax totius animae cum concinnitate.* Et hoc etiam testatur Cicero *lib.* 1. *Officiorum*: cum ait sine iustitia nihil posse esse laudabile: nihilque honestum esse, quod iustitia vacat: item iustitiam sine prudentia multum posse; sine iustitia nihil valere prudentiam. 3, quia omnis species virtutis moralis seruat mediocritatem inter duo extrema vitia. Iustitia autem non mediocritatem seruat inter duo extrema vitia: cum ei sola iniustitia opponatur. 4, quia omnis species virtutis moralis affectum seu motum aliquem internum hominis moderatur: iustitia autem nullum affectum seu motum internum hominis moderatur. 5, quia omnis species virtutis moralis est proprium hominis bonum: Iustitia autem non est proprium hominis bonum. Est enim alienum bonum, vt docet Aristoteles *lib.* 5. *Ethicorum Nicomach. cap.* 3. cum ad alium referatur, eaque, quæ aliis sunt vtilia, agat. 6, quia iniustitia non est species vitii moralis, sed omnia vitia moralia tanquam genus comprehendit.

3 4 5 6.

Pro thesi affirmat.

Argum. At contrà pro thesi affirmante adducũtur hæc argumenta: 1, quia definitio generalis virtutis

1

mora-

moralis ei competit. 2, quia est habitus per se honestus & laudabilis. 3, quia omnes Philosophi, qui vnquã de virtutibus moralibus scripserunt, semper inter virtutes morales numerant iustitiam. Et propterea etiam Aristoteles *libr. 5. Ethicorum Nicomach. cap. 3.* inquit: κρατίστη δ' ἀρετῶν εἶναι δοκεῖ ἡ δικαιοσύνη, καὶ οὔθ' ἕσπερος, οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός, *praestantissima virtutum videtur esse iustitia, & neque Hesperus, neque lucifer ita admirabilis.* Et Cicero lib. 3. Officiorum ait: *Iustitia est virtus excellentissima & splendidissima, omnium virtutum regina ac domina.* 2 3.

Pro decisione quæstionis obseruandum est; 1, Iustitiam aliam esse vniuersalem, aliam particularem. Ac vniuersalem quidem iustitiam nihil aliud esse, quàm obedientiam quam homo erga leges ad se pertinentes præstat: seu habitum proæreticum, quo homo vitam & mores instituit secundum legum præscriptum: Ideoque à virtute morali in genere accepta realiter non differre; sed planè cum ea coincidere: ab aliisq; bonitatem seu rectitudinem moralem nuncupari. Particularem verò iustitiam esse, per quam homo suum cuiq; secundum iuris tenorẽ tribuit, & tam in distributione quã commutatione rerũ æqualitatẽ seruat. 2, Iniustitiã aliã esse vniuersalẽ, aliã particularem. Ac vniuersalẽ quidẽ iniustitiã esse, per quam homo inobedientẽ se præbet erga leges in genere: eamq; ἀπροπείαν ab Arist. dictam non differre realiter à vitio mor. generatim sumpto; sed planè cũ eo coincidere: Ideoq; ab aliis dici prauitatem seu malitiam moralem; Particularem verò iniustitiam esse, per quam homo suum cuique se- *Quæstio traditur per theorem.* 1 2

cundum iuris tenorem non tribuit; sed tam in distributione, quàm commutatione rerum inæqualitatem seruat.

Refutantur argumenta pro thesi negatiua allata.

Quod igitur ad argumenta attinet pro thesi negante allata, respondeo ad primum illud, esse verum de iustitia vniuersali, non particulari: Ideoque etiam non illam, sed hanc esse speciem virtutis moralis. Ad alterum respondeo, iustitiam
1 non particularem, sed vniuersalem dici matrem
2 & nutricem cæterarum virtutum; & quidem non
3 propriè, sed impropriè & καθαχρηστικῶς. Ad tertium respondeo, assumptionem esse falsam. Iustitia enim particularis non minus, ac reliquę virtutes, medium locum tenet inter duo extrema vitia; nempe excessum & defectum: siquidem æqualitatem obseruat inter plus & minus. Sed vtrumq; extremum vno iniustitiæ vocabulo comprehenditur. Est enim iniustitia, per quam homo de bonis & malis sibi aliisve plus vel minus, quàm par est, tribuit. Hinc etiam iustitia definitur à Peripateticis, teste Hierace *in lib. de iustitia* μεσότης πλεονεξίας καὶ μειονεξίας, *mediocritas inter pluris, minorisque habitionẽ*. Item, ἕξις καθ' ἣν πλεονεκτικοί τινες ἢ μειονεκτικοὶ ἴσμεν, *habitus, secundum quẽ quidam iusto plus, minus*
4 *q; sibi aßumunt*. Ad quartum respõdeo, assumptionẽ similiter esse falsam. Moderatur.n. iustitia particularis appetitum bonorum externorũ, & auersationem malorum externorum, nec non vo-
5 luptatem & dolorem inde orientem. Ad quintum respondeo, iustitiam ratione κτήσεως, hoc est, *possessionis*, esse proprium hominis bonum; ratione verò χρήσεως, id est, *vsus*, per quem exercetur erga alios, esse alienum bonum; nõ secus ac multas

alias

alias virtutes morales. Ad sextum respondeo, illud verum esse de iniustitia vniuersali, non autem de particulari: Ideoque etiam non illam, sed hanc esse speciem vitii moralis. 6.

2 An distributio iustitiæ in vniuersalem & particularem, sit generis in species?

Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia tantum est distinctio vocabuli æquiuoci in sua æquiuocata. 2, quia quæ sunt species eiusdem generis, illarum vna non includitur essentialiter in altera. Particularis autem iustitia essentialiter includitur in iustitia vniuersali. 3, quia iustitia vniuersalis nihil aliud est, quam virt. mor. generatim sumpta. Ideoque sicut virtus moralis & iustitia particularis nõ sunt species eiusdem generis proximi: Ita neque iustitia vniuersalis & particularis. Proinde errant illi, qui existimant, distributionem iustitiæ in vniuersalem & particularem esse diuisionem generis in species.

Prothesis negat. 1 2 3. *Error aliorũ taxatur.*

3 Quomodo iustitia particularis habeat se ad vniuersalem?

Sunt quidam, qui putant, iustitiam particularem habere se tãquam membrũ ad integrum. Et hoc probãt partim testimonio Arist. qui *lib. 5. Eth. Nic.* & alibi iustitiam vniuersalem vocat modò τελείαν ἀρετὴν, *perfectã virtutẽ*, modò ὅλην ἀρετὴν, *totam* seu *vniuersam virtutem*: particularem verò vocat μέρος ὅλης τῆς ἀρετῆς, partim totius virtutis, ratione: 1, quia iustitia vniuersalis est obediẽtia erga omnes leges; & sic virtutes omnes tãquam totum partes in se continet. 2, quia qui iustus est iustitiâ vniuersali, iustus etiã est iustitia particulari: nõ autem contra, qui iustus est iustitia particulari, sta-

Diuersa aliorum opiniones exponũtur. Prima opinio. Ratio 1 2.

Secunda opinio. tim etiam iustus est iustitia vniuersali. Alii verò sunt, qui existimãt, iustitiam particularem habere se ad vniuersalem tanquam speciem ad genus.

Ratio 1 Et hoc inde probant: 1, quia iustitia particularis est species virtutis moralis generatim sumptæ, quæ reipsa nõ differt à iustitia vniuersali, sed cum ea vnum & idem est. 2, quia qui iustus est iustitia particulari, etiam iustus est iustitia vniuersali: non autem contrà: siquidem genus latius patet quàm species. 3, quia absurdum est, statuere vnam aliquam virtutem è reliquis omnibus esse compositam tanquam integrum è suis membris. Cæterum ex his duabus opinionibus prior falsa est; posterior vera. Neque obstant argumenta pro priore opinione allata. Nam primum statuendum est, Aristotelem aut grauiter hallucinatum esse; aut iustitiam vniuersalem appellasse perfectam & totam virtutem: quia est genus omnium virtutum particularium: particularem verò partem totius virtutis, quia est species illius tanquam generis. Deinde falsa est definitio iustitiæ vniuersalis, quæ dicitur obedientia erga omnes leges. Cum enim nemo hominum in mundo reperiatur, qui omnibus legibus obediat, sequitur ex hac hypothesi in nullo homine iustitiam vniuersalem reperiri. Sed cõsequens hoc est absurdum. Ergò absurda quoque est hypothesis, ex qua infertur. Denique id quod loco secundæ rationis affertur, planè est falsum & contrarium verum. Quicunque enim iustus est iustitia vniuersali, is non statim est iustus iustitia particulari: qui autem iustus est iustitiâ particulari, is etiam iustus est iustitia vniuersali.

2 3

Posterior opinio probatur.

Respondetur ad argumenta pro priore opinione.

4 *An iustitia vniuersalis, & virtus moralis inter se differant?*

ARistoteles *lib. 5. Ethicor. Nicomach. cap. 3.* sub finem docet iustitiam vniuersalem eandem quidem esse cum virtute morali; sed eius essentiam non esse eandem; verum, quatenus habet respectum ad alium, esse iustitiam: quatenus verò absolutè est talis aliquis habitus, esse virtutē moralem. At hæc sententia Aristotelis videtur contradictionem implicare. Si enim iustitia vniuersalis planè eadem est cum virtute morali, non potest essentia ab ea differre. Siquidem illa, quæ reipsa sunt eadem, essentiam quoque & definitionem eandem habent: neque vnum ab altero, nisi accidentario quodam respectu differre potest: quemadmodum etiam sæpè idem à se ipso hoc modo differre solet. Statuendum igitur est, iustitiam vniuersalem & virtutem moralem inter se non realiter differre; sed tantum diuersis appellationibus.

Sententia Arist. exponitur & refellitur.

Propria sententia additur.

5 *Quid sit iustitia particularis?*

ARistoteles *lib. 5 Ethicorum Nicomach. cap. 1.* iustitiam definit ἕξιν, ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσὶ, & ἀφ' ἧς δικαιοπραγοῦσι, καὶ βούλονται τὰ δίκαια, hoc est, *habitum, quo ad iusta agenda prompti redduntur homines, & à quo iusta agunt & volunt.* Sed hæc definitio nimis est generalis: quippe quæ iustitiæ tā vniuersali, quàm particulari competat. In cap. autem 9. eiusd. lib. iustitiā definit, secundum quam iustus dicitur aptus ad cōsultè agendum id, quod iustum est, & ad ius tribuendum & sibi ad alium, & alii ad alium, non ita vt sibi plus eius, quod optabile est minus proximo; & contra sibi minus,

Definitiones diuersæ Aristotelis recēsentur & examinātur.

1

2

eius quod noxium est, plus proximo; sed æquale secundum proportionem tribuat. Similiter verò alii ad alium. Cuius definitionis sensus est, iustitiam esse virtutem moralē, per quam homo promptus redditur ad tribuendum æqualiter vnicuique quod suum est. In quo sensu etiam idem Philosophus 3. *libr. 1. Rhetor. cap. 9.* iustitiam dicit esse ἕξιν τοιαύτην, δι' ἣν τὰ αὑτῶν ἕκαστοι ἔχουσι, καὶ ὡς ὁ νόμος, *virtutem per quam, quæ sua sunt, singuli habent, & vt lex exigit.*

Definitiones aliorum traduntur & examinantur.

Porrò, præter has Aristotelis definitiones, aliæ passim apud Auctores reperiuntur, dum iustitia particularis modò dicitur habitus æqualitatem 1 cuique tribuendi; modò constans & perpetua voluntas 2 suum ius cuique tribuens: modò probitas 3. suum cuique ex debito tribuens. Quæ definitiones in sensu planè coincidunt cum Aristotelica: nisi quod prima genus remotum exprimit, non proximum: altera verò falsum genus assignat. Voluntas enim siue sumatur pro facultate volendi, siue pro actu volendi, siue pro re volita, non potest esse genus iustitiæ; cum hæc sit species virtutis moralis, & ex consequenti habitus; illa verò non.

6 *Quod sit obiectum iustitiæ particularis?*

Diuersa aliorum opiniones recēsentur & diiudicantur.

DE hac quæst. diuersę reperiuntur Philosoph. opiniones. Alii enim statuunt obiectum iustitiæ particularis esse res ciuiles, quatenus alteri 1 ab altero debentur: Alii personas & res, quatenus 2 in ciuili societate spectantur, & ex earum mutua comparatione omnes actiones, omniaque dicta, facta scriptave ciuilia atque legitima oriuntur. Alii leges ciuiles seu iura ciuilia: Alii actiones 3 4

ciui-

ciuiles, quatenus lege definiuntur, hoc est, vel iubentur & prohibentur: Alii iustum & iniustum, 5
æquum & iniquum: Alii bona & mala externa, 6
quatenus ad ciuilem hominum societatem referuntur: Alii appetitionem & auersationem eiusmodi bonorum, & malorum externorum voluptatemque & dolorem inde resultantem: Alii denique distributionem & commutationem rerum ciuilium. 7.
Cæterum hæ opiniones omnes videntur inter se non repugnare, sed in sano sensu optimè conuenire. In primis verò posteriores quatuor ipse Aristoteles *lib. 5. Eth. Nic.* passim innuit. Nam *cap. 2.* ait iniustum versari περὶ τὰ ἀγαθὰ, ἃ πάντως, ἀλλὰ περὶ ὅσα εὐτυχία καὶ ἀτυχία, ἃ ἐστὶ μὲν ἁπλῶς αἰεὶ ἀγαθὰ, ἀλλ' οὐκ αἰεὶ, hoc est, *circa bona non omnia, sed circa quæ secunda & aduersa fortuna versatur, quæ quidem absolutè semper sunt bona: sed alicui non semper.* Itē, iniustum non semper plus appetere seu eligere, sed etiam minus in iis, quæ absolutè sunt mala. Idem *cap. 4.* inquit iniustitiam particularem versari circa honorem aut diuitias, aut salutem, aut si quo vno nomine hęc omnia complecti possimus: item propter voluptatem suscipi, quæ è lucro proficiscitur. Quod autem de iniustitia asserit ratione obiecti, idem etiam de iustitia est intelligendum: cum virtus & vitium circa idem obiectū versentur. Idem *cap. 5.* asserit, iustitiam aliam versari in distributione vel honoris, vel diuitiarum, vel aliarum rerum, quæ inter eos diuidi possunt, qui eiusdem Reipublicæ communione inter se sunt coniuncti: aliam verò in contractibus. Idem etiam passim in eodem libro τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον explicat, circa quod iustitia vel iniustitia ver-

satur, vt ex sequentibus quæstionibus melius innoteſcet.

7 *Quid ſit ius, & quotuplex: & quomodo à lege differat?*

Ius aliud verum, aliud falſum.

CVm omnis iuſtitia tã vniuerſalis, quàm particularis circa ius verſetur, non abſque re erit paucis hoc loco attingere, quid ſit ius & quotuplex. Ac vt hoc commodius fiat, diſtinguendum eſt ante omnia inter ius verum & falſum ſeu adulterinum: quemadmodum facit Ariſtoteles *lib. 1. Rhetor. cap.* 15. vbi docet Iudicis officium eſſe diſcernere, τὸ κίβδηλον δίκαιον καὶ τὸ ἀληθές: Definitur autem vulgò ius, quod vel natura, vel ciuitas, vel populus, vel gens, vel conſuetudo iubet. Quę definitio videtur non eſſe recipienda: tum, quia non ſemper verum ius eſt, quod vel ciuitas, vel populus, vel gens, vel conſuetudo iubet; ſed ſæpè ius falſum: tum, quia non facit mentionem Dei & rectæ rationis, à quibus tamen principiis omne ius pendet. Itaque rectius facere videntur illi, qui ius verum, de quo quæſtio propoſita eſt intelligenda, definiunt, vel iuſſum Dei, vel iuſſum rectę rationis, hoc eſt, id quod Deus vel recta ratio iubet; vel iuſſum legis, quatenus ſcilicet hæc Dei voluntati & rectæ rationi eſt conſentanea. Porrò in diſtribuendo iure diſcors eſt Philoſophorum opinio.

Variæ iuris diſtributiones recenſentur.

Ariſtoteles *libr. 5. Ethicorum Nicomach. cap.* 2, 3, & 5. ius quod vocat τὸ δίκαιον, diſtribuit in τὸ νόμιμον καὶ τὸ ἴσον, hoc eſt, *in legitimum & æquale.* Legitimum vocat, quod lex ſcripta definit: Æquale verò, quod medium eſt inter plus & minus. Idem *cap.* 10. ius diuidit in politicum & œconomicum.

1

2

Politi-

Politicum vocat, quod inter ciues obseruatur ad salutem Reipublicæ: idque diuidit in naturale & legitimum. Naturale vocat, quod vbique gentium idem valet, etiamsi lege scripta non sit definitum. Legitimum vocat, quod lege scriptâ est definitum. Oeconomicum vocat, quod ad salutem familiæ est constitutum & ordinatum. Idem 3
libro 1. *Rhetoricorum, c. p.* 10. *&* 13. dum legem diuidit in communem & propriam, simul innuit ius aliud esse commune, quod lex communis iubet; aliud proprium, quod lex propria iubet. Vocat autem legem communem, quæ ex naturæ, hoc est, rectæ rationis instinctu vbique locorum apud omnes gentes viget: Vnde etiam dicitur lex naturalis. Propriam verò vocat, quæ ex pacto & consensu in certo populo viget, siue sit scripta, siue non scripta. Alii verò ius diuidunt in ius naturale, ius gentium & ciuile. Ac ius quidem naturale vocant, quod natura docuit omnia animalia: Ius verò gentium, quod recta ratio omnibus hominibus obseruandum præcipit: Ius ciuile, quod recta ratio inter ciues eiusdem Reipublicæ præcipit. Hinc Petrus Gregorius *libr.* 1. *de Republica, cap.* 3. inquit: *Quæ bruta faciunt incitatione naturali, ea si homines ratione faciant, iure naturali facere dicuntur. Quæ bruta non faciunt, ea, si homines omnes ratione faciant, iure gentium faciunt.* Alii ius diuidunt in naturale & positiuum. Et hoc rursus in diuinum & humanum, seu politicum: & hoc vicissim in publicum & priuatum. 4 5

Superiores distributiones examinantur.

Atque hæc postrema diuisio videtur omnium esse optima: & cum ea etiam congruit tertia Ari-

ſtotelica, quâ ius aliud dicitur commune, aliud proprium. Per commune enim intelligitur, ius naturale: per proprium, poſitiuum. Quod verò ad reliquas diuiſiones attinet, illæ omnes videntur eſſe vitioſæ. Aut enim partes habent inter ſe non diſſentientes, vt prima, in qua ius æquale diſtinguitur à legitimo: cum tamen ſub eo tanquam ſpecies ſub genere comprehendatur: aut partem habent toti repugnantem, vel toto latiorem, vt ſecunda; in qua ius naturale & legitimum ſubiicitur iuri politico: cum tamen prius toti repugnet, niſi ſumatur pro iure publico in genere ſumpto: poſterius eo ſit latius: aut denique pro partibus habent diuerſis quæ non ſunt diuerſæ, vt quarta, in qua ius naturale & ius gentium inter ſe diſtinguuntur: cum tamen propriè ſint vnum & idem: neque ius naturale beſtiis accommodari niſi per metaphoram poſſit. Hinc etiam Petrus Gregorius in citato loco ait ius gentiũ dici ipſum ius naturale, hominum item bonum, & æquum, naturalem rationem, legem naturalem, adeoque Naturam ipſam.

Quomodo ius à lege differat.

Reſtat nunc igitur vt quomodo ius à lege differat, breuiter doceamus. Etſi enim multi ſunt, qui putant ius à lege differre, tanquam genus à ſpecie: tamen hæc ſententia videtur non eſſe approbanda, niſi vocabulum, legis, tropicè vſurpetur pro iure legitimo: & hoc rurſus pro iure tantum ſcripto. Lex enim, quæ nomen ſuum habet vel à ligando, quod obliget eum cui fertur, vel à legendo, quod publicè legatur, propriè eſt ſententia præcipiens ea quæ ſunt faciẽda, prohibensque contraria. Ideoque à Thoma Aquinate dici-

Lex propriè quid ſit.

tur

tur regula & mensura actuum agendorum vel omittendorum. Ius verò propriè est id, quod lege iubetur & præcipitur: quemadmodum testatur Aristoteles *lib.* 1. *magn. moral. cap.* 34 cum inquit, δίκαιά ἐστιν ἃ ὁ νόμος κελεύει ποιεῖν, *Iusta*, seu *iura sunt*, *quæ lex iubet facere*. Ideoque inter se differunt lex & ius partim vt causa efficiens & effectum, partim tanquam adiunctum occupatum & subiectum occupans.

8 *An iustitia particularis circa quodlibet ius versetur?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia ius est quicquid lex iubet siue naturalis, siue positiua, siue diuina, siue humana. Non autem circa quodlibet, quod lex iubet iustitia particularis versatur. Ergò neque circa quodlibet ius. 2, quia iustitia particularis tantum versatur circa τὸ ἴσον, hoc est, *circa ius, quod æquale est, & medium inter plus & minus*, vt testatur Aristoteles *lib.* 5. *Ethic. Nicomach. cap.* 6. 3, quia iniustitia particularis non versatur περὶ παν ἄδικον, *circa quodlibet iniustum*; sed tantum περὶ τὸ ἄνισον, *circa inæquale, quod est vel plus vel minus*. Ergò cum illa opponatur iustitiæ particulari: sequitur hanc quoque non περὶ παν τὸ δίκαιον versari; sed tantum περὶ τὸ ἴσον.

Pro thesi negatiua
Ratio 1
2
3.

9 *An iustitia particularis recte diuidatur in distributiuam & commutatiuam?*

VVlgata & in scholis recepta est diuisio illa iustitiæ particularis in distributiuam & commutatiuam. Eaque sumpta videtur ex obiecto iustitiæ particularis. Hæc enim non tantum in distributione & commutatione rerum moderandâ

Sententia affirm. defenditur.

versatur; sed etiam circa ius ipsum in distributione & commutatione eiusmodi obseruandum: 1, Quod propterea ab Aristotele *libr. 5. Ethicorum Nicomach. cap. 5. & 7.* duplex constituitur; vnum τὸ διανεμητικὸν δικαιον, *ius distributiuum*, quod ἐν τοῖς διανομαῖς, hoc est, *distributionibus vel honoris, vel pecuniarum, vel aliarum rerum quæ inter ciues eiusdem Reipublicæ diuidi possunt*, obseruatur; alterum τὸ διορθωτικὸν δικαιον, *ius correctiuum, quod in contractibus obseruatur, medium quæ est inter ζημίαν καὶ κέρδος*; ab aliisque generaliori vocabulo dicitur ius commutatiuum, quod circa commutationes rerum occupatur. Hinc igitur factum est, vt iustitia quoque particularis in duas species diuidatur, quarum vna dicatur, iustitia διανεμητικὴ, *distributiua*, altera, συναλλακτικὴ, *commutatiua*.

Aliorum obiectiones recensentur.

Sed hęc diuisio ab aliis impugnatur his argumentis: 1, quod angustior sit suo diuiso: cũ non quamlibet speciẽ iustitiæ particularis suo ambitu comprehendat, v. g. veracitatem, gratitudinẽ & innocentiam. 2, quod omnis iustitia sit distributiua; cum sit virtus moralis suum cuique tribuens: Ideoque distributiua iustitia non sit species iustitiæ, sed ipsa iustitia.

1

2.

Respondetur ad obiect.

Responderi autem potest pro defensione illius, in vtroq; argumento committi fallaciam petitionis principii, quatenus falsum argumentum pro vero sumitur. Nam primum illa distributio non est angustior suo diuiso, sed ei adęquata: cum gratitudo ad iustitiam distributiuam referatur: veracitas verò & innocentia non sint species iustitiæ particularis; sed illa quidem sit species synceritatis; hæc verò sit adiunctum generale partim virtu-

virtutis moralis, partim eius, qui virtute præditus est. Omnis enim virtus moralis est innocens, hoc est, neque suo possessori, neq; aliis nocet: quemadmodum omnis vir probus est innocens, hoc est, neque sibi, neque aliis consultò nocet. Deinde licèt omnis iustitia sit virtus moralis suum cuique tribuens; tamen non omnis dicitur distributiua, quatenus per distributiuam iustitiam intelligitur ea, quæ distributionem rerum moderatur & iustitiæ commutatiuę opponitur, quæ commutationem rerum moderatur.

10 *An iustitia particularis mediocritatem obseruet, & qualis illa sit?*

IN prima parte quæstionis statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia omnis virtus moralis obseruat mediocritatem. Iustitia autem est virtus moralis. 2, quia iustitia particularis obseruat æqualitatem. Æqualitas autem omnis est mediocritas; non secus ac omne æquale est medium inter plus & minus. *Pro thesi affirmat.* *Ratio* 1 2.

Porrò videtur mediocritas, quam iustitia particularis obseruat, cõsistere in proportione. Vt enim omnis proportio ad minimũ cõstat quatuor terminis, eandẽ æqualitatem inter se habentibus: ita quoq; ius, quo vel distribuim⁹ vel cõmutamus aliqua. Nam res, quæ vel distribuuntur vel commutantur, ad minimũ duas esse oportet, & ad minimum duas personas, quæ res aliquas inter se vel distribuunt, vel commutant; & in illis etiam esse quandam æqualitatem. Aliter enim cum æquales inæqualia, aut inæquales æqualia accipiunt, querelæ statim oriuntur & pugnæ. Cum autem pro-

portio alia sit coniuncta, alia disiuncta; sciendum est, iustitiam particularē in distributione obseruare proportionem disiunctam: Vt enim in hac quatuor termini expressè ponuntur: ita etiam in distributione quatuor deprehendes. Oportet enim ad minimum duas personas esse, inter quas aliquid distribuitur, ac inde rei distribuendę duas partes fieri. In cōmutatione verò obseruare proportionem, modò disiunctam, modò coniunctam. Vt enim in proportione cōiuncta tres tantum termini expressè ponuntur, quorum medius bis consideratur ac duobus valet: ita sæpè duo contrahentes de vnâ tantum re litigant. v.g. de vno deposito, de vno limite, aut etiam de vno iure: quod cum medium sit inter lucrū & damnum, ad vtrumque illorum comparatum coniunctam semper proportionem efficit.

11 *Quomodo iustitia distributiua & commutatiua inter se differant?*

De discrimine iustitiæ distributiuæ & commutatiuæ.

VTile & necessarium est scire, quomodo iustitia distributiua & commutatiua inter se differant. Itaque de differentiis vtriusque paucis est agendum. Ac primum quidem iustitia distributiua versatur in distributionibus rerum, nempe,
1 bonorum & malorum; cuiusmodi sunt præmia & pœnæ, cōmoda vel incommoda seu onera: Com-
2 mutatiua verò in commutationibus rerum. Deinde iustitia distributiua versatur circa τὸ δίκαιον διανεμητικὸν, hoc est, *circa ius distributiuum*, quod in distributionibus rerum obseruatur: Commutatiua verò circa τὸ δίκαιον διορθωτικὸν hoc est, *circa ius correctiuum*, seu potius, *commutatiuum*, quod in com-

commutationibus rerum obseruatur. Tertiò iu- 3
stitia distributiua obseruat æqualitatem secundum proportionem Geometricam: commutatiua verò æqualitatem secundum proportionem Arithmeticam. Sicut enim in proportione geometrica non spectatur distantiarum in terminis, sed rationum æqualitas: Ita iustitia distributiua in distributione rerũ non spectat partium distribuendarum æqualitatem; sed rationem & proportionem, quàm ad ipsas personas habent, quibus fit distributio, quarum singulis magnitudine respondent, vt quantò quisq; dignior fuerit, tantò maiorem rei distribuendæ partem accipiat. Rursus, sicut in proportione arithmetica, non rationum, sed distantiarum notatur æqualitas; & medium eius tot numeris superatur ab altero extremo, quot numeris alterum superat: ita quoque iustitia commutatiua in commutatione rerum non spectat personarum contrahentium, sed rerum commutandarum æqualitatem. Quar- 4.
tò iustitia distributiua magis versatur circa res publicas quàm priuatas. Commutatiua verò contrà.

Quomodo iusta distributio fiat.

Porrò, ad melius intelligendam hanc veritatem, notandum est: 1, iustam distributionem fieri, si res distribuẽda ita diuidatur, vt quam rationem habent inter se personæ, quibus fit distributio, eandem habeant rei distribuẽdæ partes, vt si ex duobus alter duplo præstet alteri, altera quoque pars duplo sit maior. Hinc enim quam rationem præstantior ad maiorem partem habuerit, eandem quoque inferior habebit ad partem minorem, ac suâ quisque deprehendetur æquè dignus. Ac inde distributione facta quisq; cum sua parte ean-

dem habebit proportionem ad alteram, quam ante distributionem & ipsi inter se & partes rei distribuendæ habuerunt. Et sic eueniet, quod Aristoteles dicit, nempe, in geometrica proportione fieri, vt eadem sit ratio totius ad totum, quæ partium inter se esse deprehenditur. 2, Iustã commutationem rerum fieri, si sine respectu dignitatis & meritorum personarum obseruetur ipsa rerum commutandarum æqualitas, quæ inter plus & minus, seu, vt Aristoteles loquitur, inter lucrũ & damnum, medium quoddam est proportione arithmetica constans. 3, Iustitiam particularem secundum recentiores, præter proportionem Arithmeticam & Geometricam, obseruare etiam proportionem harmonicam, in quâ maior terminus ad minimũ ita sese habet, vt differentia maximi supra medium ad differẽtiam medii supra minimum. Sed hanc ex Arithmetica & Geometrica coalescere: cum & differentiæ in ea & rationis similitudo consideretur. 4, Iustitiam commutatiuam non tantum in contractibus vsum habere; sed vbicunque est rerum æstimatio & pensitatio; vt in iudiciis, in quibus non modò damni & lucri, sed etiam delicti & pœnæ fit pensitatio.

Quomodo iusta commutatio fiat.

Proportio harmonica vnde constet.

12 *An iustitia tam distributiua quam commutatiua in species diuidi possit, & quæ illæ sint?*

Thesis affir. defenditur.

ETsi pauci hactenus conati sunt certas differentias inuestigare, quibus iustitia tam distributiua quàm commutatiua in species commodè diuidi possit: tamen, cum vtraque latissimè pateat, non dubium est, quin vtriusque certæ species constitui possint. Quæ autem illæ sint, nondum clarè & perfectè constat. Quoniam verò officium iusti-

iustitiæ distributiuæ est, partim attribuere, partim retribuere vnicuique æqualiter tam bona, quàm mala: Idcircò à me diuisa fuit primum in attribuentem, & retribuentem: Deinde iustitia retribuens in remunerantem & punientem, seu vindicatiuam: quarum priori subieci gratitudinem & misthapodosiam, quatenus vocabulum illud metonymicè vsurpatur. Rursus, quoniam iustitię commutatiuæ officium est, non tantum in genere obseruare æqualitatem secundum proportionem geometricam in rerum commutationibus: sed etiam in specie partim seruare pacta & promissa; partim corrigere & emendare inæqualitatem in rerum commutationibus: idcircò huic subieci fidelitatem & iustitiam correctiuam.

13 *An gratitudo sit species iustitiæ distributiuæ, & quomodo à gratia differat?*

OMnes quidem Philosophi sentiunt gratitudinem esse virtutem moralem: sed vtrum sit species peculiaris virtutis moralis, an verò ad aliquam eius speciem referri debeat, de eo est controuersia. Plerique tamen statuunt gratitudinem esse speciem iustitiæ, & quidem distributiuæ. Rationes sunt: 1, quia ei non tantum definitio iustitiæ in genere, sed etiam distributiuæ competit 2, quia definitur modò virtus specialis gratiam benefactori reddęs: modò virtus beneficii memor, cum studio saltem referendi; modò virtus, quâ declaramus nos gratos erga benefactores: modò virtus acceptum beneficium agnoscens, eiusque memoriam conseruans: modò virtus studens beneficia compensare: modò iustitia retribuens

Pro thesi affirm. Ratio 1

2. *Definitiones diuersæ gratitudinis recensentur.*

benè de nobis merito iucundam accepti beneficii memoriam: modò iustitia iucundam accepti beneficii memoriam conseruans: modò iustitia distributiua, quâ agnoscimus beneficia nobis præstita, eorumque memoriam conseruamus, & vtrumque sicut animo; ita & verbis & gestibus, tum etiam factis, si possumus, testamur, atque adeo beneficium beneficio compensamus. 3. 3, quia ingratitudo est species iniustitiæ distributiuæ; cum sit vitium morale, per quod homo gratiam benefactori debitam non retribuit; sed beneficia vel obliuiscitur, vel dissimulat, vel nō reddit, cum debet & potest. Differt autē gratitudo à gratia. 1, quod gratia modò sumitur pro fauore, modò pro benignitate, modò pro eo, quod benefactori retribuitur, quod est vel animus gratus beneficiique memor, vel signum animi grati siue verbale, siue reale. Gratitudo verò tantum sumitur pro virtute morali, seu iustitia, per quam homo propensus est ad gratiam suo benefactori reddēdam. 2. 2, quod gratitudo moderetur gratiam & ad illam benefactori retribuendam hominem excitat: Et sic ad gratiam sese habet, partim tanquam adiunctum occupatum ad subiectum occupans, partim tanquam causa efficiens ad effectum.

Quomodo gratitudo à gratia differat. 1

14 *An gratitudo rectè statuatur alia animi, alia facti?*

Opinio aliorum exponitur & reiicitur.

SVnt quidam qui hanc diuisionem improbant, & reiiciunt, propterea, quod gratitudo sit vnicus & simplex habitus, qui in diuersas species diuidi nequeat. Sed non video cur in sano sensu nō admitti possit. Necesse enim est, gratitudinem certis aliquibus signis declarari. Illa autem signa alia

alia sunt animi, alia facti. Signa animi sunt, quibus declaramus nos beneficiorum acceptorum meminisse, & ad illa recompensanda animum promptum habere; cuiusmodi sunt gratiarum actio, vota, precesque pro salute benefactoris concepta, frequens beneficiorum commemoratio & prędicatio, officiorum oblatio, compensationis promissio. Signa facti sunt quælibet dona & officia, quæ ei, à quo beneficia accepimus, vicissim in recompensationem, quantum fieri potest, præstamus. Proinde ratione signorum, quibus gratitudo declaratur, videtur non malè gratitudo alia animi, alia facti statui. Et hoc etiã innuunt Grammatici, dum distinguunt inter habere, agere & referre gratiam. *Habere enim gratiam* illis est, *animum memorem & gratum habere. Agere gratias,* est *verbis ostendere nos gratos & beneficii accepti memores esse: Referre gratiam* est *factis beneficium compensare.* Hinc etiam nonnulli partes gratitudinis quatuor constituunt; 1, agnitionem beneficii accepti. 2, memoriam eiusdem beneficii. 3, cõtestationem beneficii agniti & memoria conseruati. 4, compensationem, si ea sit in nostra potestate.

15 *An gratitudo possit sine beneficiorum recompensatione consistere?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia ad gratitudinis habitum satis est, si quis animum memorem gratumque habeat, voluntatemque promptam recompensandi beneficii; etiamsi actualis beneficiorum recompensatio non sequatur. Vnde rectè dici solet, χαρίτων θυμὸς ἄριστος. 2, quia externa beneficiorũ recompensatio sæpè

Pro thesi affirm.

Ratio

1

2

est impossibilis, vel ob meritorũ magnitudinem, vel ob officiorum & facultatum tenuitatem. Vnde Aristoteles *libr. 9. Ethicorum Nicomach. cap. 1.* Τοῖς φιλοσοφίας κοινωνήσασι τιμὴ ἰσόρροπος οὐκ ἂν γένοιτο, ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν, καθάπερ καὶ πρὸς θεοὺς καὶ πρὸς γονεῖς τὸ ἐνδεχόμενον. *Philosophiæ magistris pretium æquivalens reddi non potest; sed fortassis satis est, si iis, quemadmodum Diis & parentibus reddatur id, quod reddi potest.*

3. 3, quia animus memor & referendæ gratiæ studiosus est loco recompensationis externæ, si præstari non possit. Vnde rectè Seneca: *Qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit.* Item, *Reddit beneficium, qui libenter debet.* Et Cicero 1. Philip. *Cum gratia referri non potest, quanta debetur; habenda tamen est, quantam maximam animi nostri capere possunt.* Quod autem Cicero alibi ait, gratitudinis esse, plus quam in nos collatum est, reddere: non secus ac ager fertilis quod accipit, non nisi magno fœnore reddit: id verum est tunc, cum beneficiorum recompensatio est possibilis; non autem cum est impossibilis. Eo sensu verum est etiam, quod Aristoteles *libro 5. Ethicorum Nicomach. capite 8.* ait, Gratiarum templum in propatulo vrbis loco situm esse, vt sit remuneratio, quæ gratiæ propria est. Item illud Hesiodi, quod eadem mensura reddere iubet ea, quæ acceperis, aut etiã cumulatiore, si possis.

Obiectioni occurritur.

16 *An gratitudo omni homini sit colenda; ingratitudo verò fugienda?*

Pro thes. aff. Ratio 1 STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia gratitudo est virtus Deo & hominibus amabilis & accepta: ingratitudo verò est vitium iisdem

iisdem odiosum & detestabile. 2, quia gratitudo vulgo dicitur in se complecti veracitatem & iustitiam, quatenus homo gratus beneficia accepta agnoscit, & nullo modo dissimulat, eademq; pro viribus compensare nititur. Ingratitudo verò dicitur in se continere mendacitatem & iniustitiam, quatenus homo ingratus beneficia accepta non agnoscit aut dissimulat, eademq; nec cõpensat, nec compẽsare conatur. 3, quia nullum officium magis referendâ gratiâ necessariũ est. 4, quia est animi ingenui, cui multum debeas, eidẽ plurimum velle debere. 5, quia ingratitudo non tantum in se est turpissima; sed etiã teste Xenophonte, ad omnem turpitudinem aditum patefacit. 6, quia hominẽ reddit improbũ, Deoq; & hominibus inuisum. Vnde à Bernhard. dicitur hostis gratiæ, inimica salutis. Et vulgò dici solet: *Ingratum dixeris, omnia dixeris.* 7, quia gratitudo fontẽ liberalitatis seu beneficẽtiæ aperit: ingratitudo verò obstruit. Gratiarum enim discursus cessat, vbi recursus non fuerit, teste Bernhardo serm. 22. 8, quia ingratitudo societatem humanam destruit, quæ tribuendo & retribuendo maximè solet conseruari. Hinc Valerius Maximus *libro 5. titulo de gratitudine*, inquit: *Dandi & accipiendi beneficia commercium, sine quo vita hominum mors est, tollit, quisquis benè merito parem referre gratiam negligit.* 9, quia ingrato homine nihil est peius: &, *improbus homo est, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.* Idcircò etiam rectè ait Lucianus:

2

3

4

5

6

7

8

9.

Φαῦλον ἀνὴρ πίθον ἐοικὼς τετρημένον, εἰς ὃν ἀπάσας
Αὐτλῶν τὰς χορηγίας εἰς κενὸν ἐξέχεας.

Malus vir dolium est perforatum, in quod omnes
Gratias effundens frustra effudisti.

17 *An reuerentia sit species iustitiæ distributiuæ?*

Sententia aliorum exponitur.

SVnt quidam, qui existimant reuerentiam non esse speciem virtutis moralis; sed honoris, qui aliis ob virtutem statusque & officii dignitatem debetur. Alii verò reperiuntur, qui existimant reuerentiam, esse speciem iustitiæ distributiuæ, & ex consequenti virtutis moralis. Ideoque definiunt illam modò iustitiam, per quam homines ætate, statu, donisque superiores colimus & veneramur: modò virtutem, quâ vltrò nos subiicimus superioribus eosque honoramus, & debitis officiis & obsequio colimus. Eiq; opponunt partim irreuerentiam, quâ nec agnoscimus nos personæ superiori subiectos esse, nec eam debito honore afficimus, sed despectui habemus, atque adeò nec præceptis, nec monitis eius obtemperamus, nec debita officia ei præstam⁹: partim ὀφθαλμοδουλίαν, seu reuerentiam πρὸς χάριν, quando *ad oculum* & *simulatè aliquem obseruamus*.

Quæstio deciditur per distinct.

Pro decisione quæstionis distinguendum: 1, inter reuerentiam actiuam & passiuam. 2, inter reuerentiam actiuam quatenus sumitur vel pro actu vel pro habitu reuerendi eos, qui loco & dignitate sunt superiores. Et in hac postrema duntaxat significatione est species iustitiæ distributiuæ: in reliquis verò est species honoris superioribus debiti.

18 *An iustitia commutatiua moderetur contractus?*

Pro sentētia affirm.

Ratio 1

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia obiectum iustitiæ commutatiuæ sunt omnes

innes res, de quibus inter se contrahere homines possunt. Ergò etiam ipsi contractus. 2, quia iustitia commutatiua in contractibus sine respectu personarum contrahentium seruat duntaxat rerum, de quibus fiunt contractus, æqualitatem, vt ita neutra pars habeat, quod possit vel de nimio gloriari, vel de nimis paruo conqueri. 3, quia inæqualitatem, quæ in contractibus respectu lucri & damni oboritur, ad æqualitatem reducit; dum habitâ ratione proportionis Arithmeticę tantum de lucro alterius detrahit, quantum de damno alteri per iniuriam accessit: Et vice versâ, tantum alteri damni addit, quantum de lucro alterius per iniuriam discessit. Vnde etiam Aristoteles Iudicem dicit Græcè appellari modo μεσίδιον, *mediatorem*, quod medium constituat inter partes litigantes; modò δικαστὴν, quasi διχαστὴν, à verbo διχάζω, *diuido*; quod rem, de qua litigantes disceptant, quasi in æquales partes diuidat; non secus, ac si quis in linea inæqualiter diuisa adferat maioris partis excessum, & eo minoris defectum suppleat. 4, quia facit, vt personæ contrahentes inter se fidem datam seruent, sine qua non possunt consistere contractus. 5, quia omnis contractus est iniustus, quem iustitia commutatiua non moderatur. 2 3 4 5.

Quomodo contractus diuidantur secundum Arist.

Obseruandum autem hoc loco obiter est, secundum Aristotelem *lib. 5. Ethic. Nicomach. cap. 5.* contractus alios dici ἑκούσιους *voluntarios*; alios ἀκουσίους, *inuoluntarios*: Ac voluntarios quidem vocari, qui communi contrahentium consensu & voluntate fiunt, cuiusmodi sunt vēditio, emptio, fideiussio, commodatum, depositum, locatio & conductio. Inuoluntarios verò vocari, qui fiunt

citra vnius partis contrahentis consensum & voluntatem: eosque diuidi in λαθραίους καὶ βιαίους, *clandestinos & violentos*, quorum illi clam & occultè fiunt, vt sunt, furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, serui alieni deceptio, cædes dolo facta, falsum testimonium: hi violenter & coactè, vt sunt verbera, vincula, rapina, mutilatio corporis, maledicentia, contumelia.

19 *An permutatio semper sit rerum earundem & æqualium, & quo modo rectè institui possit?*

CVm ciuilis societas ex diuersis & inæqualibus hominum generibus cōstet, neque semper iisdem rebus abundemus vel indigeamus: fieri non potest vt permutatio semper sit rerum earundem & æqualium; sed necesse est vt sæpè sit rerum diuersarum & inæqualium. Vt igitur eiusmodi permutatio rectè instituatur, necesse est, vt res permutandę inter se comparentur, & ex proportione illa, quam inter se habent, æquentur. Comparatio autem fieri non potest, nisi advnum aliquod tertium: Et hoc oportet esse tale, vt sit mensura cæterarum rerum omnium. Estque per se nihil aliud quàm χρεία, hoc est, *indigentia*. Hęc enim cuncta continet: nec solum ad contractus homines impellit; verum etiam pretia rerum æstimat, vt tantò pretiosior res quælibet habeatur, quantò magis homines illâ indigent. Cum autem homo non quouis tempore quibuslibet indigeat: idcircò ad contractus & commercia hominum conseruanda, inuentus est ex pacto & conuentione hominum nummus, tanquam vicarius indigentiæ: non solum vt sit quasi sponsor futu-

Cur nummus inuentus.

futuræ, indigentiæ, vt is, qui iam non indiget re aliqua, aliquando cum indiguerit, per nummum eius copiam habere & consequi possit: sed etiam vt tanquam mensura, indigentiæ quantitatem metiatur; & per consequens, commutandarum rerum æqualitatem certis terminis circumscribat. Hinc etiam medium exercendi iustitiam commutatiuam duplex rectè constituitur; vnum naturale, quod est indigentia: alterum voluntarium, quod est nummus seu pecunia. Et vtrumque medium est veluti mensura, quâ omnium rerum permutandarum pretia æstimantur & definiuntur.

20 *An fidelitas sit species iustitiæ, & quomodo à fide differat?*

SVnt quidam, qui fidelitatem speciem synceritatis constituunt. Sed rectius faciunt, qui eandem iustitiæ subiiciunt. Est enim fidelitas nihil aliud, quàm iustitia, per quam homo prōptus est, fidem alteri datam seruare: Et sic etiam est virtus moralis suum cuique tribuens. Differt autem à fide partim tanquam causa efficiens à suo effecto, partim tanquam adiunctum occupatum à subiecto occupante. *Est* enim *fides*, prout hoc loco vsurpatur secundum Ciceronem libro 1. officiorum, *dictorum conuentorumque constantia & veritas. Et dicitur ita, quod fiat id, quod dictum est.* Idcoque ab eodem in citato loco iustitiæ fundamentum nuncupatur.

Sententia affirm. defenditur.

21 *An fides semper sit seruanda?*

PRo thesi affirmante faciunt hæc argumēta: 1, quia fidelitas hoc exigit, quæ est iustitia, per

Pro sententia affirm.

Ratio 1

quam homo pacta & promissa constanter sine
2 fraude seruat. 2, quia fides est iustitiæ fundamentum, quo labascente, necesse etiam est, ipsam iu-
3 stitiam labascere. 3, quia vir bonus non tantum fidei violatæ crimine; sed suspicione quoque,
4 quoad eius fieri potest, carere debet. 4, quia per-
5. fidiosum & nefarium est, fidem frangere. 5, quia in priuatis contractibus nullum sanctius est iusiurandum quàm fides: publicæ verò fidei tanta est auctoritas & existimatio, vt nemini tutius pecunias credere, quàm Reipublicæ priuata arbitrarentur. Hinc etiam apud Romanos adeò venerabilis & sancta erat fides publica, vt eam pro numine colerent. Itaque apud eos solenne erat sacrarium fidei, in quo pacis leges, fœdera & inducia iureiurando confirmabantur, vt eius, qui ea violaret, sacrum Diis caput esset.

Arg. pro thes. neg. At contra pro thesi negante obiici potest, non semper iustum esse promissum seruare: 1, si id de re aliqua iniusta & impia factum sit, quod nimirum pugnet expresse vel cum commodo publico Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ, vel cum verbo Dei: etiamsi iuramentum fuerit interpositum. Neminem enim obligari ad seruandum, quod cum probitate & pietate pugnat. 2, si ab eo, qui promisit, præstari nullo modo possit. Neminem enim ad impossibile obligari. 3, si noxium futurum sit ei ipsi, cui promissum est. 4, si quis fraude aliquâ circumuentus promiserit aliquid, quod non oportuerit. 5, si conditioni promisso annexæ non satisfiat ab eo, cui promissum est. 6, si mutatio aliqua sit facta in persona eius, cui aliquid promissum est, aut alia circumstantia, ita, vt salua hone-

honestate & pietate non possit promissum seruari; vt si quis promiserit alicui auxilium ad aliquid peragendum; & interim ille perfidus in patriam fiat, & contra eam bellum inferat. 7, si ei, qui promisit, plus noceat, quàm illi prosit, cui promissũ est. Pro decisione quæstionis distinguendum esse videtur inter fidem, quatenus iustè dari & seruari potest: & quatenus non iustè dari & seruari potest: seu inter fidem iustitiæ consentaneam & eidem repugnantem. Prior semper est seruanda. Posterior autem non.

Cic. lib. 1. Officiorum.

Quæstio deciditur per distinct.

22 *An iustitia rectè diuidatur in absolutam & limitatam, seu seueram & remissam?*

EX diuersitate iuris, circa quod iustitia versatur, videtur hæc diuisio rectè posse desumi. Illud enim vel est *absolutum, aut rigidum, seuerum & strictum ius*, quod Græcè dicitur τὸ ἀκριβοδίκαιον vel *limitatum, remissum, & benignum*, quod Græcè vocatur τὸ ἐπιεικὲς, hoc est, *æquum & bonum*. Prius genus iuris est, quod lege scriptâ constitutum est, eiusque sensũ literali nititur. Posterius genus iuris est, quod ex mitiore & benigniore legis scriptę interpretatione & limitatione existit. Vnde ab Aristotele *lib. 5. Ethicor. Nicomach. cap. 4.* vocatur modò ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου, hoc est, *correctio iuris legitimi*: modò ἐπανόρθωμα νόμου, ἧ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου, *correctio legis*: sc. scriptæ, *quatenus ei aliquid ob dictionis generalitatem deest*. Item, *lib. 1. Rhetor. c. 13.* vocatur modò τὸ μὴ ἰδίᾳ καὶ γεγραμμένῳ ἐλλειπόμενον, hoc est, *id quod legi propriæ & scriptæ deest, quo minus sit perfecta*: modò τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον, *quod præter scriptam legem iustum est*. Ex quo etiam patet, æquum & bonum esse supplementũ eius,

Pro thesi affir. probabiliter disputatur.

Ius strictum quid.

Ius æquum quid sit.

quod iuri scripto & absoluto deest, neq; lege scripta est expressum: siue ignorante Legislatore, siue sciente quidem, sed propter varietatem & infinitatem circumstantiarum, quæ in rebus agendis occurrunt, determinare non valente. Non enim semper omnes circumstantiæ rerum agendarum possunt lege scripta expressè comprehendi. Ideoque Legislator sæpè de eo, quod plerunque solet euenire, legem condit vniuersalem, omisso eo, quod ratius accidit. Et hoc testatur etiam Aristoteles *libr. 4. Ethicorum N. com. cap. 14.* cum ait: *Lex omnis vniuersalis est: de quibusdam vero non possibile est rectè loqui vniuersaliter. In quibus igitur necesse est vniuersaliter loqui; neque tamen rectè fieri potest; in iis lex sumit id, quod plerunque solet euenire; non ignorans id, quod in hoc peccatur. Nec tamen idcirco lex minus recta est. Non enim culpa in lege est, neque in Legislatore, sed in natura rei, de qua lex est lata. Quãdo igitur lex quidem loquitur vniuersaliter: accidit autem in his aliquid præter vniuersale; tunc licitum est, quatenus prætermisit aliquid legislator, & peccauit vniuersaliter loquendo, id quod deest, supplere: quod etiam ipse Legulator facturus esset, si adesset, & si sciuisset, lege expressisset.* Item, paulò pòst. Non omnia lege sunt comprehensa: quoniam de quibusdam lex ferri non potest. Ideoque plebiscito opus est. Rei enim indeterminatæ regula etiam est indeterminata, vt & structuræ Lesbiæ regula plumbea est. Ad figuram enim lapidis torquetur & inflectitur, neque eadem manet. Sic & plebiscitum ad res quotidiè occurrentes accommodari & transferri solet. Cum igitur ius aliud sit absо-

absolutum, seuerum & rigidum, aliud limitatum, benignum seu æquum & bonum; videtur quoque iustitia rectè diuidi in absolutam & limitatam; quarum illa circa ius absolutum; hæc circa ius limitatum seu æquum & bonum versatur; & proprio vocabulo Græcè dicitur ἐπιείκεια, Latinè *æquitas*. Et propterea etiam Aristoteles *libro 5. Ethicorum Nicomach. capite* 14. sub finem ait, æquitatem esse iustitiam quandam, & nō alium quendam habitum. Cæterum hæc sententia de iustitiæ in absolutam & limitatam diuisione videtur non esse recipienda & approbanda. Sicut enim ius absolutum & strictum non est verum ius, sed tantum apparens ius; cum æquitati aduersetur: ita etiam iustitia absoluta, quæ ius strictum & rigidum sectatur, non est vera; sed apparens iustitia. Interim tamen æquitas rectè statuitur species iustitiæ veræ: & æquum & bonum species iuris veri non quidem scripti, sed non scripti. *Hinc Aristoteles lib. 5. Ethic. Nic. cap.* 14. ait, Τὸ ἐπιεικὲς δίκαιον μέν ἐστιν, οὐ τὸ κατὰ τὸν νόμον δέ, ἀλλ' ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου.

Sententia affirmatiua reiicitur.

23 *Quid sit æquitas, & quæ eius sint effecta?*

VT definitio æquitatis rectius constitui possit, primum omnium videbimus, quis dicatur *æquus & bonus*, Græcè ὁ ἐπιεικὴς. Definitur autem ab Aristotele *libr. 5. Ethicorum Nicomach. capite* 14. ὁ προαιρετικὸς καὶ πρακτικὸς τῶν ἐπιεικῶν, καὶ ὁ μὴ ἀκριβοδικαίῳ ἐπὶ τὸ χεῖρον, ἀλλ' ἐλαττωτικὸς, καίπερ ἔχων τὸν νόμον βοηθόν, *qui promptus est ad eligendum & agendum id, quod æquum & bonum est, neque strictè in deteriorem partem ius scriptum interpretatur; sed de eo aliquid remittit; etiamsi legis auxilio niti possit.* Hinc igitur

Quis dicatur æquus & bonus.

Æquitas quid sit.

patet, quod æquitas sit habitus moralis, per quem homo promptus redditur ad eligendum & agendum id, quod æquum & bonum est: Seu, vt accuratius & clarius loquar, quod sit iustitia æqui bonique dispensatrix.

Effecta æquitatis recenset Arist lib. 1. Rhet. c. 13.

Porrò effecta æquitatis in genere sunt, ius scriptum mitius & benignius interpretari: in eaque interpretatione, non ad legem scriptam, sed ad Legislatorem; non ad orationem, sed ad mentem Legislatoris respicere: & si quid in lege scriptâ est omissum, supplere & sic corrigere, seu emendare ius scriptum. Hinc ortæ sunt regulæ illæ Iureconsultorum: *Scire leges non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem. Non licet saluis verbis legis sententiam eius circumuenire. Æquitas stricto iure potior. Tam ex lege est, quod venit ex mente eius, quàm quod ex verbis. In legem committit, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem. Vbicunque ex verbis simpliciter intellectis resultaret iniquitas, tum à verbo receditur, & mens seruatur. Benignius accipienda sunt leges, vt voluntas earum conseruetur. Sententia legis potior est verbis. Non in verbis & literis, sed in consilio & mente Legislatoris vis legis est posita.* Quarum regularum fundamenta hæc sunt: 1, quia verba nobis ad exprimendas animi cogitationes; non cogitationes propter verba conceſſæ. 2, quia verba dependent à mente; non mens à verbis. 3, quia multa sunt, quæ melius intelligi, quàm verbis exprimi possunt. 4, quia mens certior verbis: cum mens neque fingi, neque fallere possit: verba autem possint. 5, quia mens sine verbis esse potest: verbà autem sine mente inanes sunt soni. 6, quia

Cur sententia legis potior sit verbis.

Ratio
1
2
3
4
5
6.

lex

lex nihil aliud est, quàm ipsa recta ratio Legislatoris: Ideoque non verborum contextum, non literarum figuram, sed intus in mente abditum Legislatoris consilium, quod & ipsa verba declarant, spectare debet is, qui leges interpretari cupit. Et propterea etiam Aristoteles vult *libr. 1. Rhetor.* Iudicem debere esse tanquam argentarium, qui æquitatis normâ ceu lapide Lydio adulterinum ius à vero discernere possit.

In specie effecta æquitatis recensentur.

In specie verò effectum æquitatis est: 1, respicere non ad actionem, sed ad proæresin agentis; neque ad partem, sed ad totum; neque qualis nunc sit is, qui deliquit, sed qualis semper aut plerumque fuerit. 1
2, non eadem pœna digna iudicare ἀτυχήματα, ἁμαρτήματα & ἀδικήματα, hoc est, *infortunia, errata, & flagitia*: cum infortunia fiant præter opinionem & sine malitia: errata sine malitia, sed non præter opinionem: flagitia verò cum opinione & malitia. 2
3, remittere aliquid de suo iure, veniamque dare delinquentibus, in iis, in quibus decet. 3
4, meminisse bonorum potius, quàm malorum acceptorum. 4
5, patienter ferre iniuriam illatam, eamque verbis potius, quàm factis iudicari velle. 5
6, ad arbitrium potius, quàm ad iudicium ire velle: cum arbiter æquum; iudex verò legem respiciat. 6.

Porismata colliguntur.

Ex his autem, quæ dicta sunt partim de natura, partim de effectis æquitatis patet: 1, æquitati opponi iniquitatem, quæ est iniustitia, per quam homo ad eligendum & agendum id, quod iniquum est, propensus est, sive sit temerariâ legum relaxatione, sive nimiâ earundem exasperatione. 1
2, æquitatem non rectè ab aliis definiri modò summi iuris, de quo lex principaliter non lo- 2.

quitur, mitigationem : modò correctionem iuris scripti : modò emendationem legis, quâ parte deficit : modò limitationem scripti iuris in eo casu, de quo lex præcipuè non loquitur: modò supplementum eius, quod legi deest propter vniuersalitatem. Illæ enim definitiones non verè & propriè competunt ipsi æquitati, sed potius ipsi iuri, quod dicitur æquum & bonum, aut saltem effectis ipsius æquitatis. Cum enim casus aliquis sese offert, qui lege comprehensus non est, æquitas æstimatis tum illius casus circumstantiis, tum Legislatoris mente ac consilio, quo legem tulit, defectum illum ita supplet, ac de præsenti casu ita pronunciat, vt si Legislator ipse adesset, de eo aliter non pronunciaret; imò de eo legem tulisset, si tale quid euenturum præuidisset.

24 *An ius talionis simpliciter sit iustum?*

Sententia affirm. à Pythagoricis defenditur.

IVs talionis, quod Græcè dicitur τὸ ἀντιπεπονθὸς, Latinè *perpessio mutua & reciproca*, Pythagoræi statuebant simpliciter esse iustum. Definiebant enim id esse simpliciter iustum, si quis, quod alteri fecit, vicissim ab altero patiatur. Et propterea etiam Poëtæ fingunt hoc ius à Rhadamantho Iudice infernali obseruari: quemadmodum ostendit versiculus ille, qui ei tribuitur:

Εἶκε παθοῖ τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.
Iusta malis hæc admisso pro crimine pœna est,
Vt quæ fecerunt aliis, patiantur & ipsi.

Sententia neg. ab Arist. defenditur. Ratio 1

Sed Aristoteles negat ius talionis, prout à Pythagoricis intelligitur, simpliciter esse iustum: 1, quia neque ad ius distributiuum, neque ad ius correctiuum referri potest; sed simpliciter vsurpatum

patum ab vtroq; discrepat: cum illud respectum personæ habeat: hoc verò etsi per se personam non respicit; tamen si alicuius persona læsa fuerit ad examinandam nocumenti magnitudinem personam læsi considerat. Neque enim si magistratus aliquem pulsauerit, eum vicissim iubet pulsare. At qui magistratum pulsauerit, eum non solum pulsare, sed & supplicio afficere iubet. 2, quia non distinguit inter τὸ ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον, 2
hoc est, inter id, quod sponte, & inuitè fit: cum tamen in pœnis infligendis non tam peccatum ipsum, quàm animus peccantis sit spectandus. 3, quia non semper fieri potest commutatio re- 3.
rum duarum simpliciter æqualium; neque semper eadem reddi pro iisdem possunt.

Interim tamen ipse Aristoteles monet, ius talionis in ciuili hominum communitate simpliciter negligendum non esse. Retributionem enim ait ciuitatem conseruare: Idque facere non tantum retributionem bonorum, quâ cessante etiam bonorum communicatio cessaret: verum etiam retributionem malorum quâ neglectâ certissima sequitur seruitus, & nobis cuncta mala patienda essent: cum tamen ad mala propulsanda & bona communicanda omnes societatem ciuilem colamus. Sed vt iustum sit ius talionis, necesse esse ait Philosophus, vt illud ad proportionem reuocetur, per quam res diuersæ & inæquales ad æqualitatem redigantur. Vnde idem *lib. 5. Ethicor. Nicomach. cap. 8.* rectè asserit: οὔτε ἂν μὴ οὔσης ἀλλαγῆς κοινωνία ἦν, οὔτ' ἀλλαγὴ ἰσότητος μὴ οὔσης, οὔτ' ἰσότης μὴ οὔσης συμμετρίας. *Neque communitas esse potest sine permutatione; neque permu-*

tatio sine æqualitate; neque æqualitas sine proportione.

25 *An omnis qui iusta vel iniusta agit, sit iustus vel iniustus?*

Pro thesi negatiua

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia qui iustum vel iniustum agit inuitus vel ex ignorantia facti, vel ex naturæ necessitate, vel ex

Ratio 1 alterius violentia, is non est iustus vel iniustus: cum non agat iustè vel iniustè: siquidem iustè & iniustè agit tantum is, qui sponte ea agit. Hinc, qui depositum reddit inuitus, aut metu coactus,

2 is non est iustus. 2, quia qui iustum vel iniustum sponte agit; non tamen consultò & ex habitu iustitiæ vel iniustitiæ, *is non est iustus vel iniustus.*

3. 3, quia *is tantum dicitur iustus*, vel *iniustus*, qui sponte & consultò, adeoque ex habitu iustitiæ vel iniustitiæ *iustum* vel iniustum agit. Hinc Aristoteles *lib. 5. Ethic. Nicomach. cap.* 10. primum accuratè distinguit inter τὸ δίκαιον καὶ δικαιοπράγημα, itemque inter τὸ ἄδικον καὶ ἀδίκημα, hoc est, inter *iustum & iustè factum*, *iniustum & iniustè factum*. Ait enim hominem ἀδικεῖν καὶ δικαιοπραγεῖν, hoc est, *iniustè & iustè agere*, quando sponte illa agit: quando verò inuitus agit, neque iniustè, neque iustè agere. Ideoq; omne iustè & iniustè factum esse spontaneum. Deinde distinguit inter peccata quibus alter alterum lædit. Ait enim tribus modis illa fieri; vel ex ignorantia, vel ex affectu, vel ex malitia. Ac peccatum quidem ex ignorantia vocat, cum is, qui lædit vel nescit se lædere, vel ignorat se hoc modo lædere, vel non animaduertit instrumentum, quod tractat, ad lædendum aptum esse, vel cum eo agit non animo lædendi. Et hoc peccati genus

genus duplex constituit, quorum vnum vocat ἀτύχημα, cum quis inopinatè lędit, hoc est, ex ignorantia alicuius circumstantiæ aut casus, quem nemo hominum prouidisset: alterum ἀμάρτημα, cum quis lædit ignorantia rei, quàm circumspectus aliquis animaduertisset. Peccatum verò ex affectu vocat, cum quis sciens quidem lædit, non consultò tamen; sed vel irâ, vel aliis affectibus, qui necessarii & naturales hominibus accidunt; vt mortis metus, dolor ex cruciatu corporis. Peccatum ex malitia vocat, cum quis de industria & consultò lædit; & sic in distribuendis & commutandis rebus æqualitatem lædit. Ex his autẽ tribus peccatorum generibus solum postremũ ita est comparatum, vt qui hoc facit, dicatur iniuriam facere & iniustus: Priora autem duo non item: cum primum sit inuitum: alterum spontaneum quidem, sed non consultò & deliberatò factum. Vnde etiam fit, vt postremum omnium minimè veniam mereatur. Ex reliquis verò συγγνωμικὰ sint, hoc est, veniam mereantur, quæ vel ex alicuius circumstantiæ ignorantiâ, vel ex aliquo affectu naturali fortius impellente fiunt: quæ autem ex ignorantia iuris & legum, aut ex odio, inuidiâ, aliisque inhumanis & prauis affectibus fiunt, seriò & grauiter castigari debeant.

26 *An semper iustum sit, suum cuiq; tribuere?*

CVm iustitia sit virtus, suum cuique tribuendi, videtur semper iustum esse suum cuique tribuere. At incidere possunt tempora, vbi iustũ non sit suum alicui tribuere, sed iniustum: vt si gladium apud me depositum redderem homini furioso, aut promissum contra bonos mores da- *Thesis neg. defenditur.*

tum alteri seruarem: Itaque suum cuique ita est tribuēdum, vt semper respiciatur ad fundamenta iustitiæ, quorum primum est, vt ne cui noceatur: alterum vt communi vtilitati gloriæque Dei seruiatur. Hinc quidam dictum illud, quo asseritur, suum cuique tribuendum esse, ita interpretantur, vt sit sensus, Nulli non dandum esse quod ad ipsum pertinet, & ad eius commodum atque vtilitatem spectat.

27 *An semper iustum sit, summo iure cum aliquo agere?*

Quæstio explicatur per distinct.

DIstinguendum est inter summum ius verum, & adulterinum. Illud est, quod cum verbis & mente legis rectæ conditæ exactè congruit, neque correctione & emendatione opus habet. Hoc est, quod cum verbis quidem legis; sed non cum mente eiusdem exactè congruit; cuiusmodi est id, quod oritur vel ex calumniosa & malitiosa legis interpretatione, vel ex rigore legis scriptæ sine mitigatione, quàm legislator ipse, si adesset, admitteret propter aliquam non aspernandam circumstantiam. Thesis igitur affirmatiua est vera, si intelligatur de summo iure vero, quod cum æquitate non pugnat: Falsa autem de iure summo adulterino, quod æquitati est contrarium, & propterea ab ea est corrigendum & emendandum. Interim tamen iniustitiæ non est accusandus, qui cum alio semper non agit summo iure, si id suum sit & proprium: vt ex sequenti quæstione clarius intelligetur.

Pro thesi affirm.

28 *An luctuum sit vnicuique de suo iure remittere?*

Ratio 1

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia

quia neque cum honestate, neque cum iustitia pugnat de suo iure remittere. 2, quia opus & argumentum singulare est humanitatis, mansuetudinis, liberalitatis, misericordiæ & æquitatis, de suo iure remittere. Vnde etiam Aristoteles *lib. 5. Ethicorum Nicomach. cap. 12.* ait: ὁ ἐπιεικὴς ἁπλῶς ἐστι· *Vir bonus & æquus de suo iure libenter & facile aliis concedere solet.* 3, quia qui de suo iure remittit, is neque sibi, neque alteri facit iniuriam. 4, quia Deus de suo iure plurimum quotidie hominibus remittit, dum iis parcit & pœnas dignas aut plane remittit, aut non eo modo, quo posset, infligit. 5, quia scriptura sacra passim homines Christianos hortatur, vt de suo iure remittant, & ad exemplum Dei offensas proximo suo condonent. Id autem non fieret, nisi iustum & licitum esset de suo iure remittere. 2 3 4 5.

Verum aduersus hanc sententiam obiici potest: 1, quod non liceat seipsum bono aliquo suo priuare: cum iustitiæ munus sit, neminem lædere. Ideoque neque de suo iure remittere. 2, quod magistratui non sit licitum, impunitos relinquere homines facinorosos. *Obiectio.* 1 2.

Respondeo ad primam obiectionem, distinguendum inter bona, quæ ad vitam & salutem hominis simpliciter sunt necessaria: & quæ talia non sunt. De prioribus verum est, quod non liceat seipsum iis priuare: De posterioribus autem minimè.

Ad alteram obiectionem respondeo, illam thesin nostram non impugnare. Ius enim, quod Magistratus habet in facinorosos, non est ipsius proprium, sed alienum, nempe Dei. De iure

autem alieno nemini licitum est alicui remittere.

29 *An vim vi repellere liceat?*

Sententia aliorum exponitur.

VVlgata & trita inter homines sententia est, vim vi repellere licet. Cuius veritas videtur inde pendere, quod vt Cicero ait lib. 1. Officiorũ, *Omni animantium generi à natura est tributum, vt se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quæ ei nocitura videantur.* Licèt enim iustitiæ munus sit, neminem lædere: tamen videtur illud ita limitandum esse, vt ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria, vt idem Cicero ibidem interpretatur. Sed huic sententiæ videtur obstare sacra scriptura, quæ vult, vt homo Christianus non malum pro malo, sed bonum pro malo reddat: potiusque geminam iniuriam patiatur, quàm vt vnam referat & retaliet. Vt igitur veritas planius intelligatur, sciendum est, homini Christiano licere quidem seipsum & proximum suum defendere omnibus mediis licitis; non autẽ vllis illicitis. Sunt autem media licita, quæ honesta & iusta sunt legéque diuinâ concessa. Illicita verò, quæ inhonesta & iniusta sunt, legéque diuinâ prohibita. Itaque non licet primum iniuriam iniuriâ, conuitium conuitio retaliare. Deinde non licet priuatę personæ vitæ suæ defendẽdæ gratia alium, quantumuis iniustè in se impetum facientem occidere. Licet tamen iniuriam suam propulsare honestæ & inculpatæ tutelæ moderatione, eiusdemque vindictam à magistratu legitimè expetere. Et si posteriore modo intelligatur dictum illud: *Vim vi repellere licet*, est verum. Si verò priore; est falsum.

Quæstio explicatur per distinct.

30 *An*

30 An summum ius recte dicatur summa iniuria?

VVlgatum inter homines prouerbium circumfertur; *summũ ius, summa iniuria.* Quod vt rectius explicetur ac intelligatur, in medium afferemus argumenta nonnulla, quibus illud videtur impugnari posse, cuiusmodi sunt: 1, quia τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον sunt contraria: Ideoque ex natura & vi contrariorum sequitur id, quod iustum est, non posse esse iniustum. 2, quia omne ius est in genere bonorum, sicut iniuria in genere malorum. Ideoque sicut summum bonum non potest esse summum malum: ita neque summum ius potest esse summa iniuria. 3, quia summè iustus non potest esse summè iniurioſus. Ergò neque summum ius potest esse summa iniuria.

Pro theſi affirm.

Argum. 1

2

3.

Pro decisione quæstionis distinguendum est inter summum ius verum & adulterinũ, de quo vtroque dictum fuit *supra Quæst.* 27. Thesis enim affirmatiua est vera de summo iure, quod adulterinum est & falsum: non autem de eo, quod est verum. Ideoque argumenta contra illam allata ex ignorantia veri elenchi peccant: cum non loquantur de eo, quod verè ius seu iustum est. Atque hinc etiam intelligi potest dictum Augustini, quod habetur in libro de vera religione: *Nimia iustitia incurrit peccatum: temperata iustitia facit perfectos.* Intelligit enim per nimiam iustitiam non veram & seueram iustitiam, quæ ius scriptum obseruat in eo casu, de quo lex scripta principaliter loquitur: Hanc enim vocat temperatam iustitiam: sed falsam & apparentem iustitiam, quæ ius scriptum obseruat in eo casu, de quo lex

Quæstio decidit per distinct.

principaliter non loquitur. Ideoque potius dicitur iniustitia seu iniquitas, quàm iustitia.

31 *An satius sit innocentem absoluere, quàm nocentem condemnare?*

Thesis affir. defenditur. ETsi coram Deo grauiter peccat Iudex, non tantum cum nocentem absoluit, sed etiam cum innocentem condemnat: tamen satius est, præsertim in causa dubia, nocentem absoluere, quàm innocentem condemnare. In innocentis enim condemnatione non solum Respublica læditur, cuius non minus interest innocentes absolui, quàm nocentes puniri: sed præterea etiam ipse innocens, qui, nisi absoluatur, iure suo priuatur, & graui iniuria afficitur. At innocentis absolutione sola Respublica læditur, nec ipse nocens iure aliquo suo priuatur, aut vlla iniuria afficitur.

32 *An, qui iniustum aliquid patitur, rectè dicatur iniuriam pati?*

Pro thesi negatiua STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quià iniustum latius patet quàm iniuria. 2, quia non omnis, qui iniustum aliquid agit, iniuriam facit. Ergò neque omnis qui iniustum aliquid patitur, iniuriam patitur. 3, quia nemo iniuriam patitur, nisi ab eo qui ipsi sponte & animo iniuriandi iniustum facit. Et hoc etiam testatur Aristoteles *lib. 5. Eth. Nicom. cap. 4.* cum ait: ἐ ταὐτὸν τὸ τὰ ἄδικα πρᾶττειν τῷ ἀδικεῖν, οὐδὲ τὸ ἄδικα πάσχειν τῷ ἀδικεῖσθαι: *Non idem iniusta agere & iniuriam facere: neque iniusta pati & iniuriam pati.*

Ratio
1
2
3.

Arg. pro thesi neg.

33 *An volenti fiat iniuria?*

1 PRo thesi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia

quia iniuriam pati, est lædi inuitum cõtra legem, & iniuriam facere, est lædere aliquem sponte contra legem eiusque voluntatem. 2, quia homo 2
volens tantum facit iniuriam. Ergò inuitus tantum patitur iniuriam. 3, quia experientia com- 3
munis testatur, neminem esse, qui volens iniuriam accipiat. 4, Idem testatur Aristoteles *libr.* 5. *Ethicorum Nicomach. cap.* 11. cum ait: βλάπτεταί τις ἑκὼν καὶ τὰ ἄδικα πάσχει· ἀδικεῖται δὲ οὐδεὶς ἑκών. οὐδεὶς γὰρ βούλεται: *Læditur aliquis sponte & iniusta patitur: iniuriam autem nemo patitur sponte. Nemo enim vult iniuriam accipere* Item, ἐστὶν ἁπλῶς τὸ ἀδικεῖν βλάπτειν οἷόν τινα παρὰ τὴν ἐκείνου βούλησιν· *Est simpliciter iniuriam facere, lædere aliquem contra ipsius voluntatem.* Hinc etiam iniuria dicitur non in potestate patientis, sed facientis esse. Sunt tamen nonnulli, qui statuunt rectè, volenti non posse fieri iniuriam: sed perperam volenti posse. Item, ei, qui alio fine & modo velit, ac illi læsio infertur.

34 *An quis sibi ipsi iniuriam facere possit?*

PRo thesi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia nemo potest seipsum lædere sponte contra legem. 2, quia qui iniuriam facit, is alteri aliquid eripit & sibi addit. Idem autem eidem simul eripi & addi non potest. 3, quia nemo sibi ipse est contrarius. Esset autem sibi ipse contrarius, si sibi iniuriam faceret. Simul enim esset volens & nolens. Volens, quatenus iniuriam facit; nolẽs, quatenus iniuriã patitur. 4, quia nemo seipso est prior & posterior. Qui autem iniuriam facit, prior est eo, qui eandem patitur: cum agens semper naturâ prior sit patiente. 5, quia semper necesse

Pro thesi negatiua Argum.
1
2
3
4
5

est, ius & iniuriam esse inter plures. Non autem esset inter plures, si homo sibiipsi iniuriam facere
6. posset. 6, quia homo propriè nullum ius habet erga seipsum, sed tantum erga alium. Ergò etiam non sibi, sed alii iniuriam facere potest. Hinc etiam nemo suæ coniugis dicitur adulter, sed alienæ. Nemo suarum facultatum fur, sed alienarum.

Pro sententia affirm. At pro contraria sententia obiici potest: 1, auctoritas Platonis, 4. *de Repub.* vbi statuit, neminem
Arg. erga alium esse iniurium, nisi prius sit erga seipsum
1 iniurius. 2, exemplum eorum, qui seipsos sponte
2 aut interficiunt, aut corrumpunt, siue vulnerando, siue mutilando, siue indulgẽdo prauis affectibus & cupiditatibus, siue potando, siue pericula
3. subeundo. 3, ratio, quia homo, quando agit contra ius naturale, quod præcipit, vt homo seipsum amet, conseruet & perficiat, suumque appetitum rectæ rationis imperio subiiciat, tunc seipsum
Respondetur ad argumenta pro thesi affirm. sponte lædit, & sic sibi ipse iniuriam facit. Respõdeo: 1, ad autoritatem Platonis, verbum ἀδικεῖν nõ
1 propriè, sed impropriè vsurpari. Ideoque ex illo nihil contra sententiam Aristotelis posse concludi. 2, hominem posse quidem sponte seipsum lædere; sed tamen non posse sponte sibi iniuriam
2 facere: cum læsionem illam contra voluntatem suam non patiatur. Et propterea etiam rationem,
3. quæ loco tertii argumenti allata fuit, non valere, cum homo violando ius naturale, non sibi, sed Deo & magistratui iniuriam faciat. Sunt tamen alii qui statuunt, neminem plenè & rectè constitutâ voluntate sibi ipsi iniuriam facere: voluntate autem perturbatâ & malè affectâ posse.

35 *An pater filio, maritus vxori, herus seruo iniuriam facere possit?*

ARistoteles *lib. 5 Ethic. Nicomach. cap.* 10. videtur thesin negantem defendere. Rationes ipsius sunt: 1, quia inter patrem & filium, maritum & vxorem, dominum & seruum propriè ius non est; sed tantum impropriè per quandam similitudinem iuris ciuilis. Vbi autem ius propriè locum non habet, ibi neque iniuria. 2, quia nemo sibi ipse iniuriam facere potest. Filius enim dum minorennis est, patris sui quasi pars est: Vxor mariti quasi dimidium: seruus, heri possessio.

Pro thesi affirmat.
Ratio 1
2

Verum hæc sententia nullo modo est concedenda: 1, quia non minus leges à Deo & recta ratione præscriptæ sunt parentibus, maritis & heris, secundum quas illis est viuendum, quàm aliis. Vbi autem leges locum habent, ibi etiam ius. 2, quia verè & propriè loquendo neque filius est pars patris, neque vxor dimidium mariti; neque seruus, possessio sui heri. 3, quia iniuriam facere est lædere aliquem sponte contra legem & voluntatem ipsius. Iam autem & pater filium, & maritus vxorem, & herus seruum lædere sponte potest contra legem & voluntatem ipsius. Ergò etiam iniuriam facere eidem potest. 4, quia ex hypothesi Aristotelis sequeretur, propter eandem neque filium parenti, neque vxorem marito, neque seruum hero suo iniuriam facere posse: quod tamen omninò est absurdum:

Pro thes. neg.
Ratio 1
2
3
4.

36 *An iniuriam pati sit licitum?*

VIdetur Aristoteles thesin negantem defendere. Nam *lib. 5. Ethicorum Nicom. cap. 9.* ait: ἀνυπερβλητον μέντοι εἶναι τὸ ἀδικεῖν, καὶ ἀδικεῖσθαι, hoc est, *in-*

Sententia Arist. exponitur & refellitur.

ſtam actionem medium eſſe inter facere & accipere iniuriam: cum illud ſit plus habere; hoc minus. Item, ibidem ſub finem: Τῷ ἀδικήματι τὸ μὲν ἔλαττον, τὸ ἀδικεῖσθαι· τὸ δὲ μεῖζον, τὸ ἀδικεῖν· hoc eſt, *iniuſti facti minus extremum eſſe, iniuriam accipere; maius autem, iniuriam facere.* Item cap. 15. *ſeu vltimo*, ἄμφω μὲν φαῦλα, & τὸ ἀδικεῖσθαι, τῷ τὸ ἀδικεῖν· τὸ μὲν γὰρ ἔλαττον, τὸ δὲ πλεῖον ἔχειν ἐστὶ & μέσα. *Vtrumque malum eſſe iniuriam & accipere & pati. Illud enim eſſe minus, hoc plus habere e medio.* Sed tamen per ſe minus malum eſſe iniuriam accipere, quàm pati.

Ratio

Verum hæc ſententia Ariſtotelis videtur falſa eſſe, & abſurda: 1, quia ſacra ſcriptura hortatur homines ad iniuriam patiendam, 1. *Corinthiorum 6.* 2, quia viri fortis & manſueti eſt, iniuriam pati. 3, quia, vt idem Ariſtoteles ait *ſub finem lib. 5. Ethicor. Nicomach.* τὸ ἀδικεῖσθαι ἄνευ πονηρίας καὶ ἀδικίας, *iniuriam pati vitio & iniuſtitia vacat.* 4, quia iniuriam pati eſt honeſtum & laudabile. 5, quia omnes pii in hoc mundo multas & varias iniurias paſſi leguntur, vt teſtatur exemplum Prophetarum, Apoſtolorum, adeoque ipſius Chriſti. Vnde Chryſoſtomus ſuper Matthæum exemplo Chriſti nos iniurias, magnanimiter ſuſtinere monet. Et rectè Seneca in prouerbiis ait: *Viri boni eſt ſcire pati, nec facere iniuriam.*

1
2
3
4
5.

Cautela.

Interim tamen ſciendum eſt, aliud eſſe pati iniuriam, aliud iniuriam impunitam relinquere. Illud enim ſemper licitum eſt: hoc verò non ſemper eſt licitum; præſertim magiſtratui; qui propterea à Deo cõſtitutus eſt, vt probos defendat, & improbos puniat.

37 *Vtrum*

37 *Vtrùm is, qui alicui plus minusve, quàm par est, tribuit, iniustè agat: an qui plus minusve recipit?*

DIstinguẽdum est partim inter personas, quibus plus minusve tribuitur, partim inter res ipsas, quæ distribuũtur, siue sint bonæ siue malæ, eæq; vel propriæ vel alienæ. Nõ enim iniustè agit, qui de suis bonis vni plus tribuit quàm alteri; cũ neutri debeat. 2, qui minus de bonis sibi debitis recipit, quàm par est. 3, qui minus bonorum & plus malorum, quàm debet, in se volens recipit. Iniustè verò agit: 1, qui de bonis & malis alienis vni plus, & alteri minus, quàm par est, tribuit. 2, qui minus malorum, quàm debet, in se recipit, & plus alteri relinquit. Hinc rectè inquit Aristoteles, iniqua distributione iniustè agere dantẽ, non accipientem: cum principium iniquę illius actionis non sit in accipiente, sed in dante. Neque iniuriam pati, qui debitâ suâ parte sciens & volens se fraudat. Licèt enim damnum patiatur: tamen aliud est damnum pati; aliud iniuriam pati: siquidem damnum quis etiam sciens & volens pati potest: iniuriam autem nonnisi inuitus. *Quæstio explicatur per distinct.*

38 *An iniustitia rectè distribuatur in lædentem & deferentem: & quæ vtriusq; sit causa impulsiua?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia non tantum iniustus est, qui alteri iniuriam facit; sed etiam qui alium ab iniuria, si potest, non defendit. 2, quia iustitia alia est innocens, per quam homo neminem contra ius lædit; alia defendens, per quam homo non tantum se suosque; sed etiam alios honestis & legitimis mediis defendit. Ergò cum iustitia opponatur *Pro thes. aff.* *Ratio* 1 2.

iniustitiæ, rectè hęc quoque alia dicitur lędens, alia deserens. Et hoc testatur etiam Cicero *lib. 1. Offic. in doctrina de iustitia*, cum inquit: *Iniustitiæ duo genera sunt; vnum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui absis, quibus infertur, si possint, non propulsant iniuriam.* Porrò, causa impulsiua iniustitiæ lædentis secundum Ciceronem modò est perturbatio aliqua, cuiusmodi est ira, metus, &c. modò cupiditas nimia, cuiusmodi est auaritia & ambitio. Deserentis verò modò est fuga incommodorum, vt cum quis aut inimicitias, aut laborem, aut sumptus alterius gratiâ suscipere non vult; modò fuga laborum, hoc est, negligentia, pigritia, inertia; modò nimium literarum studium; modò occupationum multitudo; modò cura nimia rei familiaris vel augendæ, vel tuendæ; modò denique μισανθρωπία, *odium quoddam hominum.*

Qua sit causa impulsiua iniustitiæ lædentis & deserentis.

39 *An pleonexia, meionexia & prosopolepsia sint species iniustitiæ?*

Prothesi negatiua probabiliter disseritur.

SI vocabula, eorumque propria significata respicias, videntur pleonexia, meionexia & prosopolepsia non semper esse species iniustitiæ. Nõ enim semper iniustum est, plus minusve habere, vt si quis plus oneris vel damni, quàm par est, sciens & volens in se recipiat pacis & concordiæ gratiâ, aut animo benefaciendi & inseruiendi aliis, is non potest vllius iniustitiæ accusari: siquidem neque aliis, neque sibi iniuriam facit. Similiter si quis minus lucri quàm debetur, sciens & volens in gratiam proximi sui accipiat, is iniustitiæ culpâ vacat.

Præterea non semper iniustum est, respectum habere personarum: siquidem iustitia distributiua

tiua exigit, vt in distributione præmiorum & pœnarum respectum habeamus personarum, hoc est, vnumquemque præmio & pœnâ pro dignitate & merito personarum afficiamus. Quod si verò vsum horum vocabulorum seu vsitatam & vulgatam significationem spectes, negari non potest, pleonexiam, meionexiam & prosopolepsiam esse species iniustitiæ. Pleonexia enim est vitium morale, per quod homo de bonis externis plus sibi, quàm par est, attribuit, & minus aliis relinquit. Meionexia verò est vitium morale, per quod homo de malis externis minus sibi, quàm par est, attribuit, & plus aliis relinquit. Prosopolepsia est vitium morale, per quod homo aut æqualibus dat inæqualia, aut inæqualibus æqualia, habito respectu ad externas duntaxat personarum qualitates, quæ ad rem seu causam præsentem nihil prorsus pertinent.

Pro thesi affirm.

Pleonexiæ quid sit.

Meionexia quid.

Prosopolepsia quid.

Non igitur prosopoleptes est: 1, qui in distributione præmiorum & pœnarum respectum habet ad dignitatem & meritum personarum. 2, qui de suis bonis vni ex duobus, quibus nihil debet, plus quàm alteri benefacit; etiamsi ambo æqualis sint conditionis & status. 3, qui pro inæquali labore æqualem tribuit mercedem; si modò nihil contra promissionem & conuentionem committat.

Quòd non sit Prosopoleptes.

1

2

3.

Contrà prosopoleptes est: 1, qui vnum plus honorat quàm alterum, non quia dignior est honore; sed quia opulentior est. 2, qui vnum minus punit, quàm alterum; non quia minus promeuerit pœnam, sed quia generis & status est præstantioris. 3, qui mercenariis pro æquali labore contra

Quis sit Prosopoleptes.

1

2

3.

conuentionem inæqualem mercedem persoluit, habita ratione fauoris aut cognationis.

40 *An vllo modo licitum & iustum sit seipsum interficere?*

Pro thes. neg. STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia
Ratio nemo sui iuris est. Ideoque neque ius habet in-
1 terficiendi seipsum. 2, quia omnis homo est seruus
2 Dei. Iniustum autem est seruum alienum contra
3 voluntatem Domini interficere. 3, quia omnis homo est ciuis mundi. Iniustum autem est, ciuem aliquem iniussu legis & magistratus è medio tollere. 4, quia non minus iniustum est hominem
4 vitam à Deo sibi concessam contra voluntatem Dei, ac militem stationem suam, in quâ collocatus est, iniussu imperatoris deserere. 5, quia lex
5 prohibens, ne quis occidat alterum, multò magis prohibet, ne quis occidat seipsum. Quod enim non licet in alterum, id in seipsum non licet. Regula enim charitatis erga proximum est sumenda ab ea charitate, qua diligimus nosmet-
6 ipsos. 6, quia naturale est omni animantium generi seipsum conseruare & tueri, declinareque ea, quæ sibi nocitura videntur. Ideoque naturæ
7 aduersatur qui seipsum interficit. 7, quia nemo seipsum interficit, nisi id faciat ex desperatione & impotentiâ mentis, aut saltem insania mentis. 8, quia nulla bestia seipsam interficit. Multò minus ergò homo, qui bestiâ longè nobilior est creatura. 9, quia qui sponte & deliberato animo seipsum interficit, à magistratu puniri solet partim infamiæ irrogatione, partim sepultu-

ræ ho-

ræ honestæ priuatione. 10, quia idem testatur ænigma Philolai Pythagorici: *Ne diuidas in via lignum*, hoc est, ne in vitæ cursu animam à corpore secernas. Et rectè Plato in Phędone ait: *Cum anima sit nobis a Deo in custodiam tradita, nemo per vim eam extrudere debet.* 10.

Pro thesi affirm.

At in contrariam partem obiici possunt hæc argumẽta: 1, quia homo semper tenetur appetere id, quod est melius. Sed mori interdum melius est quàm viuere: tum quia honesta & glorioſa mors præferenda est vitæ turpi & infami; teste Aristotele *libro* 3, *Ethicorum Nicomachiorum, capite* 9. tum quia melius est non esse, quàm malè & miserè esse: tum quia per mortem homo sæpè liberatur à grauissimis malis vel præsentibus vel imminentibus: tum quia mors est via & ianua ad aliam meliorem vitá. 2, quia honestius & fortius est, sponte à seipso, quàm ab alio interfici. 3, quia bonum est animam ex carcere & compedibus corporis soluere, & natiuæ suæ libertati restituere. Et propterea etiam Seneca ait, quamlibet venam nostri corporis esse viam ad libertatem. 4, quia multi commendantur & laudantur, quod seipsos interfecerint, vt Cato, Curtius, Lucretia. Id autem non fieret, si simpliciter iniustum esset seipsum interficere. Respondeo ad primum argumentum, propositionem non esse simpliciter veram, sed tantum de iis, quæ reuera sunt meliora, non tantum si vtilitatem, sed etiam honestatem spectes. Quæ autem videntur esse meliora; & tamen reuera talia non sunt, siue vtilitatem, siue honestatem spectes, illa nõ licere homini appetere. Quod vero ad assumptionem

Arg. 1

2

3

4.

Respondetur ad argumenta pro thesi affirm. 1

attinet, illa quidem est vera tunc, cum vita est turpis & mors honesta: melius enim est, honestè mori, quàm turpiter vivere: non autem est vera, cum mori turpiter melius iudicatur, quàm miserè & afflictè mori. Ac etiamsi interdum melius sit mori, quàm viuere; & sic homini liceat mortem potius appetere, quàm vitam: si nempe id fiat non ad vitandum naturæ & fortunæ malũ; sed solum ad vitandum mala animi, nempe vitium & peccatum morale, & ad assequẽdum bonum melius ac præstantius; nempe vitam & salutem æternam; tamen inde non sequitur, homini interdum licitum esse, seipsum interficere. Ad bonum enim contendendum est per honesta & licita media; non autem per inhonesta & illicita; cuiusmodi est, sui ipsius interfectio, vt patet ex rationibus supra pro thesi negante allatis. 2 Ad secundum argumentum respondeo, in eo peti principium. Semper enim inhonestũ est & iniustum, seipsum interficere: non autem semper inhonestum & iniustum est, interfici ab alio, quando nimirum id fit à magistratu secundum Iustitiæ regulam. 3 Ad tertium argumentum respondeo, absolutè quidem bonum esse, animam soluere ex carcere & compedibus corporis; sed non cuilibet esse bonum, præsertim ei, qui nullum ius habet soluendi. 4. Ad quartum argumentum respondeo, multos ex prauo & corrupto hominum iudicio commendari & laudari, qui reuerâ non commendationem & laudem, sed vituperationem & infamiam merentur. Et hoc verum esse de Catone, Curtio, Lucretiâ, & id genus aliis. Cato enim partim ex animi mollitie & impatientiâ; partim ex

inuidia

inuidia gloriæ Cæsareæ seipsum interfecit, ne in potestatem Cæsaris veniret. Curtius autem tametsi studio & amore patriæ armatus incitato equo prosiliebat in hiatum in medio foro vrbis Romanæ operâ Diaboli factum: tamen grauiter peccabat ob rationes supra allatas. Denique Lucretia non potest excusari, quod ad vitandam infamiæ publicæ notam immerenti sibi infligendam primum Sexti Tarquinii voluntati satisfecerit, & sic stuprum commiserit: Deinde ex impatientia seipsam interfecerit. Atque hinc etiam patet, quid sentiendum sit de exemplis illarum fœminarum, quæ in Ecclesia Pontificia pro sanctis habentur, quod ad defendendam castitatem & religionem seipsas interfecerint. Non enim sunt faciēda mala, vt eueniant bona; sed ad bonum finem semper per media honesta & licita est contendendum. *Porisma.*

CAPVT XI.

De Virtute heroica.

PRÆCEPTA.

1 *Hactenus explicata est virtus moralis ordinaria, quæ ab aliis dicitur virtus communis seu ciuilis. Restat extraordinaria seu heroica; quæ est virtus moralis hominem supra communem aliorum conditionem & sortem eleuans.* *Virtus heroica defenditur.*

2 *In ea considerandā partim causa & subiectum; partim adiuncta requisita, & apposita.*

3 *Causa virtutis heroicæ alia est efficiens, alia finis.* *De causis virt. heroicæ.*

4 *Efficiens alia est prima, alia secunda.*

5 *Prima est peculiaris Dei afflatus & ductus.*

6 *Secunda alia est mediata, alia immediata.*

7 *Mediata alia est remota, alia propinqua.*

8 *Remota partim est singulare temperamẽtum & dispositio corporis; partim peculiaris naturæ impetus ab eiusmodi temperamento pendens.*

9 *Propinqua partim est optima institutio, & quæ inde oritur, sapientia & doctrina eminens: partim ardens amor & desiderium honestatis & diuinæ conditionis.*

10 *Immediata seu proxima est actuum heroicorum frequens iteratio.*

11 *Finis est partim rerum magnarum præclara susceptio & gestio: partim summa hominis cum Deo assimilatio.*

12 *Subiectum heroicæ virtutis aliud est recipiens, aliud occupans.*

13 *Subiectum recipiens sunt Heroes & Heroinæ, hoc est, personæ illustres, ob eximiam virtutem supra communem hominum cõditionem & sortem eleuatæ.*

14 *Subiectum occupans sunt omnes illæ res, circa quas virtutes ordinariæ versantur; sed quatenus in iis excellentia & eminentia quædam cernitur: Imprimis verò bona publica,*

quæ

quæ gloriam Dei, Reip. felicitatem, salutem q; hominum, præsertim æternam, concernunt.

15 *Adiuncta requisita virtutis heroicæ sunt partim admirabilis impetus & facultas inchoādi præclara & eximia facta: partim singularis celeritas & constantia efficiēdi: partim felicitas seu successus valde secundus perficiendi.* De adiunctis.

16 *Opposita virtutis heroicæ sunt partim feritas seu immanitas voluntaria: partim summa ignauia & ineptitudo voluntaria ad omne virtutis studium.* De oppositis.

17 *Feritas est vitium morale, per quod homo quasi in beluam degenerat, beluinasque actiones exercet.* Feritas quid.

18 *Summa ignauia & ineptitudo voluntaria ad omne virtutis studium, est vitium morale, per quod homo in colenda virtute plane stupidus & frigidus est.*

QVÆSTIONES.

1 *An virtus heroica à communi virtute differat specie?*

SVnt nonnulli, qui statuunt virtutē heroicam à communi non differre specie; sed tantū gradu perfectionis accidētalis, sicut feruor à tepore. Et hoc inde probant, quod virtus heroica nihil aliud sit quàm virtus communis, quatenus adiunctam sibi habet ὑπεροχὴν, h.e. *excellentiam & eminentiam* quandam. Vnde etiam fieri dicunt, vt ab aliis culmen, apex & splendor virtutis communis nuncupetur. Opinio aliorum exponitur.

Pro thesi affirm. Verum pro contraria opinione alii afferũt hæc argumenta: 1, quia virtus heroica eleuat hominẽ
Arg. supra communẽ naturæ humanæ conditionem:
1 id autem non facit virtus communis. 2, quia vir-
2 tus heroica exactius, firmius & splendidius finem
3 suum attingit quàm cõmunis. 3, quia virtus communis, in quoslibet homines cadit ratione valen-
4 tes: Heroica autem non. 4, quia virtus heroica à peculiari Dei afflatu in homine excitatur. Com-
5 munis autem non. 5, quia virtus heroica est præstabilior & honoratior communi; vt testatur Ari-
6. stoteles *lib. 2. Ethic. Nicomach. cap. 1.* 6, quia feritas specie differt à vitio communi, vt in eodem loco testatur Aristoteles: cum ait, tria esse genera eorum, quæ in moribus sunt fugienda, vitium, incontinentiam & feritatem. Et paulò pòst, feritatem esse diuersum genus à vitio communi: Proinde, cum virtus heroica opponatur feritati, quæ Græcè dicitur θηριότης seu θηριωδία; sequitur, illam quoque specie à communi virtute differre.

2 *Quæ sit causa efficiens virtutis heroicæ?*

SVnt quidam, qui virtutem Heroicam non aliunde existere arbitrantur, quam ex singulari Dei afflatu: cum certum sit, Deum & indolem præstantem donare, & singulari quodam impetu homines nonnullos impellere ad res magnas & præclaras gerendas, iisdemque felicitatem supra communem hominum sortem largiri. Hinc Cicero ex Platone ait, nullum vnquam virum magnum extitisse sine peculiari afflatu diuino. Et virtus heroica magis diuina, quàm humana censetur. Sed hæc sententia non est simpliciter vera. Li-

cèt

cèt enim singularis Dei afflatus sit prima causa efficiens virtutis heroicæ: tamen præter hanc dantur adhuc aliæ secundæ sibi inuicem subordinatę. Inter quas vna est *singulare temperamentum* corporis, quod Græcè vocatur ἰδιοκρασία: altera peculiaris naturæ impetus ex tali temperamento resultans: tertia est optima institutio, & quæ inde oritur sapientia & doctrina excellens & eminens. Quarta est ardens amor & appetitus honestatis & diuinæ conditionis, qui secundum Piccolomineum g. 6. Philosoph. ciuilis c. 1. 2. & 8. quasi spiritus est, hominẽ eleuans, heroemq; formans. Vnde etiam quidam nomen Herois deriuant, non ἀπὸ τῆς Ἥρας, *à Iunone*; neque ἀπὸ τοῦ ἔρως, quod sit quasi *terrenus dæmon*; sed ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, hoc est, *ab amore vehementi & ardente* virtutis ac honestatis, per quem homo Deo similis redditur, præclarasque & generosas actiones supra communem hominis conditionem ex se edit. Quinta & vltima, est frequens heroicorum actuum iteratio, quæ nisi adsit, non potest habitus virtutis heroicæ perfectè acquiri.

3 *An virtus heroica in quoslibet homines cadat?*

Aliorum opiniones recensentur.

SEntentiam negantem omnes Philosophi defendunt, sed non eodem modo. Alii enim statuunt virtutem heroicam tãtum locum habere in viris, iisque ex illustri familia ortis. Ideoque eam partim toti fæminarum generi; partim viris obscuro & ignobili loco natis adimunt. 1 Alii verò existimant virtutem illam non tantum in viris, sed etiam fæminis locum habere, qui ob virtutem eximiam actionesque præclaras & admira- 2.

biles sunt illustres, & supra communem hominum conditionem & sortem eleuati, cuiusmodi sunt Heroës & heroinę. Idcircò etiam dicunt Heroës à Poëtis fingi à Deo ducere genus suum; vt significetur, sine peculiari Dei afflatu non posse virum magnum & excellentem in vllo virtutis genere existere. Itemque, semideos appellari, quod propter virtutis excellentiam ad similitudinem Dei proximè accedant. Hinc etiam illis opponi asserunt homines immanes & efferatos, qui ob insignem morum deprauationem & vitiositatem, & in figura humana vitam belluarum imitantur: Ideoque ex homine & fera finguntur oriri, quales sunt homines illi, qui perperam educati feris deteriores euadunt, vt ait *Aristoteles lib.* 1. *Politicorum*.

Posterior opinio approbatur.

Atque hæc postrema sententia priore verisimilior videtur: Ideoque illi præponenda: præsertim cum historiæ testentur non tantum viros multos humili & obscuro loco natos; sed etiam complures fœminas per virtutem eximiam actionesque præclaras euasisse illustres, & in numerum Heroum ac Heroinarum venisse.

4 *In quibus rebus maximè fulgeat & exeratur virtus heroica?*

Recensentur ea in quibus virtus heroica maximè fulget.

VT natura virtutis heroicæ rectius cognoscatur, vtile est, considerare, in quibus rebus maximè fulgeat & exeratur. Primum igitur maximè conspicitur in iis rebus, quas mundus amat & admiratur, alto & excelso animo contemnendis. 2. in iis bonis summo desiderio appetendis, quæ gloriam Dei, Reipublicæ & Ecclesiæ Chri-

1

2

stianæ

ſtianæ commodum, ſalutemque hominum æternam concernunt. 3, in promptè & alacriter aggrediendis & ſuſcipiendis rebus magnis & præclaris, celeriter, expeditè & conſtanter gerendis feliciterque perficiendis. 4, in rebus arduis & aduerſis omnibus magno & infracto animo tolerandis & ſuperandis; præſertim in morte ipſa contemnenda: quæ inter mala corporis maximũ eſt & terribiliſſimum. 5, in promouendo communi bono, neglecto ſuo proprio. 3 4 5.

Sed diligenter cauendum eſt, ne vitium inſigne ſub ſpecie virtutis heroicæ nobis ſurrepat: Multi enim olim habiti ſunt & fortaſſis iam etiam habentur pro heroibus, qui non virtute heroica, ſed vitiis nefandis ac deteſtandis fuerunt nobilitati. In quorum genere ſunt omnes illi, qui ob eximiæ fortitudinis & magnanimitatis gloriam ab omnibus commendantur; propterea quod ſibi ipſi cruentas manus intulerint: cuiuſmodi, verbi gratia, fuit Cato Vticenſis minor, primi pronepos; qui ſuperato Pompeio à Cæſare gladio ſe interfecit. Item, Curtius, qui pro ſalute patriæ armatus & viuus equo proſiliit in foueam in foro Romano obortam. Sic Æneas ab Homero & Virgilio inter Heroas celebratur; quem tamen Lactantius *libro 5. de Iuſtitia*, impietatis crimine damnat; propterea, quod Turnum non repugnantem, ſed precantem interemerit, exiſtimans ſe morte Turni pietatem ſuam erga Pallantem à Turno interfectum magis patefacere poſſe. *Cautela ſub. iungitur.*

5 *An viris heroicis omnia sint faciliora & procliuiora quàm aliis?*

Prothes. aff. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1,
Ratio quia non tantum peculiari naturæ instinctu &
1 impetu feruntur ad agendum; sed etiam singu-
2 lari Dei afflatu & ductu. 2, quia vehementissimo
ardent amore & desiderio virtutis & honestatis,
3 quo excitantur ad agendum. 3, quia oportunita-
tes & occasiones rerum gerendarum maiores ha-
4. bent, quàm alii homines. 4, quia felicitatem &
successum maiorem, quàm alii in agendo à Deo
consequuntur. 4, quia nullis voluptatum illece-
bris à proposito & conatu abstrahuntur, nullis
molestiis & difficultatibus retardantur; sed omne,
quod ipsis obsistit, strenuè perrumpunt. Hinc et-
iam fit, vt cum Deus aliquid singulare & admi-
randum in Ecclesia, Scholis & Rebus publicis vult
efficere, tum excitet heroica ingenia, quorum o-
pera præter omnium spem & exspectationem ce-
leriter & feliciter id perficiat.

6 *An facta Heroum extraordinaria sint imitanda, & quomodo de iis iudicandum?*

Sententia aliorum exponitur & refutatur. SVnt quidam in ea opinione, vt existiment lici-
tum esse cuilibet, facta Heroum, etiam extra-
ordinaria imitari. Sed illi errant grauiter, effici-
untque vt multi, qui volunt esse Heroum imita-
tores, ridiculæ illorum simiæ fiant. Sciendum igi-
tur, facta Heroum extraordinaria neminem imi-
tari debere, nisi qui spiritu & virtute illâ sese in-
structum sentiat, qua illi ipsi Heroes, quos vult
imitari, instructi fuerunt. Hinc etiam fit, vt de fa-
ctis Heroum ordinariâ viâ non semper sit iudi-
candum;

candum : cum sint personæ excellentes & eminentes; neque ordinario, sed extraordinario modo sæpè agant.

7 *An Heroum exitus rarò sint optati & felices?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia Heroes, quando impingunt, grauissimè impingunt: cum impetus habeant vehementes, quos non possunt semper cohibere. Hinc in sacris literis vir sapiens non leuiter desipere dicitur. 2, quia magnitudine inuidiæ tanquam mole quadam premuntur, siquidem idem est inuidiæ & virtutis gradus. 3, quia multis periculis & insidiis sunt obnoxii, quibus non rarò solent opprimi: Idcircò eò ardentius orare debent heroica ingenia, vt à Deo regantur, dirigantur, protegantur & defendantur.

Pro thesi affirm.
Ratio
1
2
3.

8 *An magnanimitas & magnificentia sint Species virtutis heroicæ?*

CVm magnanimitas secundum Aristotelem versetur circa magnos & eminentes honores: magnificentia verò circa magnos & eminentes sumptus; existimare quis posset, vtramque esse speciem virtutis heroicæ.

Sed hæc sententia non potest concedi propter sequentes rationes: 1, quia ab Aristotele cæterisq; Philosophis magnanimitas & magnificentia numerantur inter virtutes communes & ordinarias. 2, quia non eleuant hominem supra communem naturæ humanæ conditionem & sortem. 3, quia non oriuntur ex singulari Dei afflatu. 4, quia cadunt etiam in homines, qui heroico ingenio & animo non sunt præditi. 5, quia ex sola obiecti magnitudine virtus heroica non est æstimanda. Hinc

Thesis neg. defenditur.
Ratio
1
2
3
4
5.

etiam Piccolomineus *in gradu 6. Philosophiæ ciuilis, cap. 5.* rectè ait, non omnem magnificentiam, omnemque magnanimitatem heroicam esse; sed eam tantum, quæ vel maximè fulget, vel ad finem eminentiorem eleuat.

9 *Quid sit feritas, vnde oriatur, & vbi maximè fulgeat?*

SIcut virtus heroica est virtus moralis, hominem supra humanam conditionem eleuans: ita feritas est vitium morale, hominem infra humanam conditionem deprimens. Et sicut virtus heroica oritur partim ex singulari Dei afflatu, partim ex peculiari naturæ optimæ instinctu, partim ex optima institutione, partim ex flagranti amore & desiderio honestatis & diuinæ conditionis, partim denique ex frequenti actuum heroicorum iteratione: ita feritas oritur partim ex singulari Diaboli afflatu, partim ex peculiari naturæ pessimæ instinctu, partim ex pessima institutione, partim ex summo amore & desiderio turpitudinis scelerumque nefariorum; partim denique ex crebra actuum bestialiū iteratione. Hinc sicut virtus heroica hominem in excellenti gradu Deo assimilat: ita feritas hominem omni rectæ rationis vsu priuat, & beluæ in summo gradu assimilat. Et propterea Poëtæ, sicut Heroës fingunt esse semideos: ita feros & immanes homines, qui ex praua educatione & assuetudine humanam naturam quasi exuunt, deterioresque & efferatiores sunt ipsis beluis, fingunt esse terræ filios, qui cum Diis pugnare voluerunt: siquidem terrenis cogitationibus, affectibus & cupiditatibus prorsus sunt dediti, mundique spiritu

ducun-

ducuntur. In quorum numero olim fuerunt Catilina, Sylla, Caligula, Domitianus, & alii magna crudelitate notissimi.

Porrò illa feritas maximè cõspicitur, in iis; 1, qui ita sunt dediti rei venereæ, vt etiam cum bestia congredi non vereantur. 2, qui omnem religionem, pietatem & honestatem contemnunt, pedibusque quasi conculcant, adeoque in Deum maledicta conijcere non dubitant. 3, qui patriam prodere non verentur. 4, qui aliorum miseriis & calamitatibus lætantur, & oblectantur. 5, qui crudis hominum carnibus ex proæresi vesci non verentur. 6, qui cruore inimicorum pascunt oculos, suppliciorumque, quæ de aliis sumuntur intuitu sese oblectant. *Recensentur quædam in quibus feritas maximè cernitur.* 1 2 3 4 5 6.

10 *An feritas sit deterior vitio communi?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia id est deterius, quod præstantiori opponitur. Feritas autem opponitur virtuti heroicæ, quæ præstantior est virtute communi. 2, quia feritas hominem omni rectæ rationis vsu priuat, eumque infra humanam conditionem depressum beluæ in summo gradu assimilat. Vitium autem commune hoc non facit. 3, quia feritas tantum cadit in homines insigni scelerũ turpitudine notatos: vitium autem commune non item. *Pro thes. aff.* *Ratio* 1 2 3.

Sed contra obiici potest hoc argumentum: *Si homo vitiosus, quatenus est vitiosus, deterior est quauis bestiâ*, teste Platone & Arist. *sequitur vitium commune esse deterius feritate. Sed verum prius. Ergo posterius.* Resp. feritatem aliam esse naturalem, aliam morbosam, aliam moralem. Ac vitium quidem cõmune esse deterius, tum feritate naturali, *Obiectio* *Respondetur ad obiect.*

quæ beluarum est propria; tum feritate morbosa: Non autem esse deterius feritate morali: siquidem hæc suâ prauitate superat vitium commune.

11 *Quot sint species tum virtutis heroicæ, tum feritatis?*

CVm virtus heroica & feritas occupentur in iisdem rebus, in quibus versatur virtus communis, & vitium commune; nisi quod in eminentiore gradu in illis quàm in his considerentur: sequitur, tot esse species virtutis heroicæ, & feritatis, quot sunt species virtutis & vitii communis. Hinc alii heroicè vel immaniter agunt circa temperantiæ vel intemperantiæ; alii circa liberalitatis & prodigalitatis; alii circa mansuetudinis & iracundiæ obiectum, & sic deinceps.

Finis Libri tertii.

ETHICÆ GENERALIS
LIBER QVARTVS.
In quo generaliter agitur de actionibus hominum moralibus, quatenus sunt morales.
CAPVT PRIMVM,
De Definitione actionum moralium.
PRÆCEPTA.

1 *Fuit*

EVit Aretologia: Sequitur Praxiologia: quæ est altera pars Ethicæ, tractans generaliter de actionibus moralibus.

2 In illa considerandapartim natura, partim distributio actionum moralium in genere.

3 Natura cognoscitur partim ex definitione; partim ex principiis.

4 Actiones morales sunt motus hominis ad bonum, vel malum morale determinati.

QVÆSTIONES.

1 *An tractatio de actionibus moralibus pertineat ad solam Ethicam; & num à tractatione de virtutibus moralibus sit separanda?*

CVm multæ disciplinæ reperiantur, quæ de actionibus moralibus agant: inprimis verò Oeconomica, Politica, Iurisprudentia & Theologia: videtur necessariò concludi, tractationem de actionibus moralibus ad solam Ethicam non pertinere. Sed sciendum est, actiones morales variis modis posse considerari; & pro diuersa consideratione ad diuersas disciplinas referri. Nam: 1, considerari possunt, quatenus sunt partim entia, partim motus, & actiones substantiæ tam increatæ, quàm creatę competentes: Et sic ad solam metaphysicam pertinent. 2, quatenus sunt motus & actiones naturales corporibus naturalibus conuenientes: Et sic pertinent ad solam Physicam. 3, quatenus sunt actiones morales omni substantiæ intelligenti, aut saltem Deo & Angelis competentes: Et sic iterum absolutè ad Metaphysicam; respectiuè verò ad Theologiam pertinent. 4, qua-

Actiones morales variis modis cõsiderari possunt.

1

2

3

4

tenus sunt actiones morales, soli homini compe-
5 tentes. Et sic rursus considerantur vel generali-
ter, vel specialiter. Priore modo pertinent ad E-
6. thicam, nempe generalem: posteriore modo ad
alias disciplinas practicas. Theologia enim consi-
derat actiones morales hominis, quatenus sunt
piæ, vel impiæ mediaque ad salutem vel mortem
æternam hominem ducentia. Oeconomica, qua-
tenus spectant ad societatem & vitam & felicita-
tem domesticam; Politica, quatenus referuntur
ad societatem & vitam & felicitatem ciuilem;
Iurisprudentia, quatenus iure ciuili definiuntur,
& sunt vel iustæ vel iniustæ æquæ vel iniquæ.

Porrò, cum hactenus nullus ferè Philosopho-
rum moralium fuerit, qui in Ethica tractationem
de actionibus moralibus seorsum instituerit se-
paratam à tractatione de virtutibus moralibus,
videtur nouitatis temeritatis crimen meritò mi-
hi obiici posse. Verum sciendum est, id à me non
temerè & studio nouitatis, esse factum; sed pro-
pter graues causas. Cum enim viderem actio-
nes morales esse res à virtutibus & vitiis morali-
bus omninò distinctas, & ab ipsis differre abso-
lutè tanquam motus à qualitatibus; neque ta-
men in doctrina de virtutibus & vitiis vllum lo-
cum inuenire possem, in quo commodè de acti-
onibus moralibus, earumque natura & distribu-
tionibus generaliter agi queat, putaui hanc do-
ctrinam nullibi melius & magis appositè, quàm
post virtutum moralium tractationem institui
posse: præsertim cum hęc illi magnam lucem pre-
ferre & inferre videatur.

Obiectio. Quod si obiicias, Aristotelem eiusque sectatores

tores de actionibus moralibus in ipsa virtutum doctrina agere, quatenus sunt partim causa efficiens virtutum moralium, & his oppositorum vitiorum, partim quatenus sunt effecta tam virtutum quàm vitiorum: ideoque non opus esse, vt seorsum de iis peculiaris tractatio instituatur: Respondeo, actiones morales ibi non omninò generaliter, neque absolutè considerari; sed partim limitatè, partim respectiuè, quatenus rationem vel efficientis vel effecti induunt. Dantur autem quædam actiones morales, quę ad virtutem & vitium morale neque efficientis, neque effecti rationem habent: vt infra docebitur. *Responsio.*

2 *Quid sint actiones morales, & quomodo a naturalibus & artificialibus differant?*

IN definiendis actionibus moralibus Philosophi inter se dissentiunt. Aliis enim sunt motus hominis naturales modificati: aliis motus hominis spontanei laude vel vituperio digni: aliis operationes hominis voluntariæ honestati seu rectæ rationi cõsentientes, vel repugnãtes: aliis motiones hominis à virtute vel vitio morali prodeũtes. Verum hæ definitiones omnes sunt vitiosæ. Nam prima latior est suo definito: cum etiã actionibus artificialibus competat. Reliquæ verò sunt angustiores suo definito. Non enim omnes actiones morales sunt spontaneæ & voluntariæ; sed dantur quædam etiam, quæ sunt inuitæ, vt suo loco probabitur: Neque omnes sunt vel laude vel vituperio dignæ; sed tantum spontaneæ & voluntariæ: Neque omnes à virtute vel vitio morali prodeunt; sed etiam præcedunt virtutem *Definitiones aliorum recensentur & refutantur.* 1 2 3 4.

& vitium morale, tanquam causa efficiens suum effectum. Proinde reiectis aliorum definitionibus, actiones morales à me definitæ sunt in præceptis, quod sint motus hominis ad bonum, vel malum morale determinati. Hinc igitur facilè colligi & intelligi potest, quomodo à naturalibus & artificialibus differant. Naturales enim actiones non sunt determinatæ ad bonum vel malum morale, sed indeterminatæ: tametsi si bonum & malum naturale spectes, suam etiam habeant determinationem à causis naturalibus profectam. Similiter artificiales actiones, quatenus sunt artificiales, neque ad bonum, neq; ad malum morale sunt determinatæ; sed per se ad vtrumque indifferenter sese habent: interim tamē sunt determinatæ ad bonum vel malum artificiale. Sunt enim ex his aliæ artificialiter bonæ, quæ congruunt cum regula artis: quædam artificialiter malæ, quæ à regula artis discrepant.

Propria definitio assignatur.

3 *An sit discrimen inter mores & actiones morales?*

Homonymia vocabuli moris *excutitur.*

PRo declaratione huius quęstionis excutienda est homonymia vocabuli *moris*. Illud enim: 1, sumitur pro quauis promptitudine naturali benè vel malè agendi: adeoque etiam pro quauis actione naturali ad bonum vel malum naturale determinatâ, siue insit corporibus animatis siue inanimatis, vt cum mores cælo, bestiis, & infantibus tribuuntur. 2, pro consuetudine siue in genere, siue in specie pro consuetudine approbata. 3, pro habitu morali, à quo aliquis dicitur benè vel malè moratus. 4, pro motibus ad bonum vel malum morale determinatis, siue præcedant, siue consequantur habitum moralem. Et in hac postrema

Signif.
1
2
3
4.

Quæstio deciditur

signifi-

significatione mores non differunt ab actionibus moralibus. Ideoque sicut actiones morales aliæ sunt internæ, aliæ externæ: ita etiam mores alii dicuntur interni, alii externi; quorum illi Græcè propriè dicuntur τὰ ἤθη; hi τρόποι.

4 *An actiones morales cadant in omnes homines?*

Quæstio explicatur per distinct.

DIstinguēdum est inter homines vsum rationis habentes, & non habentes. De prioribus vera est thesis affirmatiua quæstionis. De posterioribus verò est falsa. Nam neque infantes, neque moriones, neque deliri & amentes homines, quatenus sunt tales, actionum moralium sunt capaces. Rationes sunt: 1, quia nemo potest edere ex se actiones morales, nisi possit discernere inter bonum & malum morale, seu, quod idem est, inter honestum & turpe. Id autem non potest fieri ab iis, qui vsu rationis destituuntur: quemadmodum nominatim de infantibus hoc probat sacra scriptura *Deuter.* 4. 39. Et Ionæ *cap. vltimo sub finem.* 2, quia in quemcunque cadunt actiones morales, in illum etiam cadunt habitus morales. In illos autem homines, qui vsum rationis non habent, non cadunt habitus morales: cum sint qualitates proæreticæ. 3, quia hominum vsu rationis carentium motus tantum sunt naturales, qui per se neque honesti, neque turpes, neque probi, neque improbi dici possunt.

Ratio 1

2

3.

5 *An ex actionibus moralibus hominis certum possit sumi iudicium de habitu eiusdem morali?*

Pro thesi affirmat. Argum. 1

PRo thesi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia actiones morales partim sunt causæ efficientes habitus moralis, partim eiusdem effecta. Ex causa autem efficiente certum sumi potest iu-

dicium de effecto; & ex effecto de causa efficiente. Sunt enim efficiens & effectum relata, quorum
2 natura est sese mutuo declarare & notificare. 2, quia ἕκαστος οἷός ἐστι, τοιαῦτα καὶ πράττει καὶ λέγει, τὸ ὅπερ ζῇ. hoc est, *qualis quisque est, talia & agit, & dicit, & sic vivit*: seu, quod idem est, talis ipsius est & actio & oratio & vita, teste Aristotele *libr. 4. Ethicorum Nicom. cap. 13.* Et hoc testatur sacra scriptura *Matthæi 12. Bonus homo ex bono thesauro cordis profert bona: Malus homo ex malo thesauro cordis mala*
3 *profert.* Item, *ex abundantia cordis os loquitur.* 3, quia sicut ex fructibus cognoscitur arbor; ita ex actionibus moralibus ipse habitus moralis, à quo
4. illæ promanãt. 4, quia vir probus quatenus prob⁹ nunquã volẽs improbè agit, teste Arist. *lib. 4. Eth. Nic. c. 4.* Sicut contra vir improbus, quatenus improbus, nunquam volens probè agit: non secus, ac arbor bona non potest malos fructus ferre: neque arbor mala bonos fructus ferre.

Obiectio pro thesi neg. Sed in contrariam partem obiici potest, multos homines improbos simulatè & insyncerè agere, suaq; hypocrisi tegere etiam improba facta, vt

Responsio. videantur esse bona. Resp. non ex vna atque altera actione morali certum iudicium sumi posse de habitu morali; sed ex perpetua actionum continuatione & serie, aut saltem ea, quæ plérunque fit, exercitatione. Ideoque licèt interdum homines improbi suâ hypocrisi efficiant, vt tum ipsi videantur probi, tum actiones ipsorũ: tamen si singulos ipsorum mores, totumq; vitæ & actionum cursum sedulò & attentè obseruauerimus, inde habitus ipsorum moralis, & quidem malus, certò deprehendi potest.

6 An

6 *An homo etiam non agendo se bene vel malè moratum declarare possit?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia nõ tantùm facere honestum arguit benè moratum, sed etiam non facere turpe: Similiter non tantum facere turpe arguit malè moratum; sed etiam non facere honestum. 2, quia bene moratus est non tantum qui honestè agit, sed etiam, qui honestè patitur: Similiter malè moratus est, non tantum, qui turpiter agit: sed etiam, qui turpiter patitur. 3, quia sicut peccatũ aliud est commissionis, aliud omissionis; illud, cum malum prohibitum facimus; hoc, cum bonum præceptum non facimus; ita etiam officium rectum aliud est commissionis, aliud omissionis; illud, cum bonum facimus; hoc, cum malum non facimus. *Pro thesi affirm. Ratio* 1 2 3.

Interim tamen notandum est, quod Aristoteles monet *lib. 4. Ethicorum Nicomachiorũ cap. 1.* Τῆς δρετῆς μᾶλλον τὸ εὖ ποιεῖν, ἢ τὸ εὖ πάσχειν, καὶ τὰ καλὰ πρᾶττειν, ἢ τὰ αἰσχρὰ μὴ πράττειν· hoc est, *Virtutis magis est bene facere, quam malè pati, & honesta agere magis, quam turpia non agere.* *Obseruatio.*

CAPVT II.

De Principiis actionum moralium.

PRÆCEPTA.

1 *Principia actionum moralium alia sunt externa, alia interna.*

2 *Externa principia sunt finis & efficiens.*

3 *Finis actionum moralium est boni propositi assecutio, & mali declinatio.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0431
DFG

4 *Efficiens actionum moralium alia est in homine, alia extra hominem.*

5 *In homine efficiens partim est natura, partim intellectus, partim liberum arbitrium.*

6 *Natura est causa efficiens actionum moralium, quatenus per eam intelligitur inclinatio, seu propensio naturalis ad bonum vel malum morale agendum ex temperamento & dispositione corporis orta.*

7 *Intellectus est causa efficiens actionum moralium, quatenus eius ambitu comprehenditur; partim cognitio boni & mali moralis, siue recta siue praua; partim iudicium intellectuale de bono & malo cognito siue rectum siue prauum; partim habitus intellectualis, siue prudentia, siue imprudentia.*

8 *Liberum arbitrium est causa efficiens actionum moralium, quatenus eius ambitu comprehenditur non tantum facultas naturalis, sed etiam ipse actus approbandi vel improbandi, volendi, & nolendi, persequendi vel fugiendi bonum vel malum cognitum ac diiudicatum.*

9 *Extra hominem efficiens alia est præparans, alia impellens.*

10 *Præparans est, quæ hominem extrinsecus disponit ad moraliter agendum: cuiusmodi est educatio, institutio & disciplina siue recta, siue praua.*

11 *Im-*

11 *Impellens est, quæ hominem extrinsecus excitat ad moraliter agendum: cuiusmodi est suasio & dissuasio; laus, & vituperium; præmium, & pœna, & id genus alia.*

12 *Tantum de principiis externis actionum moralium: Sequuntur interna; nempe materia & forma.*

13 *Materia actionum moralium sunt motus naturales.*

14 *Forma est motuum naturalium ad bonum vel malum morale determinatio.*

QVÆSTIONES.

1 *An omnis actio moralis habeat finem aliquem, cuius gratia fiat: & num ille finis semper rationem boni habeat?*

PRo thesi affirmante faciunt hęc argumenta: 1, quia nulla actio moralis fit temerè & frustra; cum rationem pro causa habeat. 2, quia finis est primarium principium vnde actionis moralis siue bonitas siue malitia æstimatur. 3, quia omnis actio moralis fit vel boni alicuius assequendi, vel mali declinandi gratiâ. 4, quia omnis finis est appetibilis. Nihil autem est appetibile nisi rationem boni habeat. *Arg. pro thes. affirm.* 1 2 3 4.

At pro contraria sententia obiici potest: 1, quod appetitio & persecutio finis, quatenus est moralis, sit actio moralis, neque tamen finis alicuius gratiâ fiat. 2, quod improbus sæpè mali alicuius gratiâ agat. *Pro thesi negatiua Obiectio.* 1 2.

Pro decisione quæstionis sciendum est: 1, actionem moralem aliam propter se fieri; aliam pro- *Quæstio decidítur per theorem* 1

pter aliud: Ac de posteriore quidē veram esse thesin affirmantem quęstionis: de priore autem non.

2 2, finem, quatenus est finis, semper habere rationem boni, si non veri, saltem apparentis.

3. 3, finem ex ordinatione naturæ semper esse verum bonum; præter naturam vero & ex peruersione non esse verum, sed apparens bonum teste Aristotele *lib. 2. Eudem cap. 10.*

Respondetur ad obiect.

Quod igitur ad argumenta attinet pro thesi particulari negante allata; in primo fateor appetitionem & persecutionem finis quatenus est finis, si sponte & certâ ratione fiat, esse actionem moralem, neque finis alterius gratiâ fieri; sed illam esse ex numero actionum moralium, quæ propter se fiunt: ideoque thesin affirmantem quæstionis, quæ de iis non est intelligenda, non impugnare.

1

2. In altero argumēto fateor improbos multa quidem sæpè mali alicuius gratiâ agere; non tamen vllum malum habere rationem finis per se, quatenus est malum; sed quatenus ex errore iudicii induit rationem alicuius boni.

2 *An actiones morales pendeant a temperamento & dispositione corporis?*

Pro thesi affirmatiua Argum.

PRo thesi affirmante quæstionis faciunt hæc argum. 1, quia ex temperamento & dispositione corporis oriuntur naturales inclinationes & propensiones ad moraliter agendū. 2, quia historię & experientia communis testantur, pro varietate locorum, anni, temporum, alimentorum, ætatum & vitæ generum variari temperamēta corporum; & sic mores ipsos hominum variari. Hinc Aristoteles in procemio de anima asserit, ob varietatem temperamenti alios esse iracundos, alios

1

2

mites,

mites, alios intrepidos, alios formidolosos. 3, quia fundamentum artis Physiognomicæ est, quod *mores sequantur temperamentum & dispositionem corporis.* Idcircò etiam Galenus librum composuit, in quo auctoritate experientiâ & rationibus probat, mores sequi temperamentum corporis.

At contra hanc sententiam obiici potest, actiones morales pendere partim à libero arbitrio, partim ab educatione & institutione siue rectâ siue prauâ: Ideoque earum efficientiam nō rectè asscribi temperamento & dispositioni corporis. *Obiectio.*

Respondeo, vnius effecti posse esse multas causas efficientes per se sibi inuicem subordinatas, quarum aliæ sint remotiores, aliæ propinquiores; easque inter se non pugnare, sed suaui harmoniâ consentire. Actiones igitur morales pendere à temperamento & dispositione corporis tanquam à causa efficienti remotiore: à libero arbitrio verò & educatione ac institutione, tanquam à causa efficiente propinquiore. *Responsio.*

3 *An intellectus sit principium efficiens actionum moralium?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia intellectus versatur non tantum circa verum & falsum; sed etiam circa bonum & malum, sine quarum rerum notitiâ actiones morales fieri nō possunt. 2, quia ab intellectu pendet voluntas, quatenus homo nihil vult, nisi quod intelligit; & quidem sic vult, vt intelligit. Notitia enim boni & mali regit partim approbationem & improbationem; partim volitionem & nolitionem; partim persecutionem & fugam boni & mali cogniti. Et qualis ac quanta est notitia boni; *Protheſi affirm.* *Ratio* 1 2

talis & tanta est etiam eiusdem approbatio, volitio, & persecutio. Contrà, qualis & quanta est notitia mali: talis & tanta etiam est eiusdem improbatio, nolitio & fuga. Hinc orta sunt illa axiomata: *Ignoti nulla cupido. Tantum quisque vult, quantum intelligit se velle debere. Claritas notitiæ in intellectu parit ardorem in voluntate.* Et contra, *Obscuritas notitiæ in intellectu parit ignauiam in voluntate. Tantum diligimus, quantum cognoscimus.* Item, *Error in intellectu, parit errorem in voluntate. Peccatum morale præsupponit peccatum intellectuale.*

3 3, quia communis opinio Philosophorum est, actionum moralium duo esse principia, Rationem & Appetitum: quarum illa iudicet, quid sit bonum vel malum: hic verò incitet ad bonum persequendum & malum fugiendum. Hinc Aristoteles *libr. 1. Ethicorum Nicomach. cap. vltimo*, asserit, Rationem semper ad optima hortari hominem: sed appetitum rationi repugnare & reluctari instar membri paralytici, quod dextrorsum

4. motum sinistrorsum perperam fertur. 4, quia iudicium intellectuale, quod consistit in discretione veri & falsi, boni & mali, præsupponit notitiam rerum circa quas versatur: & qualis est notitia, tale etiam est iudicium. Ab illo autem iudicio pendent actiones morales. Ergò etiam ab intellectu.

4 *An liberum arbitrium sit principium efficiens actionum moralium?*

Pro thesi affirm. STatuitur thesis affirmatiua, quatenus per liberum arbitrium intelligitur, non tantum facultas naturalis; sed etiam actus approbandi, vel improbandi; volendi, vel nolendi; persequendi, vel fugien-

fugiendi bonum vel malum cognitum ac diiudicatum. Rationes sunt: 1, quia homo liberè potest actiones suas naturales determinare vel ad bonũ, vel ad malum morale, vt infra suo loco copiosè probabitur. Illa autẽ determinatio nõ potest fieri sine libero arbitrio. 2, quia penes hominem est bonum vel malum ab intellectu monstratum & indicatum approbare, vel improbare; velle, vel nolle; persequi, vel fugere. Actiones autem morales operationes in se includunt, aut saltem sine his fieri non possunt, perinde ac effectum sine causa efficiente fieri nequit. 3, quia propterea Deus hominem in prima creatione libero arbitrio donauit & instruxit, vt eo ad benè agendum vtatur: tametsi homo illo præclaro dono Dei sæpè ad malè agendum etiam abutatur.

Ratio 1

2

3.

§ *An consultatio sit principium efficiens actionum moralium: & de quibus rebus institui possit?*

ETsi nonnullæ actiones morales sine consultatione fiant; tamen negari non potest, multas consultatione indigere, & sine ea commodè fieri non posse; nimirum omnes illas, quæ dicuntur proæreticę, habitumque virtutis & vitii moralis vel antecedunt tanquam causa efficiens, vel consequuntur, tanquam effectum. Idcircò etiam Aristoteles *libr. 3. Ethicorum Nicomach. cap. 5.* de consultatione tanquam principio habituum & actionum moralium, prolixè tractat. Cæterum, cum in omni consultatione duo potissimum sint spectanda, nempe obiectum seu res, de qua consultari possit & debeat, & modus, quo cõsultatio sit instituenda: primum omnium de obiecto il-

Thesis affir. defenditur.

lius est agendum. Sciendum igitur est, nõ omnes res sub consultationem cadere; sed tantum illas, quæ ad nos pertinent, in nostraq; sunt potestate, vt fiant, vel non fiant, nobisque sunt ignotę & dubiæ, vt docet Aristot. *lib. 3. Eth. Nic. cap. 5. & lib. 1. Rhet. c. 4.* Remouentur igitur ab obiecto consultationis: 1, res necessarię, quæ vel semper sunt & nunquã fiunt; vel fiunt quidẽ, non tamẽ à nobis, sed aut à Deo solo, aut eius famulâ naturâ. 2, res contingentes, quarum effectio non est in nostrâ potestate; aut etiamsi sit, tamen vel sunt alienæ à nobis, h.e. neque ad nos, neq; ad nostros, nempe eos, qui nostræ curæ sunt commissi, spectant: vel nobis notę sunt ac certę. Hinc rectè Arist. in citato loco docet, hominẽ consultare nõ de fine sed de mediis, quæ ad finẽ ducunt. Et hoc probat ab exemplo Medici, Oratoris, & Politici & aliorũ artificũ, qui nõ deliberant de fine suo proprio; quippe quem cognitũ & certò sibi propositũ habent; sed duntaxat de mediis idoneis, quibus illum finẽ assequi possunt. Idem *lib. 2. Eud.* c. 10. disertè ait: Περὶ μὲν τὸ τέλος οὐ βουλεύεται, ἀλλὰ τοῦτ' ἔστιν ἀρχὴ καὶ ὑπόθεσις, ὥσπερ οὖν τοῖς θεωρητικοῖς ἐπιστήμαις ὑποθέσεις· οὐδὲ ἡ περὶ τὸ τέλος φρόνησιν ἡ ζήψις καὶ μὴ τέχνης, ἢ ἄνευ τέχνης πῶς ἴσιν· h.e. *De fine quidem nemo deliberat, sed ille principium est & fundamentum, quemadmodum in contemplatiuis scientiis hypotheses: De iis verò, quæ ad finem ducunt, cõsideratio partim artificialis, partim inartificialis omnibus est.* Idcircò etiam cõsultatio à Piccol. *gradu 2. Philos. p. mihi c. 21.* definitur, quod sit inuestigatio per rationem mediorum latentium, quæ ad nos pertinent, & in nostra sunt facultate, vt potiora inueniamus pro cõsequen-

sequendo medio. Cum qua sententia etiam congruit assertio aliorũ rectè intellecta, qui statuunt, sub deliberationẽ cadere neque præterita, neq; fortuita, quæ ex casu aut fortuna pendent; neque absolutè necessaria; neq; necessaria ex hypothesi causarum naturalium eodem semper modo agẽtium, neque ea quæ ad nos nihil pertinent, nec in nostra sunt potestate sita: Sed humana tantũ negotia, in quibus vel cõsequendis & efficiendis, vel mutandis & emendandis, vel declinandis humana ratio & industria aliquid præstare potest.

Dubitationes mouentur.

Sed hoc loco occurrunt quędam dubitationes seu difficultates, quæ remouendæ sunt, vt veritas quæstionis magis eluceſcat. Prima dubitatio est, 1
vtrum simpliciter verum sit, quod consultatio tantum fiat de rebus, quæ in nostra sunt potestate, & ad nos pertinent. Nam experientia testatur, consiliarios principum, itemque parentes sæpè deliberare de rebus, quæ non in sua, sed suorum dominorum & filiorum sunt potestate, & ad illos pertinent. Secunda dubitatio est, vtrum 2
simpliciter verum sit, quod consultatio fiat non de fine, sed de mediis ad finem ducentibus? Experientia enim testatur, hominem sæpè deliberare de fine, vtrum nimirum hoc vel illud vitæ genus sequi; vtrum huic vel illi facultati aut opificio operam dare debeat? Tertia dubitatio 3.
est, vtrum etiam consultatio in artibus locum habeat?

Soluuntur dubitationes

Ad primam dubitationẽ respondeo, consultationẽ semper esse de rebus, quæ ad nos pertinent, 1
& in nostra sunt potestate: sed per nos non tantũ intelligẽdos esse nos individuos, sed omnes, q ad

nos pertinent, siue cognationis, siue amicitiæ, siue officii ratione; Et sic etiam consiliarios & parentes rectè dici deliberare de suis rebus, quando deliberant de rebus ad suos dominos & filios pertinentibus; cum personam eorum repræsentent. Ac etiamsi interdum homo exercitii gratiâ consultet de rebus alienis, vt rectius actiones suas instituere valeat, & prudentior euadat: tamen id semper facit ex hac hypothesi; Si res illæ ad me pertinerent, vterer his mediis.

2 Ad alteram dubitationem respondeo, finem alium esse vltimum, alium subordinatum seu intermedium. De priore; simpliciter verum esse, quod nulla prorsus deliberatio instituí soleat: cum per se notus sit & expetendus. De posteriore autem non item: cum de eo quandoque deliberetur, quatenus relatus ad vltimum finem suscipit rationem medii, quo ille acquiri ac effici potest. Et sic consultatio de genere vitæ seu studiorum, est quidem de fine subordinato; non tamen quatenus est finis; sed quatenus est medium ad finem vltimum ducens. *Obseruatio* Vbi etiam obseruandum est, aliud esse consultare de fine, aliud consultare pro fine. Dum enim consultamus de mediis, consultamus quidem pro fine, sed non de fine.

3. Ad tertiam dubitationem respondeo, in artibus consultationem locum habere, quatenus dubitatio incidit vel de diuersis opinionibus, vtra potius sit approbanda & eligenda: vel de diuersis mediis ad eundem finē spectantibus, vtrum potius sit eligendum & sequendum.

Modus legitimus instituendi consultationem explicatur.

6 *Quomodo consultatio sit instituenda, & cur?*

MOdus instituendi consultationem consistit in tri-

in tribus potissimum: 1, in certi finis constitutione. 1
Necesse enim, vt consultandi certus finis sit propositus tanquam scopus ad quem collineet, & quē cupiat obtinere. Nisi enim hoc fiat, consultatio ipsius erit vana & temeraria. 2, in inquisitione mediorum idoneorum ad finem ducentium. 2
Necesse enim est, vt fine constituto deliberetur de mediis, quib⁹ finis obtineri possit. In illis verò spectari debet partim numerus, partim qualitas. Quod ad numerum, videndum est, vtrum paucis, an pluribus mediis opus sit ad assequendum finem. Et si pauciora sufficere videntur, plura non sunt eligenda. Non enim debet per plura fieri, quod per pauciora fieri potest: cum in pluribus semper cōfusio & lapsus sit facilior, quàm in paucioribus. Quoad qualitatē, videdum est 1, vtrum media sint honesta, an turpia; vtilia, an inutilia; facilia, an difficilia; possibilia, an impossibilia. Et ex his media, honesta, vtilia, facilia & possibilia sunt eligenda, reiectis turpibus, inutilibus, difficilibus & impossibilibus. Deinde comparatio est instituenda inter ipsa media eligenda, vtra sint honestiora, vtiliora, faciliora magisque possibilia. Et hæc iis, quæ minus talia sunt, in electione sunt præponēda. Ad quam rem etiam plurimum prodest comparatio præsentium cum præteritis, & futurorum cum vtrisque. 3, in vsu & applicatione 3.
mediorum inuentorum & electorum ad finem propositum. Prouidendum enim est consultanti, quomodo mediis idoneis à se inuentis & electis rectè vti possit, eaq; ad finem appositè applicare. Id autē fiet, si primum vltima cum primis, & media cum vltimis nō cōfundantur, sed ab eo, quod

in analysi finis seu inuentione est vltimum & remotissimum, initium fiat in executione & effectione: & sic per intermedia subordinata ordine progressus fiat, donec ad proximum medium, quod cum fine immediatè cohæret, perueniatur. τὸ δ' ἔσχατον ἐν τῇ ἀναλύσει πρῶτον ἐν τῇ γενέσει, hoc est, *Quod vltimum est in resolutione seu inuentione, id primum est in generatione seu executione*; vt docet Aristoteles *lib. 3. Ethicorum Nicomachior. cap. 5.* Deinde si idonea auxilia & instrumenta adhibeantur per quæ media rectè deliberata executioni mandentur. Denique si opportuna occasio executionis obseruetur, ne vel nimis cito, vel nimis tardè rem aggrediamur. Id quod etiam monet tritum illud adagium, σπεῦδε βραδέως, *festina lentè*: quo significatur tempestiuam celeritatem cum prudenti tarditate esse miscendam & quasi temperandam.

Causæ impulsiuæ consultationis explicantur.

Porrò, causæ, quæ impellunt hominem ad cõsultandum, sunt duæ præcipuæ. Prima est ignorantia mediorum, quibus finem propositum assequi licet. Altera est dubitatio de mediis, quæ sint potiora, aliisque præferenda. Cum enim nota & certa sunt media, homo non consultat; sed potius dat operam, vt media illa eligat & exequatur. Cum verò sunt ignota & dubia, homo deliberat de iis, donec illa certò exploraverit & cognouerit: aut si ipse per imperitiam & imprudentiam hoc non potest præstare, alios prudentiores in consilium adhibet. Hinc Aristoteles *cap. 5. libro 3. Ethicorum Nicomachiorum* inquit: Συμβούλους δὲ λαμβάνουσι εἰς τὰ μεγάλα, ἀπιστοῦντες ἑαυτοῖς, ὡς οὐχ ἱκανοῖς διαγνῶναι. *Ad res magnas alios in consi-*

consilium adhibemus nobis ipsis diffidentes, quasi minus ad eas dispiciendas ac diiudicandas idonei.

Ex quo patet, consultationem rectè distingui in solitariam & sociam. Interdum enim homo solus secũ deliberat, cum nimirũ vel res, de qua deliberandum est, est secretissima; vel amicus fidelis non est ad manus, vel denique res non patitur moram. Interdum verò cum alio deliberat, qui est vir bonus, prudens, ipsique amicus & fidelis. *Porisma.*

7 *An praelectio sit principium efficiens actionum moralium & quomodo a consultatione differat?*

ARistoteles *lib. 3 Ethic. Nicom. cap. 5. & libr. 2. Eud. cap.* 10. inter principia efficientia virtutum & actionum mor. numerat προαίρεσιν, hoc est, *praelectionem*. Idcirco etiã eam definit, quod sit ὄρεξις βουλευτὴ τῶν ἐφ' ἡμῖν, *appetitio consulta rerum, quae in nostra sunt potestate.* Cuius definitionis sensus est, praelectionem esse appetitionem mediorum idoneorum, per consultationem inuentorum ad consequendum finem. Quæ sententia Philosophi vera quidem est, cum de habitibus moralibus, tum de actionibus, quę habitus morales, aut antecedunt tanquã causa efficiens, vel cõsequuntur, tanquam effecta; nõ autem de omnibus actionibus moralibus: cum quædam sint spõtaneæ, sed inconsultæ & ἀπροαίρετοι, quædam verò etiã inuitæ, vt suo loco infra docebitur. Licet autem praelectio cum cõsultatione conueniat obiecto; quod vtraque versetur non circa res necessarias & impossibiles; neq; circa res contingentes, *Praelectio quid sit.*

quæ in potestate nostra non sunt, vt fiant vel non fiant; neque ad nos pertinent; neque circa finem, sed circa media ad finem ducentia: tamen differt ab eadem: 1, ordine naturę; quod consultatio precedit præelectionem, præelectio verò sequitur consultationem. 2, definitione: quod consultatio est inquisitio mediorum idoneorum ad finem ducētium: præelectio verò appetitio mediorum, quæ per consultationem sunt inuenta & idonea iudicata. 3, effecto, quod consultatio hominem dirigit ad agendum; præelectio verò exequitur.

Differentia explicatur.

1

2

3.

8 *An præelectio differat à volitione?*

Opinio Aristotelis exponitur.

SEntentiam affirmantem defendit Aristoteles prolixè *libr. 3. Ethicorum Nicom. cap. 5. & lib. 2. Eudem. cap. 10.* Licèt enim concedat, præelectionem conuenire cum volitione, partim genere proximo, quod est appetitio; partim obiecto generali, quod est bonum aliquod, partim subiecto recipiente, quod est homo, partim causa efficiente communi, quæ est partim cognitio, partim iudicium intellectuale: tamen eandem docet differre à volitione; 1, quod præelectio præsupponit consultationem, per quam vnum alteri præfertur, ab eaque immediatè tanquam à causa efficiente pendet: volitio autem non. 2, quod volitio versatur circa finem: præelectio verò circa media ad finem ordinata. 3, quod præelectio versatur tantum circa ea, quæ in nostra sunt potestate, & ad nos pertinent: volitio verò etiam circa ea, quæ in nostra potestate non sunt, neque ad nos, sed ad alios pertinent: imò, etiam circa ea, quæ sunt impossibilia vel simpliciter, vel nobis. 4, quod præelectio soli ineſt homini, qui vsum rationis habet, & ad

In quare differat.

1

2

3

4.

& ad consultandum est aptus: Volitio verò etiam iis, qui contrario modo sunt affecti; cuiusmodi sunt pueri, moriones, deliri, &c.

Verum contra hanc sententiam Aristotelis dubitationes moueri possunt. Nam: 1, omnis appetitio rationalis est volitio: Cum igitur præelectio sit appetitio rationalis, sequitur illam esse volitionem. 2, quia commune est dogma Philolosophorum, *Qui vult finẽ, vult etiam media, ad finem ducentia.* Quod si hoc est verum, sequitur falsum esse, quod volitio tantum finem respiciat. 3, quia ipse Aristoteles *lib.* 2. *Eudem. cap.* 10. expressè sibi contradicit, cum ait; ἅπαντες βουλόμεθα ἃ καὶ προαιρούμεθα· οὐ μὲν τοιγε ἃ βουλόμεθα πάντα προαιρούμεθα. *Omnes volumus quæ præeligimus; non tamen quæ volumus, omnia præeligimus.* Vt igitur veritas quæstionis ꝓpositæ innotescat, simulque dubitationibus iam motis occurratur, sciendum est, vocabulum *volitionis*, modò in trita & propria significatione vsurpari pro qualibet appetitione rationali, siue circa finem, siue circa media ad finem ducentia versetur; siue eam præcedat consultatio, siue non: modò in stricta & impropria significatione sumi pro solâ illâ appetitione rationali, quæ circa finẽ versatur. Secundum priorem igitur significationem volitio est genus præelectionis, nec ab ea distinguitur tanquam res toto genere diuersa. Secundum posteriorem autem significationem præelectio & volitio differunt eo modo, quo ex Aristotele traditum fuit. Quamobrem etiam non malè videtur volitio tanquam genus diuidi in volitionem inconsultam, & consultam. Inconsulta enim est appetitio finis: Et propterea dicitur in-

Dubitationes contra opinionem Aristotelis mouentur.

1

2

3.

Quæstio deciditur per distinct.

consulta, quia de fine nunquam instituitur consultatio, sed is semper tanquam principium supponitur. Consulta volitio, est appetitio mediorum ad finẽ consequendum idoneorum: Et propterea dicitur consulta, quia de mediis homo deliberat & consultat tam diu, donec cognoscat, quæ sint aut simpliciter, aut magis idonea & vtilia pro consequendo fine.

9 *An præelectio differat ab opinione?*

Pro 1. sit affirmatiua Argum.

SEntentiam affirmantem idem Aristoteles defendit *lib. 3. Ethicorum Nicomachiorum cap. 4. & lib. 2. Eudemior. cap. 10.* Argumenta ipsius sunt: 1, quia præelectio tãtum versatur circa res agendas, & quæ in hominis sunt potestate. Opinio verò circa omnes res, quarum est aliqua notitia; & sic

1

2 etiam circa res impossibiles. 2, quia opinio vera & falso distinguitur: proæresis verò bono & malo.

3 3, quia à præelectione homo dicitur bonus vel malus: ab opinione non item. Verba Aristotelis sunt, πῶς προαιρεῖσθε τἀγαθὰ, ἢ τὰ κακὰ ποῖοί τινές ἐσμεν· τῷ δ' δοξάζειν ἐ· *Eligendo bona vel mala cuiusdam modi*

4 *sumus; opinando verò non.* 4, quia præelectionis finis seu effectum est persecutio & fuga rei: opi-

5 nionis autem non. 5, quia præelectio laudatur à rectitudine seu bonitate: Opinio verò à veritate. 6, quia præelectio est eorum, quæ maximè scimus esse bona: Opinio verò eorum, quæ non omninò scimus. 7, quia non iidem videntur eligere optima & opinari: sed nonnulli melius quidem opinari; sed ob animi vitium non eligere, quæ decet. 8, quia ex opinione consultatiua existit præelectio.

6

7

8.

10 *An*

10 *An volitionis obiectum sit bonum duntaxat?*

CVm bonum aliud sit verum, aliud apparens, Socratici quidē putarunt, volitionis obiectum esse tantū verum bonum: Academici verò statuerunt esse solum apparens bonū. Sed vtramque opinionem refutat Arist. *lib.* 3. *Ethic. Nic. c.* 6. Ex priore enim ait sequi malum id, quod improbus vult aut voluntati non subiici; & sic ipsum inuitum peccare: aut si voluntati subiiciatur, id esse bonum. Ex posteriore verò ait sequi, nihil suâ naturâ esse expetendum; sed id solum, quod cuique videretur: & sic res expetendas sæpe inter se esse contrarias: cum aliud aliis videatur expetendum. Proinde Aristoteles mediam sententiam inter has duas extremas defendit; nempe, obiectum voluntatis, neque esse solum verum bonum, neque solum apparens bonum; sed vtrumque: ita tamen, vt verum bonū simpliciter & suâ naturâ voluntati subiiciatur: apparens verò non. Idcircò etiā addit, virum bonum nihil velle, nisi verum bonum: propterea quod singula rectè diiudicat, & in singulis verum perspicit, quasi eorum norma sit ac mensura. Improbum verò sæpè velle bonum apparens: propterea quod corruptum habeat de rebus iudicium, & quicquid iucundum est, bonum & expetendum esse arbitretur; etiamsi reuera malum sit, hoc est, turpe & noxium: non secus ac homini ægroto sæpè salubria & expetenda videntur, quæ reuera sunt insalubria & auersanda.

Aliorum opiniones recensentur.

1

2

3.

Sed contra thesin affirmantem quæstionis videtur obiici posse id, quod Aristoteles affirmat *libr.* 2. *Eudem. cap.* 10. cum inquit: ἡ βούλησις φύσει μὲν τοῦ ἀγαθοῦ ἐστι, παρὰ φύσιν δὲ, τοῦ κακοῦ. καὶ βούλεται φύσει μὲν τὸ

Obiectio.

ἀγαθὸν, παρὰ φύσιν δὲ καὶ διαστροφὴν καὶ τὸ κακόν· *Voluntas natu: â quidem est boni; præter naturam verò mali; & vult natura quidè bonum, præter naturam verò & ex peruersione etiam malum.* Respondeo, malum quidem cadere sub voluntatem; non tamen quatenus est malum; sed quatenus bonum apparet, seu quatenus speciem & apparentiam boni præ se fert.

Responsio.

11 *An persuasio vim habeat cogendi hominem ad moraliter agendum?*

Thesis neg. defenditur.

SVnt nonnulli, qui putant se coactè agere, cum aliquid ab aliis persuasi agunt. Ideoque ad excusanda sua facta dicunt se persuasos ea fecisse. Verum hæc opinio est erronea. Rationes sunt: 1, quia in libero hominis arbitrio est, vel approbare aliquid, vel improbare. Ideoque persuadendo effici non potest, vt homo aliquid inuitus vel approbet, vel improbet. 2, quia persuasio non est proximum principium moraliter agendi, sed partim volitio, partim proæresis; quarum vtraque per se est libera seu indifferens ad vtrumque oppositorum. 3, quia quicquid homo ex persuasione agit, id sine molestia & cum iucunditate agit. Omne autem violentum est molestum; & nihil quisquam vi agit quod gaudens agit, vt testatur Aristoteles *lib. 2. Eud. cap. 8.* 4, quia violentia & necessitas videtur opponi persuasioni in rebus agendis, vt ibidem docet Philosophus.

Ratio 1 2 3 4.

12 *An principium proximum efficiens actionum moralium sit in homine?*

Pro thesi affirm. Ratio 1

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia homo per naturam particeps est liberi arbitrii, cuius beneficio potest operationes suas natu-

naturales determinare vel ad bonum, vel ad malum morale, vt *in Anthropologia c.2.probl.* 7. prolixè probatum est. 2, quia homo per assuetudinẽ contrahit sibi habitum moralem, qui principium internum est benè vel malè agendi. Vnde homo dicitur sponte esse probus vel improbus. 3, quia leges traduntur de iis rebus, quæ ab homine fieri, vel non fieri possunt. 4, quia homo ob actiones morales vel laudatur, vel vituperatur. Id autem non fieret, nisi in eo esset principium proximum eiusmodi actionum. 5, quia ad hominem diriguntur & instituuntur suasiones, & dissuasiones; hortationes, & dehortationes. Id quod frustrà fieret, nisi penes hominem esset principium proximum actionum moralium. 6, quia hominem sæpè pœnitet, quod hoc vel illud egerit. Id verò non contingeret, nisi in se haberet principium agendi cõtrarium. 7, quia homo in libris moralibus ab Aristotele dicitur modò principium, modò parens, modò dominus suarum actionum. Et vulgò idem dicitur suæ fortunæ faber, hoc est, tam felicitatis, quàm miseriæ suæ auctor. Id autem falsum esset, si in illo non esset principium proximum actionum moralium.

2 3 4 5 6 7.

13 *An actiones morales constent ex materia & forma, & quæ illæ sint?*

VVlgò in schola Peripateticorum omnis motus traditur esse expers materiæ & formæ. Quę sententia etsi vera est de motu naturali, quatenus est absolutus & indeterminatus: tamen falsa est de motu morali & artificiali. In illis enim motus naturalis fungitur officio materiæ; modificatio autem seu determinatio officio formæ.

Sentent. affirmatiua defenditur.

Non autem quælibet determinatio est forma specifica actionum moralium; sed tantum illa, quę ad bonum, vel malum morale dirigitur, quęque facit, vt actiones morales vel congruant cum regula honestatis, vel ab eadem discrepent. Sed contra obiici potest, actiones morales nihil aliud esse, quàm motus naturales, certo modo determinatos. Ideoque cum genus non sit materia suę speciei; neque motus naturales posse esse materiã actionum mor. Respondeo, committi in obiectione illâ fallaciam petitionis principii. Non enim tantum falsum genus sumitur pro vero; sed etiam falsa definitio pro vera. Motus siquidem naturales non possunt esse genus actionum moralium, quatenus sunt morales; cum his definitio illorum nõ competat. Et sic neque definitio consistere potest.

Obiectio.

Responsio.

14 *An sine vi & concursu naturæ vlla actio moralis ab homine edi possit?*

Pro thesi negatiua

Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia ad omnem actionem moralem constituendam requiritur motus aliquis naturalis, tanquam materia. Nullus autem motus naturalis potest fieri sine vi & concursu naturæ, hoc est, sine causarum naturalium efficientiâ. 2, quia *Omnis actio determinata præsupponit absolutam*, vt libr. 5. Metaphys. c. 4. Q. 19. docetur. *Actio autem moralis est actio determinata. Ergò illa quoque præsupponit absolutam.* Hæc autem sine vi & concursu naturæ fieri non potest. Proinde errant illi, qui ab actionibus moralibus omnem naturæ concursum & efficientiam excludunt.

Ratio 1

2.

Error aliorũ taxatur.

CAPVT

CAPVT III.

De Distributione actionum moralium in genere.

PRÆCEPTA.

1 *Adhuc de natura actionum moralium: Sequitur earundē distrib. quæ in genere est triplex.* Distributiones actionū moralium exponuntur. 1

2 *Prima distributio est, quod actio moralis alia est simplex, alia mixta.*

3 *Simplex actio moralis est, quæ vnius & eiusdem est naturæ.*

4 *Estque vel spontanea, vel inuita.*

5 *Spontanea est, quæ fit ab homine ad agendum propenso, & cognoscente singulas actionis circumstantias.*

6 *Est q; vel consulta, vel inconsulta.*

7 *Consulta est, quæ fit deliberato animo & ex certa proæresi.*

8 *Inconsulta est, quæ fit sine deliberatione & proæresi.*

9 *Vtraque vel antecedit habitum moralem, vel consequitur.*

10 *Antecedens actio est, quâ habitus moralis acquiritur.*

11 *Consequens actio est, quâ habitus moralis iam acquisitus exercetur & declaratur.*

12 *Inuita actio est, quæ ab homine fit vel per ignorantiam vel per vim.*

13 *Est q; vel imprudens, vel violenta.*

14 *Imprudens actio est, quæ fit per ignorantiam facti pœnitentem.*

15 *Violenta actio est, quæ fit à principio externo contra hominis agentis propensionem & voluntatem.*

16 Mixta actio moralis est, *quæ simpliciter neque est spontanea, neque violenta; sed mediæ naturæ, & per negationem extremorum dicitur* non spontanea, non inuita.

2 *Distrib.* 17 *Altera distributio est, quod actio moralis alia est bona, alia mala.*

18 *Actio bona est, quæ ad bonum morale est determinata.*

19 *Actio mala est, quæ ad malum morale est determinata.*

3 *Distrib.* 20 *Tertia distributio est, quod actio moralis alia est interna, alia externa.*

21 *Interna est, quæ per se sub sensum hominis externum non cadit.*

22 *Externa est, quæ per se sub sensum hominis externum cadit.*

QVÆSTIONES.

1 *An omnis actio moralis rectè & sufficienter dividatur in spontaneam & inuitam?*

Prima sententia aliorum exponitur. REperiuntur nonnulli Philosophi, qui putant, omnem actionem moralem esse spontaneam, & nullam inuitam. Rationes ipsorum sunt: 1, *Ratio* 1 quia omnis actio moralis est operatio, cuius principium est in agente & sciente singulas actionis circum-

circumstantias. 2, quia nihil per se dignum est laude vel vituperio, præmio vel pœnâ, nisi sit spontaneum. Cum igitur omnis actio moralis digna sit laude vel vituperio, præmio vel pœnâ: sequitur omnem actionem moralem esse spõraneam. 3, quia omnis actio moralis aut præcedit habitum moralem tanquam causa illius efficiens; aut consequitur tanquam effectum. Nulla autem operatio potest esse vel efficiens habitus moralis, vel effectum nisi sit spontanea. 4, quia homo nõ inuitè, sed sponte est probus vel improbus. 2 3 4.

Sed hæc sententia videtur non esse approbanda; cum experientia communis testetur, hominẽ interdum inuitè peccare, vel per vim & coactionem; vel per ignorantiam facti pœnitentem. Neque obstant rationes, pro eius probatione allatę. In prioribus enim tribus fallacia committitur à dicto secundum quid, ad dictũ simpliciter. Quod enim tantum verum est de actione spontanea vel in genere, vel saltẽ consultâ, id perperam omni actioni morali tribuitur. In postrema verò est fallacia consequentis quatenus ex illa concessa conclusio tamen generalis affirmata non sequitur. Hinc alii reiectâ hac opinione statuunt omnem actionem moralem aut esse spontaneam, aut inuitam; quia illius principium aut sit internum aũt externum: homoque aut sponte, hoc est, secundum naturalem suam propensionem & voluntatem agat, aut inuitè, hoc est, contra naturalem suam propensionem & voluntatem. Sed neque hæc distributio est sufficiens, cum dentur actiones morales, quæ neque sint spontaneæ, neque inuitæ, sed mediæ cuiusdam naturę, quæ negatio-

Superior sententia improbatur.

Refutantur rationes prioris sententia.

Secunda opinio explicatur.

Secunda opinio etiam improbatur.

Tertia opinio affertur & approbatur.

ne extremorum exprimantur. Itaque rectius faciunt illi, qui secuti Aristotelem, actionē moralem primum diuidunt in simplicem & mixtam: Ac simplicē quidem vocant, quę est vnius & eiusdem naturæ: nec incommodè pura seu homogenea dici potest: mixtam verò, quæ diuersæ est naturæ: nec ineptè impura seu heterogenea dici potest. Deinde simplicem diuidunt in spontaneam & inuitam. Ita enim distributio actionum moralium est suo distributo adæquata, eoque neque latior neque angustior. Cum quâ etiam cōgruit tripartita illa vulgata, quâ actio moralis alia dicitur spōtanea, alia inuita, alia neutra. Quę tamen non est ita exacta, ac præcedens.

2 *Quid sit actio spontanea & quotuplex?*

Spontaneum quid sit in genere.

DEfinit Aristoteles *lib. 3. Ethicor. Nicom. cap. 3.* τὸ ἑκούσιον ἔοικεν εἶναι τὸ οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις, *Spontaneum est, cuius principium est in eo, qui scit singula, in quibus actio versatur.* Hinc igitur colligitur, quod actio spontanea sit, quæ fit ab homine vi interna ad agendum propenso, & cognoscente singulas actionis circumstantias; seu, cuius principium est in homine agente & sciente omnes actionis circumstantias. Et hæc definitio probatur à coniugatis; quia, vt Piccolomineus docet *gradu 2. cap. 11.* Sponte agere est, dum principium vel propensio est in eo, quod agit, & res singulas, in quibus actio versatur, non ignorat.

Actio spontanea quotuplex.

Cum autem omnis actio moralis spontanea aut cum deliberatione & proæresi fiat, aut sine deliberatione & proæresi, vt testatur Aristoteles *lib. 5. Ethicorum Nicomachiorum, cap.* 10. hinc rectè alia dicitur *consulta*, Græcè προβεβουλευμένη, alia

alia *inconsulta*, Græcè ἀπροβούλευτος, seu, quod idem est, alia ἀπροαίρετος, alia ἀπροαίρετος. Rursus cum omnis actio spontanea aut præcedat habitum moralem aut sequatur, hinc rectè alia dicitur antecedens, alia consequens.

3 *Virum actio spontanea soli homini; an verò etiam bestiis competat?*

EX Philosophis alii priorem, alii posteriorem partem quæstionis defendunt. Argumenta pro priore parte sunt: 1, quia spontanea actio pendet à ratione & præelectione. Ratio autem & præelectio non competit bestiis, sed soli homini. 2, quia spontaneâ actio digna est vel laude vel vituperio, vel præmio vel pœnâ. Talis autem non est vlla actio bestiarum. Ideoque spontanea actio non bestiis, sed soli homini competit. *Pro priore sententia.* *Arg.* 1 2.

Argumenta pro posteriore parte sunt: 1, quia bestiæ multa dicuntur sponte, multa inuitè agere. Sic equus sponte dicitur currere per prata, quando freno solutus per ea ad libitum vagatur: inuitè verò dum ab Equite freno & calcaribus ad currendum cogitur. 2, quia in quod inuita actio cadit, in id etiam cadit spontanea. In bestias autem cadit actio inuita. 3, quia Aristoteles *libro 3. Ethicorum Nicom. cap.* 1. absurdum iudicat statuere, feras & infantes non agere sponte. *Pro posteriori sententia.* *Argum.* 1 2 3.

Pro decisione quæst. notandum est, actionem spontaneã modò latè & generaliter vsurpari pro qualibet operatione, quæ libera est à coactione, quæq; fit cũ appetitu aliquo; siue fiat sine cognitione, siue cum cognitione: Et sic non tantum be- *Quæstio decidatur per distinct.*

ſtiis, ſed etiam plantis & corporibus inanimatis competere: quandoque verò ſtrictè & ſpecialiter vſurpari pro actione, quæ fit cum ratione & voluntate: & ſic ſoli homini competere, nihilque aliud eſſe, quam actionem volũtariam oppoſitam inuoluntariæ. Et in hac ſignificatione intelligendum eſſe, quando Latini nonnulli Auctores dicunt, ſponte aliquid facere, eſſe, per voluntatem facere; inuitè, contra voluntatem. Vnde porrò colligitur actionem ſpontaneam in lata ſignificatione differre ab actione voluntaria tanquam genus à ſpecie: ſiquidẽ illa cadit in res tam inanimatas, quàm animatas: hæc verò in ſolum hominẽ; cum voluntas ſecundum Ariſtotelem ſit ὄρεξις μετὰ λόγου, *appetitus boni cum ratione*. In ſtrictâ verò ſignificatione actionem ſpontaneam non differre à voluntaria; quemadmodum neque inuitam ab inuoluntaria. Et ſic ferè ſemper in Ethicis Ariſtoteles ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον pro voluntario & inuoluntario accipit.

Peripſma.

4. *Quid ſit actio inuita, & quotuplex?*

Inuitum quid ſit in genere.

ARiſtoteles *lib. 5. Ethicorum Nicomach. cap. 1.* in genere definit τὸ ἀκούσιον, τὸ βίᾳ ἢ δι' ἄγνοιαν γινόμενον, hoc eſt, *inuitum eſſe, quod vi aut per ignorantiam fit.* Hinc igitur colligitur, quod actio inuita ſit, quæ fit ab homine agente vel per vim, vel per ignorantiam. Vnde porrò colligitur, quod actio inuita ſit duplex; vna violenta ſeu coacta; altera imprudens, ſeu, vt alii loquũtur, inuita per ignorantiam. Violenta actio eſt actio inuita, quæ fit à principio externo contra hominis agentis propenſionem & voluntatem. Et hæc deducitur ex definitione generali *violenti*, quam tradit Ariſto-

Actio inuita quid.

Eadem quotuplex.

teles

teles cap. 1. libr. 3. Ethicorum Nicomach. his verbis: βιαιον, ἐ ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν τοιαύτη ὥστε, ἐν ᾗ μηδὲν συμβάλλεται ὁ πάσχων, *Violentum est, cuius principium est externum, & eiusmodi, vt nihil adiumenti conferat is, qui agit & patitur.* Imprudens actio est actio inuita, quæ prodit ab ignorantia singularum actionis circumstãtiarum, tanquam à causa principali; eaque patefactâ pœnitentiam secum trahit. *Violentum quid sit.*

5 *An aliud sit per ignorantiam agere, aliud ignorantem agere?*

STatuitur thesis affirmatiua. Ratio est, quia ignorantem agere latius patet, quàm per ignorantiam agere. Licèt enim omnis, qui per ignorantiam agit, ignorans etiam agat: tamen non omnis, qui ignorans agit, agit etiam per ignorantiam. Nam qui aliquid agit ex vehemente animi perturbatione, v.g. irâ, vel ex ebrietate, vel ex habitu vitioso, ignorans quidem agit, quatenus hæc mentis aciẽ peruertunt & obumbrant: non tamẽ per ignorantiam agit: quia hæc non est causa principalis illius actionis; tametsi cum agente sit coniuncta. Ebrius enim, v.g. quando aliquem interficit & nescit se hoc agere: tum ebrius agit ignorans; sed non per ignorantiam, quia hæc non est causa peccati illius, sed ebrietas.

6 *An omnis ignorantia actionem reddat inuitam?*

STatuitur thesis negatiua. Est enim ignorantia alia iuris, alia facti. Ignorantia iuris est, quando homo ignorat id, quod scire debeat. Estque alia iuris vniuersalis, alia iuris particularis. Ignorantia iuris vniuersalis est, quando quis ignorat princi- *Ignorantia quotuplex.*

pia practica vniuersalia, seu præcepta communia de honesto & turpi, iusto & iniusto, quæ omnes homines ratione vtentes scire poterant & debebant. Ignorantia iuris particularis est, quâ quis ignorat speciale aliquod & extraordinarium edictum, aut mandatum promulgatum ab eo, qui legis condendæ potestatem habet. Ignorantia facti est, qua quis ex singularibus actionis circumstantiis vnam atque alteram ignorat. Sunt autem actionis circumstantiæ in vniuersum decem; nempe agens, quod agitur, in quod agitur, quo instrumento, quomodo, cuius gratiâ, quando, vbi, coram quo & quam diu. Ex quibus aliæ sunt principales, vt finis cuius gratiâ, & obiectum in quod agitur. Reliquæ sunt minus principales, vt locus, tempus, instrumenta, qualitas, quantitas, &id genus alia.

Quot sint circumstantiæ actionũ.

Cæterum, ignorantia iuris actionem non reddit inuitam propriè: quia est affectata & voluntaria; & causa peccati ex tali ignorantia commissi non tam est ipsa ignorantia, quàm hominis peruersitas, qui noluit ea scire, quæ potuisset & debuisset, antequam actionem susciperet; si saltem mediocriter attendere voluisset. Quilibet enim homo rationis compos tenetur scire principia practica, præsertim vniuersalia, vt secundum ea actiones suas conformare possit. Ignorantia autem facti reddit actionem inuitam, si sit pœnitens, hoc est, pœnitudinem sibi adiunctam habeat, non autem si sit impœnitens. Actio enim, quæ oritur ex ignorantia facti impœnitente, simpliciter neque est spõtanea neque inuita, sed mixta, quę vulgò non spontanea, non inuita dicitur.

Siqui-

Siquidem homo eam simpliciter non facit sponte, respectu voluntatis præcedentis; neque simpliciter facit inuitè respectu voluntatis subsequētis. Hinc non omnes ex ignorantia facti peccantes inuiti peccasse dicuntur; sed tantum illi, quos post factum errore deprehenso pœnitet. Quos verò non pœnitet, illi nec volentes dicuntur peccasse, cum quid agerent, ignorarent; nec etiam inuiti cum nihil videantur contra voluntatem egisse. Itaque dicuntur non sponte peccasse. Et propterea etiam ipse Aristoteles ignorantiam facti, quam vocat ἄγνοιαν τῆς καθ' ἕκαστα, aliam dicit esse ἐπίλυπον, *dolorificam*, quæ adiunctam habeat pœnitentiam, testantem, quod actio sit edita contra voluntatem agentis: aliam verò ἄλυπον, *doloris & pœnitentiæ expertem*; quæ testatur voluntatem actionis à facto non prorsus abhorruisse.

7 *An actiones mixtæ magis sint spontaneæ quam inuitæ?*

ETsi actiones mixtæ simpliciter neque sunt spontaneæ neque inuitæ: tamen comparatè magis sunt spontaneæ, quàm inuitæ: 1, ratione finis, qui maius bonum est, ideoque eligendum. 2, ratione principii, quod est cōsultatio recta, & præelectio ei consentanea. 3, ratione mediorum seu instrumētorum, quæ libera tunc temporis in homine supponuntur. 4, quia violentia & ignorantia circumstantiarum plerunque abest. Exempli gratia: actiones mixtæ sunt, si quis ingruēte tempestate horrendâ bona sua in mare proiiciat naufragii gratiâ: aut latroni magnam summam pecuniæ promittat, vitæ conseruandæ gratiâ: aut

Thesis affir. defenditur.

1
2
3
4

ad tuendos liberos suos periculo vitæ præsentissimo sese obiiciat. Et tamen eiusmodi actiones magis sunt spontaneæ quàm inuitæ.

8 *Vtrum actiones mixtæ per se laudem, an vituperium; veniam, an pœnam mereantur?*

Quæstio explicatur per distinct.

IN actionibus mixtis consideratur partim electio, partim coactio. Ratione electionis illæ quandoque laudem merentur, si nimirum quis propter maius bonum minus malum fecerit: quandoque vituperium, si nimirum quis propter minus bonum maius malum fecerit. Ratione coactionis interdum veniam merentur, vt si quis tormentis coactus falsum confiteatur: quandoque pœnam, vt si quis vitæ suæ conseruandæ gratiâ aut veram religionem abneget, aut patriam prodat, aut parentes interficiat. Hæc enim simpliciter & externè sunt turpia, vt potius extrema quæque homini sint perpetienda, quàm illa facienda. Et propterea rectè Aristoteles ait *lib. 3. Ethic. Nicomach. cap. 1.* ἔνια ἴσως οὐκ ἐστὶν ἀναγκασθῆναι, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποθνητέον παθόντα τὰ δεινότατα· *Sed fortasse nonnulla eiusmodi sunt, vt nullâ vi aut necessitate coacti ea facere debeamus, potiusque mors nobis sit oppetenda, maximique cruciatus perferendi.*

9 *Vtrum actiones, quæ ex ira, cupiditate, aut aliâ animi perturbatione fiunt, sint spontaneæ an inuitæ?*

Opiniones aliorũ recensentur.

DE hac quæstione videtur esse dissensio inter Platonem & Aristotelem. Plato enim *in Dialogo 9. de legibus* statuit ea, quę fiunt ex irâ mediare inter spontè & inuitè facta. Aristoteles verò *lib. 3. Ethicorum Nicomachior. cap. 1. sub finem,*

1

2.

videtur

videtur asserere ea, quæ fiunt ex ira & cupiditate vehemente, non inuitè, sed sponte fieri.

Argumenta pro sententia Platonis sunt: 1. quia primæ animi perturbationes non sunt in nostra potestate, & propterea, quæ per illas fiunt, sponte à nobis non fiunt. Quale enim est principium actionis, talis est ipsa actio. 2, quia si ea, quæ fiunt per ignorantiam facti, quam veritate perspectâ non comitatur dolor & pœnitentia, non fiunt vel inuitè vel sponte, sed mediant inter sponte & inuitè facta: sequitur etiam ea, quæ ex ira aut alia vehemente animi perturbatione fiunt, non fieri vel sponte vel inuitè. Perturbatio enim vehemēs iudicium rationis perturbat, vt homo nesciat, quid agat. Similiter si ea, quæ fiunt per ignorantiam facti; quam sequitur pœnitentia, non fiunt sponte, sed inuitè, sequitur ea quoque, quæ ex irâ aut alia perturbatione, quàm pœnitentia sequitur, fiunt, non fieri sponte. 3, quia veniam merentur illi, qui dicunt se aliquid ex ira aut vehemente alia perturbatione fecisse. Ergò actiones illæ non sunt spontaneæ.

Arg. pro 1. opinione.

1

2

3.

Argumenta pro sententia Aristotelis sunt: 1, quia quæcunque bestiæ naturaliter agunt ex ira & cupiditate vehemente, illa agunt sponte. Ergò multò magis ea, quæ homines agunt cum cognitione & appetitu rationali. 2, quia honesta, quæ fiunt ex ira aut alia perturbatione animi, dicūtur sponte fieri; cum fiant ex principio rectæ rationi consentaneo. Ergò etiam turpia; cum planè sit eadem ratio. 3, quia quæ fiunt ex ira & cupiditate, ab interno principio pendent, adiunctamque sibi habent iucunditatem. 4, quia illa dicuntur

Arg. pro 2. opinione.

1

2

3

4.

sponte fieri, quæ neque per vim seu violentiam, neque per ignorantiam facti pœnitentem fiunt. Talia autem sunt, quæ ex ira & cupiditate vehementi fiunt.

Quæstio decidit per theorem.

Pro decisione quæstionis obseruanda sunt aliquot theoremata: 1, aliud esse, hominem iratum aliquid agere, aliud hominem per iram aliquid agere. Prius enim latius patet, quàm posterius, non secus ac ignorantem agere, & per ignorantiam agere. Quicunque enim per iram agit, etiam iratus agit, sed non contra. Dicitur enim homo per iram agere, quando ira est principalis causa efficiens, ob quam agit, & nisi adesset, non ageret. Iratus verò dicitur agere, quando ira non est principalis causa actionis: Et sic multa sæpè facit homo, quæ rectę rationi sunt consentanea. 2, spontaneum ab Aristotele dici, quod fit cum ratione & appetitu rationali sine externa violétia & ignorantia facti pœnitente; & sic opponitur inuito tam per violentiam, quàm per ignorantiam facti. A Platone verò spontaneum dici non tantum id, quod inuitè per violentiam & ignorantiâ opponitur; sed etiã id, quod fit à principio interno turbato & obumbrato; nẽpe à ratione perturbatâ & obumbratâ. Nihil enim sponte putat fieri, nisi fiat â ratione liberâ & syncerâ: Et propterea negat pueros & bestias spõte agere. 3, Arist. sententiam veriorẽ esse quàm Plat. tum, quia in irato & perturbato homine principium agendi est internũ, non externum; neque vel coactum, vel ignorantia rerum singularium obumbratum: tum, quia homo per naturam suam aptus est per virtutes morales vehementes perturbationes corrigere.

1

2

3.

Quod

Quod igitur ad argumenta attinet pro Platonis sententia allata, respondeo ad primum, perturbationes seu affectus animi primos nō esse in hominis facultate, quatenus sunt naturales & indifferentes; esse tamen, quatenus sunt moderandi, & vel ad bonum, vel ad malum morale determinandi. Ad alterum respondeo, non esse eandem rationem eorum, quæ per ignorantiam facti impœnitentem fiunt, & quæ fiunt ex ira & perturbatione aliquâ animi. Dum enim per iram aliamve perturbationem agimus, possunt nobis singulæ actionis circumstantiæ esse notæ, nec vlla externa vis nos ad agendum compellit: non autē dum per ignorantiam facti agimus. Ac etiamsi perturbatio vehemens iudicium rationis perturbet & confundat, vt homo nesciat quid agat: tamen illa non est ignorantia facti, sed iuris, vt testatur actio hominis vitiosi. *Refutantur Arg. pro 1. Opinione.* 1

10 *An actiones morales, quæ habitum antecedunt, sint eiusdem speciei cum iis, quæ consequuntur?*

PRo thesi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia actiones antecedentes sunt causa efficiens habitus moralis: consequentes verò illius effectum. Quę autem vt efficiens & effectum differunt, illa non sunt eiusdem speciei. 2, quia antecedentes actiones fiunt cum luctâ appetitus & rectæ rationis, h.e. difficulter, molestè & inconstanter: cōsequentes verò sine luctâ appetitus & rectæ rationis, hoc est, facilè, iucundè & constanter. 3, quia antecedentes actiones sunt quidē probæ vel improbæ, sed non probè vel improbè factæ: quia non fiunt ex habitu vel probitatis vel improbi- *Pro thesi negativa Argum.* 1 2 3.

tatis: consequentes verò non tantum sunt probę vel improbæ, sed etiam probè & improbè factæ.

Pro thesi affirm. At contra pro thesi affirmante adducũtur hęc

Argum. argumenta: 1, quia actiones antecedentes à con-

1 sequentibus non differunt, nisi secundum perfe-

2. ctionem & imperfectionem. Perfectio autem & imperfectio non constituunt diuersas species. 2, quia actiones antecedentes & consequentes nõ tantum cõueniunt inter se genere proximo, causisque efficientibus communibus & remotis; sed etiam fine, à quo actiones morales formam suam

Quæstio decidit habent. Etsi verò difficile est, quæstionis propositæ veritatem determinare ob rationum contrariarum momenta: tamen thesis negatiua videtur probabilior affirmatiua: tum, quia rationes illius maioris ponderis esse apparent: tum, quia argumenta pro thesi affirmante non probant id, quod est probandum: cum perfectio alia sit essentialis, alia accidentalis: fierique possit, vt quæ specie differunt, in multis rebus inter se conueniant.

II *An actiones morales rectè distribuantur in bonas & malas?*

Pro thesi affirm. Ratio STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1

1 quia actiones morales aut congruunt cum regula honestatis seu boni moralis, aut ab eadem discrepant. Si congruunt, dicuntur bonæ; si dis-

2. crepant, dicuntur malæ. 2, quia distributio illa nõ tantum habet partes inter se dissentientes, & à toto dissentientes; sed etiam eidem est adęquata, ita vt nulla actio moralis sit, quæ ad alterutram partem non possit referri. Etsi verò ab aliis actiones morales diuiduntur modò in rectas & prauas, modò

modò in probas & improbas, modò in honestas & turpes: illæ tamen diuisiones reipsa & in sano sensu à superiore non dissentiunt; sed planè consentiunt; nisi quod vocabulis aliis exprimantur.

12 *An in facultate hominis sit agere & non agere tam benè quam malè?*

SEntentiam affirmantem passim Aristoteles in libris suis moralibus defendit. Rationes sunt: 1, quia homo sponte est probus vel improbus; &, vt *lib. 2. Ethic. Nicomach. cap.* 7 loquitur Philosophus, ἐφ' ἡμῖν ἐστι τὸ ἐπιεικέσι καὶ φαύλοις εἶναι, *In nobis situm est, vt probi vel improbi simus.* Vnde etiam ab eodem *in citato loco, & lib. 2. Eudem. cap* 6. virtus & vitium dicuntur esse spontanea. 2, quia in homine sunt principia actionum tam bonarum, quàm malarum: cuiusmodi sunt intellectus & liberum arbitrium. Vnde etiam homo sicut per naturam dicitur principium suorum liberorum: ita etiam per voluntatem & proæresin dicitur principium suarum actionum tam bonarum quàm malarum. 3, quia, vt Aristoteles loquitur *in loco citato*, εἰ τὸ πρᾶξαι καλὸν ὂν ἐφ' ἡμῖν ἐστι, καὶ τὸ μὴ πρᾶξαι ἐφ' ἡμῖν ἐστι αἰσχρὸν ὄν, καὶ εἰ τὸ μὴ πρᾶξαι καλὸν ὄν, ἐφ' ἡμῖν, καὶ τὸ πρᾶξαι αἰσχρὸν ὄν, ἐφ' ἡμῖν. *Si agere, quod honestum est, in nobis est*, hoc est, in nostra facultate & arbitrio, *etiam nõ agere, quod turpe est, in nobis est: Et si nõ agere, quod honestum est, in nobis est, etiam agere quod turpe est, in nobis est.* 4, quia duplex libertas in rebus agendis homini à Deo est concessa; vna contradictionis, quâ potest agere & non agere: altera, contrarietatis, quâ potest agere tam bonum, quàm malum. 5, quia leges præcipiunt, vt homo probè viuat & agat, fugiatque contraria. Leges autem

Prothes. aff.
Ratio
1
2
3
4
5

ſunt de iis rebus, quarum efficiendarum facultas
6 eſt in homine. 6, quia leges obedientibus pręmia,
inobedientibus pœnas decernunt & conſtituunt;
vt illis excitentur ad honeſtè agendum, his vero à
turpibus actionibus deterreantur. Hunc autem
finem ſuum leges aſſequi non poſſent, niſi in fa-
cultate hominis eſſet agere & non agere tam be-
7 nè, quàm malè. 7, quia ſuaſiones & diſſuaſiones,
hortationes & dehortationes eo fine inſtituun-
tur, vt homo ad honeſtas actiones inflammetur,
& ab inhoneſtis auocetur. Id autē non fieret, niſi
penes hominem eſſet benè vel malè agere, aut
non agere. Vnde rectè Ariſtoteles *ibidem* ait:
πρὸς ὅσα μήτ' ἐφ' ἡμῖν ἐστι, μηθ' ἑκούσια, οὐδεὶς προτρέπεται πράττειν, ὡς οὐδὲν πρὸ ἔργου ὄντος πεισθῆναι. *Ad ea agenda nemo hortando excitatur, quæ neque in nobis poſitæ ſunt, neque ſponte fiunt; perinde quaſi nihil profuturum ſit perſuaderi, vt ne vel caleamus, vel doleamus, vel*
8 *eſuriamus*, &c. 8, quia homo ob honeſtas actio-
nes laudatur, præmioque afficitur: ob turpes ve-
9. rò vituperatur & punitur. 9, quia hominem ſæ-
pè pœnitet peccati commiſſi, ſeque alioſque
incuſat. Id autem non fieret, niſi in facultate ho-
minis eſſet agere & non agere, tam benè, quàm
malè.

Pro theſi negatiua At verò hanc ſententiam Ariſtotelis Plato e-
iuſque ſectatores videntur improbare. Putant e-
Ratio nim virum bonum ſolum ſponte agere: impro-
1 bum verò non ſponte. Rationes ipſorum ſunt: 1,
quia nemo vult malum ſibi adeſſe; & propterea
etiam improbus in peccando non vult ipſum
peccatum quatenus eſt malum: cum malum per
2 ſe non ſit appetibile. 2, quia nemo ſponte fit im-
probus,

probus, non secus ac nemo sponte fit ægrotus. 3, quia nemo sciens peccat, sed ex ignorantia & errore, quatenus malum pro bono apprehendit. Et hoc etiam testatur Aristoteles *libr. 3. Ethicorum Nicomachiorum, cap 2.* ἀγνοεῖ μὲν πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἃ δεῖ πράττειν, & ὧν δὴ ἀφεκτέον. καὶ διὰ τὴν τοιαύτην ἁμαρτίαν ἄδικοι καὶ ὅλως κακοὶ γίνονται. *Ignorat quidem omnis improbus ea, quæ sunt facienda & omittenda: & propter eiusmodi errorem iniusti & omnino mali fiunt homines.* Sicut contra *cap. 4. eiusdem libri* ait: ὁ σπουδαῖος ἑκάστοις κρίνει ὀρθῶς, καὶ ἐν ἑκάστοις τἀληθῆ αὐτῷ φαίνεται. *Vir bonus de singulis rebus recte iudicat, & in singulis rebus verum ipsi apparet.* Item, ὁ σπουδαῖος τἀληθῆ ἐν ἑκάστοις ἑορᾷ ὥσπερ κανὼν & μέτρον αὐτῶν. *Vir bonus in singulis rebus verum perspicit tanquam earum norma & mensura.* 4, quia quilibet homo id appetit & agit, quod bonum ei apparet. Sed vt alicui verum bonum appareat, penes ipsum non est. Tale enim cuique apparet, quale ingenium possidet. 5, quia homo non potest, quando vult, ab improbitate habituali desistere: cum habitus contractus difficulter mutari possit, & in ipsius potestate non sit. 6, quia homo interdum inuitè agit quod bonum & malum est, nempè vel per vim, vel per ignorantiam facti. 3 4 5 6.

Cæterum, cum hæc sententia Platonica, quæ statuit improbum non sponte peccare, nisi ad bonum sensum trahatur, admodum absurda videatur, & non tantum rationi, experiētiæ & disciplinæ morali communiq; hominum consensui & institutioni aduersetur; sed etiam occasionem præbeat delinquentibus se excusandi, & minus iu- *Sententia Platonica improbatur.*

stas iudicandi leges aduersus delinquentes latas: necesse est, vt argumenta pro illa allata refutentur.

Refutantur arg. pro thesi neg. allata.

1 Ad primum igitur respondeo, neminem velle malum sibi adesse, quatenus est malum: sed tamé idem velle, quatenus habet rationem boni alicuius vel vtilis vel delectabilis. Et quia homo vult id, per quod fit improbus, vult etiam ipsam improbitatem, quatenus videtur sibi esse bona. Qui enim vult media, vult etiam finem, ad quem media ducunt.

2 Ad alterum argumentum respõdeo, primum, in eo esse elenchum falsorum parium. Morbus enim hominis sæpè ex naturæ necessitate aut casu fortuito accidit: improbitas autem non item. Deinde falsum esse, quod homo nunquam sponte fiat ægrotus. Nam vt Aristoteles docet 3. *Ethicor. Nicomach. cap.* 5. dum homo incontinenter viuit, & Medicorum præcepta consiliaque aspernatur, sponte in morbum labitur. Hinc etiam multi, qui ob vitæ intemperantiam ægrotant, reprehendi solent. Id quod non fieret, si sponte morbum sibi non contraxissent.

3 Ad tertium argumentum respõdeo per distinctionem. Sicut enim scientia alia est habitualis, alia actualis: alia confusa, alia distincta; alia certa, alia incerta; alia clara, alia obscura; alia otiosa & inefficax, & quasi ligata; vt patet in dormientibus, ebriis & affectu aliquo vehemente perturbatis, alia efficax, ad vsum expedita & quasi libera: Ita homo sciens dicitur vel habitualiter, vel actualiter; vel confusè vel distinctè; vel certè vel incertè; vel clarè vel obscurè; vel otiosè vel efficaciter.

taciter. Licèt igitur nemo sciens peccet, quatenus actu, distinctè, certè, clarè & efficaciter est sciens: tamen peccat quatenus est vel habitualiter tantum, vel confusè, vel incertè, vel obscurè, vel otiosè sciens. Deinde non quælibet ignorantia facit vt homo inuitè peccet. Datur enim quædam ignorantia affectata & voluntaria; cuius homo ipse est causa principalis, vel ob negligentiam & incogitantiam, quod nõ cognoscere studet principia practica & leges, quas scire tenetur; vel ob vitę dissolutionem; vel ob praua consuetudinem; vel ob vitiosum habitum; vel denique ob intermissum vsum scientiæ habitualis. Et propterea etiam homo punitur, quando ex eiusmodi affectata ignorantiâ peccat, quia potuisset ignorantiam illã propulsare & fugere; si modò studium discẽdi & considerandi adhibere voluisset, aliaque obstacula & impedimenta remouere.

Ad quartum argumentum respondeo, falsum esse, quod penes hominem non sit, vt ei verum bonum appareat. Causa enim cur non appareat, est vel negligentia, & incogitantia, vel consuetudo praua vel habitus vitiosus contractus. Et hoc testatur etiam Aristoteles *l. b. 3. Ethicorum Nicomach. cap. 7.* cum inquit: ὁποῖός πού ἕκαστός ἐστι, τοιοῦτο καὶ τὸ τέλος φαίνεται αὐτῷ. Εἰ μὲν οὖν ἕκαστος ἑαυτῷ τὲ ἕξεώς ἐστί πως αἴτιος, καὶ τῆς φαντασίας ἑαυτῷ πῶς αὐτὸς αἴτιος; *Qualis quisque est, talis & finis ei apparet. Si igitur quisque sibi habitus quodammodo est causa, etiam apparentia erit quodammodo causa.* In quam sententiam etiam ait Piccolomineus *gradu 3. Philosophiæ ciuilis*, cũ ait: *Nos ob nostrum vitæ genus, obque improbas assuetudines frequenter sumus causa, vt ea, qua ma-* 4

la sunt, videantur nobis bona; acita frequenter homines semetipsos dicuntur reddere cæcos mentemque acie priuare; vt etiam vitium dicitur labefactare & peruertere mentis aciem.

5 Ad quintum argumentum respõdeo primum, quod quamuis habitus, cum fuerit contractus, in hominis facultate simpliciter non sit, vt possit quouis temporis momento pro libitu mutare: tamen antequam contraheretur, in eius potestate fuit: cum voluntaria iteratione prauarum actionum ab illo fuerit productus. Sic etiã morbi corporis, quando volumus, deponi nõ possunt: cum tamen illorum plures sint voluntarii, vtpote, intemperantiã contracti. Vt enim qui lapidem misit, licèt eum retrahere nequeat; sponte tamen misisse dicitur: quia in eius potestate erat lapidem mittere & non mittere: Ita quoque morbi & habitus, licèt, postquam contracti sunt, nostrę potestatis esse desinant; voluntarii tamen sunt: quia tunc cum contraherentur, à volentibus contracti sunt. Præterea, licèt habitus contractus non sit amplius in nostra potestate, tamen actiones semper prodeunt è nobis sponte: cum habitus non sit primum principium agendi; sed id, quo agens agit, & ratio agẽdi certo quodam modo, nempe, promptè, expeditè & iucundè. Denique licèt habitus contractus sit stabilis & difficulter mutabilis: tamen diuturnitate temporis repetitioneque contrariarum actionum tandem ab homine mutari potest, vt docet Aristoteles *in post prædicamentis & alibi.*

6. Ad sextum argumentum respondeo, hominem quidem interdum inuitè vel per vim, vel per igno-

ignorantiam facti, id quod bonum & malum est, agere: Sed quæstionem propositam de eiusmodi actionibus non esse intelligendam, sed tantum de actionibus spontaneis, quæ habitum moralem aut antecedunt, aut consequuntur.

13 *An habitus moralis sit principium actionum moralium, & quidem proximum?*

IN prima parte quæstionis thesis affirmatiua est vera, quatenus intelligitur de actionibus moralibus spontaneis. Rationes sunt: 1, quia habitus moralis est qualitas secundum quam homo ad moraliter agendum disponitur. 2, quia est mensura & regula actionũ moralium. 3, quia per eum operationes, quæ suâ naturâ sũt absolutę & indifferentes cõtrahuntur & determinantur ad bonũ vel malum morale. 4, quia cum actiones morales aliæ antecedant, aliæ cõsequantur habitum moralem: respectu priorum, habitus moralis est principium finale, quatenus eius gratiâ fiunt: respectu posteriorum verò est principium efficiens.

Prima pars Quæst. defenditur secundum quid.

Ratio 1

2

3

4.

In altera parte thesis affirmatiua est vera, quatenus habitus moralis cõsideratur vt finis proximus actionum antecedentium: falsa verò, quatenus, habitus mor. consideratur vt efficiens actionum cõsequentium. Licèt enim habitus moralis hominẽ promptum reddat ad moraliter agendũ: (vnde etiam signum contracti habitus statuitur hilaritas, facilitas & constantia in obeunda muneris sui functione: & operari habitu dicitur, qui expeditè, promptè & constanter operatur) tamẽ ab eo immediatè actiones mor. non profluunt; sed necesse est, aliam causam interuenire. Sic inter habitum moralẽ & actiones internas, necesse est,

Altera pars Qu defenditur secundũ quid.

interuenire actualem cognitionem & diiudicationem rei vel expetendæ, vel fugiendæ. Inter illum verò & actiones externas necesse est interuenire partim rectam volitionem finis; partim rectam proæresin, hoc est, appetitionem idoneorũ mediorum ad finem ducentium.

14 *An bona intentio reddat actionem bonam?*

Pro thesi negatiua Argumenta.

PRo thesi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia experientia testatur, finem posse esse bonum; cum tamen actio in se sit mala; vt si quis eleemosynæ dandæ gratiâ aliis sua bona siue clam
1 siue vi eripiat. 2, quia bonitas actionis æstimatur
2. ex bonitate proæresis potius, quàm ex bonitate finis.

Pro thesi affirmatiua Argum.

At pro thesi affirmante adduci solent hæc argumenta: 1, quia actiones vulgò fine distingui dicuntur. 2, quia finis dicitur bonitatem conciliare
1 mediis, vt lib. 2. Metaph. c. 2. Quæst. 38. docetur.
2 3, quia qui in constituendo fine errat, ille etiam
3 in mediis ad finem ordinatis errat: cum hæc formam & rationem rectam ex ipso fine recipi-
4. ant. 4, quia intentio mala semper reddit actionem malam. Ergò vi contrariorum, intentio bona, actionem reddit bonam.

Quæstio deciditur

Pro decisione quæstionis dico, bonam intentionem reddere actionem bonam, si non verè, saltem apparenter bonam.

Respondetur ad arg.

Quod verò ad argumenta attinet in vtramque partem allata respondeo: 1, actionem in se malam
1 dici posse apparenter bonam respectu finis boni.
2 2, bonitatem actionis aliam esse absolutam, aliam respectiuam, eamque vel veram vel apparentem.

Licèt

Licèt igitur respectiua & apparens bonitas actionis ex bonitate finis æstimetur: tamen de absoluta non semper est verum. 3, actiones fine quidem discerni; sed non semper secundum qualitatem moralem, ita vt illæ sint iudicandæ bonæ, quæ finem sibi bonum habent propositum. 4, finem conciliare mediis bonitatem, si non absolutam & veram, saltem respectiuam eamque apparentem. 5, rectam finis constitutionem non semper rectè formare medias, nisi illa constitutio ab ipsa virtute proficiscatur, quæ causa est omnis rectitudinis; vt testatur Aristoteles *lib. 3. Ethicorum Nicomachiorum cap. 5.* cum inquit: κατὰ προαίρεσιν τὸ ὀρθὸν, *quicquid rectè fit, secundum virtutem fit.* 6, non esse parem rationem intentionis malæ & bonæ respectu mediorum. Illa enim semper facit media mala; hæc vero non semper facit media bona: cum non tantum per honesta & licita, sed etiam turpia & illicita media quis ad finem bonum tendere possit. 3 4 5 6.

15 *An actiones vnius virtutis perfectè ab homine exerceri possint, sine actionibus aliarum virtutum?*

SVnt quidam Philosophi, qui thesin affirmantem defendunt, partim ex eo, quod virtutes morales, quæ sunt principia actionum moralium, necessariò inter se sunt connexæ; ita, vt vna sine altera perfectè existere nequeat: partim ex cõtrario, quod qui in vno delinquit, in omnibus deliquisse rectè dicatur. Sed hæc opinio videtur non esse concedenda: 1, quia communi experientiæ aduersatur, quæ testatur sæpè hominem vni- *Sententia aliorum exponitur.* *Arg.* 1 2. *Refutatur superior opinio. Ratio* 1

us virtutis actionem sine aliarum virtutum actione perfectè exercere. 2, quia rectæ rationi repugnat, quæ docet, sicut vna virtus moralis sine alia acquiri ab homine solet: ita etiam vnam sine alia agendo exerceri & declarari. Quod igitur ad argumenta attinet pro thesi negante allata, in primo est fallacia petitionis principii, dum falsum argumentum pro vero sumitur, vt patet *ex cap. 2. libri 2. Quæstionis 8.* In altero est fallacia *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.* Nō enim simpliciter vera est sententia illa, quâ qui in vno delinquit, in omnibus delinquere dicitur; sed tantum vera est, quoad ea, quæ communia sunt omnibus vitiis moralibus: cuiusmodi est recessus à medio, turpitudo, *&c.* non autem quoad ea, quæ singulorum vitiorum sunt propria. Hinc etiam intelligi potest dictum Iacobi, quod *in eius epistola cap. 2.* habetur. Ὅστις ὅλον τὸν νόμον τηρήσῃ, πταίσῃ δὲ ἐν ἑνί, γέγονε πάντων ἔνοχος: *Qui totam legem seruabit, offendet verò in vnam, is omnium est reus.* Sensus enim illius dicti est, hominem aduersus vnum Legis præceptum delinquentem, omnium reum fieri, quatenus recedit à charitate Dei & proximi: quæ finis est omnium præceptorum legis; & sic pœnam omnibus delinquentibus destinatam incurrit. Simili ratione, cum honestum sit finis omnium virtutum moralium: idcirco, qui ab honesto recedit, ratione recessus illius, ab honesto aduersus omnes virtutes delinquere iudicatur.

Refutantur arg. pro thesi neg. allata.

1

2.

Pro thesi affirm.

16 *An omnia peccata moralia sint æqualia?*

Argum. 1

SEntentiam affirmantē olim defenderūt Stoici, aliique, qui Stoicos secuti sunt, vt patet ex

tertio

tertio paradoxo Ciceronis. Argumenta ipsorum præcipua fuerunt: 1, quia omnia peccata moralia sunt tanquam transitiones linearum. Qui autem semel transit lineã, peccat; nec ad augendã transeundi culpam quicquã pertinet longior in transeundo progressus. 2, quia omnia peccata moralia æquè sunt illicita. 3, quia omnia vitia moralia sunt æqualia: cum sint nihil aliud quàm prauitates animi. Ergo etiam omnia peccata moralia, quæ ex vitiis moralibus promanant. 4, quia omnia rectè facta sunt æqualia: cum à virtutibus moralibus proficiscantur, quæ inter se sunt æquales: & nihil recto rectius esse possit. Ergò ex natura contrariorum omnia etiam peccata, quæ rectè factis opponuntur, sunt æqualia. 5, quia omnia peccata moralia oriuntur ex perturbatione rationis atque ordinis. Perturbata autem ratione semel & ordine, nihil addi potest, quo magis peccari posse videatur. 6, quia peccata non ex inæqualitate obiectorum, sed ex æqualitate vitiorum sunt metienda. 7, quia nihil magis arcet homines ab omni improbitate, quàm si credant, nullum in delictis esse discrimen, omniaque peccata moralia esse æqualia. 2 3 4 5 6 7.

Cæterum, hæc sententia Stoicorum falsa est & absurda, propter sequentes rationes: 1, quia peccata moralia sunt transgressiones medii, quod recta ratio virtuti morali obseruandum præscribit. Homo autem dum peccat, modò longius, modò propius à medio illo recedit. 2, quia causæ efficientes peccatorum moralium non sunt æquales; sed quædam magis, quædam minus malæ. 3, quia obiecta circa quæ 1 2 3

Pro sententia affirmat.

versantur peccata moralia, non sunt æqualia; sed quędam maiora & præstantiora, quædam minora
4 & ignobiliora. 4, quia peccata spontanea, deteriora sunt inuitis; & cōsulta, incōsultis. 5, quia quædam peccata commiserationem & veniam merentur; eaque modò magis, modò minus: quæ-
6 dam verò non. 6, quia inæquales pœnæ à Legislatoribus delictis sunt constitutæ. Id autem non fieret, si omnia essent æqualia. Iniustum enim est, æqualibus peccatis inæquales pœnas decernere.
7. 7, quia Aristoteles *lib. 5. Ethicorum Nicomachiorum cap. 10. & lib. 1. Rhetoric. capite 13.* tria genera constituit peccatorum, quibus alter alteri damnum infert. Alia enim vocat ἀτυχήματα, *infortunia*; alia ἁμαρτήματα, *errata*, alia ἀδικήματα, *iniusta facta* seu *crimina*. Ἀτυχήματα dicit esse, ὅσα παρὰ λόγον καὶ μὴ διὰ πονηρίαν, *quæ præter opinionem & non a malitia fiunt*: Ἁμαρτήματα, ὅσα μὴ παρὰ λόγον καὶ μὴ διὰ πονηρίαν, *quæ non præter opinionem fiunt neque a malitia*: Ἀδικήματα, ὅσα μήτε παρὰ λόγον, διὰ πονηρίαν δ' ἐστί, *quæ non præter opinionem, sed a malitia fiunt*. Quæ trichotomia Aristotelis ad dichotomiam commodè reuocari potest, si dicamus, peccatum aliud fieri per ignorantiam & sine malitia: aliud sine ignorantia & cum malitia: Et prius quidem, quod vno vocabulo dici solet ἀγνόημα, vel esse inopinatum seu improuisum, vt ἀτύχημα· vel non inopinatum seu prouisum vt ἁμάρτημα. Posterius verò, quod dicitur ἀδίκημα, vel fieri sine deliberatione & prælectione, vt id, quod fit ex affectu & cupiditate subitâ & vehemente; & Græcè vocatur ἀπροβούλευτον καὶ ἀπροαίρετον ἀδίκημα; vel cum deliberatione & prælectione, seu ex destinata malitiâ, quod

quod Græcè dicitur προβεβουλευμένον καὶ προαιρετικόν. 8, quia idem Philosophus in citatis locis, quædam peccata docet esse συγγνωμικὰ, *venialia*, quę veniam merentur; alia δὲ συγγνωμικὰ, *non venialia*, quæ veniam non merentur. Illa autem distinctio peccatorum inæqualitatem arguit. 9, quia Iurisconsulti certos delictorum gradus constituunt, ideoque aliud vocant dolum nempe malum; aliud, culpam; aliud, casum. Dolum vocant peccatum ex destinata malitia animo fallendi profectum. Culpam vocant peccatum per imprudentiam factum, quæ tamen humana diligētia euitari potuisset: Eamque diuidunt in latam, leuem & leuissimam. Latam culpam vocant, cùm quis per crassam ignorantiam admittit talia, quæ omnes vel sciunt non esse facienda, vel saltem scire debebant: aut ignorans intermittit ea, quæ summo studio erant expedienda & facienda. Leuem culpam vocant, cum quis sine malitia ex sola segnitie animi non adhibet exactam illam diligentiam, quam homo consideratus in rebus suis secūdum communem hominum naturam præstare solet. Leuissimam culpam vocant, cum quis non adhibet exactissimam consideratione & diligentiam, qualem consideratissimus & diligentissimus quisque supra communem hominū naturam & consuetudinem in propriis suis rebus adhiberet. Casum vocant peccatum præter omnem agentis cogitationem factum.

8

9.

Dolus quid.

Culpa quid.

Eaq;

1 *Lata.*

2 *Leuis.*

3 *Leuissima.*

Casus quid.

Proinde rectè concluditur, peccata moralia non omnia esse æqualia, sed quædam æqualia; quędam inæqualia: & ex his alia plures, alia pauciores intensionis & remissionis gradus habere.

Quæstio concluditur.

Respondetur breuiter ad arg. pro thesi affirm.

Quod igitur ad argumenta pro thesi affirmante allata attinet, respondeo, illa omnia fallaciam petitionis principii committere. Sumitur enim in iis pro vero & certo, quod tamen falsum est & incertum.

17 *An vna actio improba possit hominem facere improbum?*

Pro thesi negatiua

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia

Ratio 1 nemo dicitur improbus, nisi ab habitu improbitatis sibi inhærente. Habitus autem nullus acquiritur vna actione, sed pluribus actionibus eiusdem generis frequenter iteratis. 2, quia nemo

2 fit improbus nec cum semel, sed cum semper, aut

3. plerumque improbè agit. 3, quia vna actio proba non potest hominem facere probum. Ergò vi cõtrariorum, neq; vna actio improba hominem potest facere improbum. Neque obstat quod vulgò

Obiectioni occurritur. dici solet, vnam actionẽ improbam multas probas obscurare & corrumpere. Nam etiamsi id cõceditur; inde tamen nihil inferri potest, quod superiori thesi repugnet.

18 *An facienda sint mala, vt eueniant bona?*

COmmune est Theologorum axioma, *nõ esse facienda mala, vt eueniant bona*. Eius veritatem non tantũ approbat Apostolus Paulus *Rom.* 3. *v.* 8. sed etiam ipsa ratio, quæ suadet, vt ad finẽ bonum per honesta & licita, non autem per turpia & illicita media contendamus.

At in contrariam partem obiicitur exemplum eorum, qui maioris boni conseruandi aut acquirendi, partim maioris mali euitandi gratiâ mala faciunt; vt, cum quis vitæ suæ conseruandæ gratiâ

facit

facit iacturam vel mercium suarum in mari, vel pecuniæ suæ in itinere: item, cum ignorantiæ vitandæ gratiâ totum patrimonium suum absumit, variasque laborum & periculorum molestias ac difficultates in se suscipit. Respondeo bonum aliud esse honestum, aliud vtile, aliud iucundum: quemadmodum malum aliud turpe, aliud noxium, aliud molestũ. Quod si de malo turpi intelligas thesin negantem quæstionis, illa simpliciter est vera. Non enim vllo modo sunt facienda turpia vt bonum inde vel honesta, vel vtilia vel iucunda eueniant. Si verò de malo noxio vel molesto intelligas, non simpliciter est vera. Licitum enim est quandoque facere mala, noxia & molesta, vt inde aut bonum honestum consequamur, & malum turpe fugiamus; aut saltem maius bonum vtile aut iucundum siue conseruemus, siue consequamur; aut maius malum noxium & molestum fugiamus.

Quæstio decidituir per distinct.

19 *An semper ex duobus malis sit eligendum minus?*

TRitum est Philosophorum effatum, ex duobus malis minus esse eligendum. Ratio ipsius est, quia minus malum comparatum cum maiore malo obtinet locum boni; vt testatur Aristoteles *lib. 5. Eth. Nic. c. 7.* cum ait: ἐν ἀγαθὸς λόγῳ γίνεται τὸ ἔλαττον κακὸν πρὸς τὸ μεῖζον κακόν. ἐστὶ γὰρ τὸ ἔλαττον κακὸν μᾶλλον αἱρετὸν τοῦ μείζονος· τὸ δ' αἱρετὸν, ἀγαθὸν, καὶ τὸ μᾶλλον, μεῖζον. *Boni rationem obtinet minus malum cum maiore comparatum. Est enim minus malum magis expetendum, quam maius. Quod autem expetendum est*

Sententneg. defenditur.

bonum est, & quod magis expetendũ, magis bonum est. Verum hoc effatum Philosophicum non simpliciter est verum; sed tantum secundum quid, nempe de malis noxiis & molestis, quorum electio est libera & licita, & sine peccato aut saltem innocentiæ periculo fieri nequit. Inter duo enim mala turpia, seu honesta neutrum est eligendum nec maius nec minus: cum vtumque lege sit prohibitum. Et propterea etiam Aristoteles *lib.* 3. *Ethicorum Nicomchiorum cap.* 1. ait esse quædam, quæ nullâ vi & necessitate coacti facere debeamus, potiusque nobis mors sit oppetenda, grauissimique cruciatus perferendi. v.g. Si Tyrannus aliquis viro bono & pio optionem det, vt aut veram religionem abneget, aut innocentem hominem spoliet ac interficiat: neutrum est eligendum: quia vtrumque est inhonestum & impium, & à Deo prohibitum. Idem *lib.* 4. *Ethicorum Nicomachiorum cap.* 14. ait: ἐστὶ τὰ μὲν κατ' ἀλήθειαν αἰσχρὰ, τὰ δὲ κατὰ δόξαν· οὐδέτερα δὲ πρακτέα. Similiter inter duo mala pœnę, quorum opinio innocenti offertur, neutrum est eligendum, ne in criminis suspicionem veniamus.

Hinc Princeps Condęus, cum ei à Carolo IX. Galliarũ Rege optio daretur, vt aut Missam eligeret, aut mortem, aut carcerem perpetuum, prudenter admodum & laudabiliter, respondit: Primum Deo iuuante nunquã eligam: duo reliqua Regis arbitrio permitto: sic tamen vt bene sperẽ Deum hæc quoque suâ paternâ prouidentiâ gubernaturum. Sciebat enim malum turpe & impium simpliciter esse repudiandum: ex malis autem pœnæ neutrum sibi innocenti esse eligendum.

dum, ne sceleris suspicione se immerentem oneraret.

20 *An actio, quæ absolutè & per se mala est, pro ratione circumstantiarum possit fieri & censeri bona?*

PRo thesi affirmante faciunt partim exempla, partim ratio. Exempla sunt: 1, proiectio mercium in mare coortâ graui & periculosâ tempestate, absolutè & per se est mala: & tamen à mercatore sæpè tanquam medium bonum eligitur & suscipitur, ad vitandum naufragium & conseruandam vitam. 2, sectio & combustio alicuius membri absolutè & per se est mala; & tamen ab ægroto interdum eligitur ad curandum morbum & recipiendam sanitatem. Ratio est, quia minus malum comparatum cum maiore malo obtinet rationem boni, vt Aristoteles non tantum *cap.* 1. *sed etiam cap.* 2. *libri* 5. *Ethicorum Nicomachiorum* testatur, inquiens: δοκεῖ τὸ μεῖον κακὸν ἀγαθόν πως εἶναι, *videtur minus malum, quodammodo bonum esse.* At pro thesi negante obiici potest regula illa Philosophorum, quæ statuit aliquid, quod per se est tale, nec per se nec per accidens, posse reddi non tale, seu oppositam obtinere conditionem & naturam.

Pro sententia affirmat.

Arg. 1

2.

Pro thesi negatiua Obiectio

Pro decisione quæstionis sciendum est, thesin affirmantē quæstionis esse veram de illo genere mali, quod noxium est & molestum; non autem de eo, quod est turpe ac inhonestum, præsertim si vt tale cõsideretur. Quod igitur ad obiectionem attinet pro thesi negante allatam, respondeo, ea, quæ absolutè sunt mala (scilicet in genere noxiorum & molestorum) semper esse mala in suo de-

Quæstio decidituer per distinct.

Respondetur ad obiect.

finito gradu, & nunquam ratione sui esse absolutè eligenda: tamen comparata cum aliis minus mala, & sic bona dici posse. Neque huic assertioni obstare regulam allatam, quæ vera est de his, quæ absolutè rei competunt, & absolutè considerantur; non verò de his, quæ in relatione & comparatione sunt posita. Hæc enim per varias comparationes variis modis iudicari posse: cum tamen absolutè semper mala sint. Siquidem absolutè malum, & alicui bonum inter se non pugnant.

21 *An peccatum morale aliud sit excusabile, aliud inexcusabile, & quodnam sit tale?*

SEntentiam affirmantem defendit Aristoteles *lib. 5. Ethic. Nicomach. cap. 10. sub finem.* Sic enim inquit: τῶν ἀκουσίων τὰ μὲν ἐστι συγγνωμικά, τὰ δ' οὐ συγγνωμικά· ὅσα μὲν γὰρ μὴ μόνον ἀγνοοῦντες, ἀλλὰ καὶ δι' ἄγνοιαν ἁμαρτάνουσι, συγγνωμικά· ὅσα δὲ μὴ δι' ἄγνοιαν, ἀλλὰ ἀγνοοῦντες μὲν, ἀλλὰ πάθος μὴ τι φυσικὸν, μήτ' ἀνθρώπινον, οὐ συγγνωμικά. *Eorum, quæ inuitè fiunt, alia veniam merentur, alia non. Quæcunque enim non solum ignorantes, sed etiam propter ignorantiam peccant homines, iis ignorandum est: Quæcunque verò non propter ignorantiam peccant, sed ignoranter propter affectum, neque naturalem, neque humanum; iis non est ignoscendum.* Hinc igitur manifestè colligitur, peccatum morale aliud esse excusabile, aliud inexcusabile. Illud siquidem definitur peccatum, quod veniam meretur: hoc verò, quod veniam non meretur.

Peccatum excusabile quid.

Porrò, quod peccatum sit excusabile seu veniale; quod verò inexcusabile seu non veniale, id explicatu admodum est graue, præsertim si ad singu-

singularia sit descendendum. Interim tamen in genere notandum est, inexcusabilia esse peccata: 1, quæ consultò & ex destinata malitia fiunt, vt sunt ἀδικήματα προπετικά. 2, quæ fiunt ex ignorantia affectata iuris, præsertim vniuersalis. 3, quæ fiunt ex ignorantia facti impœnitente, hoc est, quam post rei patefactionem & cognitionem pœnitentia non sequitur. 4, quæ fiunt propter affectum aliquem neque naturalem, neque humanum, verbi gratiâ, ex odio, inuidia aut ebrietate voluntaria. 5, quæ fiunt ex casu fortuito: cum quo tamen coniunctum est propositum malè agendi: aut cuius causa aliqua est in agente vel tractãte rem ludicram & vanam, quæ omitti rectius & honestius potuisset, vel aliam efficienti vim cõferente; vt si quis propositum habeat interficiẽdi Titiũ, & ex casu fortuito occidat Caiũ interuenientem: aut, si quis per lusum tegulas è tecto in terram, aut saxa è monte in vallem iaciat, & sic ex casu fortuito interficiat hominẽ: aut si quis bacillo debili cupiat leuiter verberare alium eamque interficiat. Contra verò venialia & excusabilia peccata sunt: 1, quæ ex ignorantia iuris particularis non affectata fiunt, vt si peregrinus ingressus vrbẽ peccet contra aliquod illius statutum, quod nondum eo tempore sciebat, neque propter recentem ingressum scire poterat. 2, quæ fiunt ex ignorãtia facti pœnitẽte, h. e. quam re cognita pœnitentia sequitur. 3, quæ fiunt propter affectũ aliquem vehementẽ, naturalẽ tamen & humanum. v. g. ex amore nimio liberorum, aut ebrietate inuoluntaria. 4, quæ fiunt ex casu fortuito, qui neque oritur ex re ludicra, neque vllam causam in

Quæ peccata sint inexcusabilia.

1
2
3
4
5.

Quæ peccata sint excusabilia:

1
2
3
4.

agente habet, vt si quis ligna secans, & securim fortiter attollens, aliquem à tergo, quem adesse ignoraret, occideret: aut per securim è manubrio excidentem alium hominem forte fortunâ prætereuntem interficeret.

22 *An actiones morales rectè distribuantur in internas & externas; & num vtraque semper inter se consentiant?*

In prima parte Quæst. thesis affirm. defenditur.

CVm actiones morales aliæ intra, aliæ extrà hominem: aliæque per se sint insensiles, aliæ sensiles: videntur non ineptè diuidi posse in internas & externas. Vtrum autem internæ & externæ illæ actiones semper inter se consentiant, de eo non immeritò dubitatur. In hypocritis enim & insyncteris hominibus videntur externæ ab internis dissentire. Sed respondeti potest, in hominibus verè probis semper externas cum internis consentire: In improbis verò non item: quippe qui sæpè actiones externas edunt, quæ videntur probæ, honestæ & laudabiles, cum tamen reuera ab internis actionibus discrepent.

In Secunda thesis affirm. defenditur secundum quid.

Finis totius Ethicæ Generalis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0484
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0485
DFG

QVÆS

quod Græcè dicitur

quia idem Philosophus in citatis loci

peccata docet esse συγγνωμικὰ, venialia,

merentur; alia δ συγγνωμικὰ, non venialia

am non merentur. Illa autem distinct

rum inæqualitatem arguit. 9, quia

ti certos delictorum gradus constitu

que aliud vocant dolum nempe ma

culpam; aliud, casum. Dolum voca

ex destinata malitia animo fallendi

Culpam vocant peccatum per im

factum, quæ tamen humana diligéti

tuisset: Eamque diuidunt in latam,

uissimam. Latam culpam vocant,

crassam ignorantiam admittit talia,

vel sciunt non esse facienda, vel sal

bebant: aut ignorans intermittit ea,

studio erant expedienda & facienda

pam vocant, cum quis sine malitia

tie animi non adhibet exactam illa

am, quam homo consideratus in re

dum communem hominum natu

solet. Leuissimam culpam vocant,

adhibet exactissimam consideratio

ligentiam, qualem consideratissim

tissimus quisque supra communen

turam & consuetudinem in propriis

hiberet. Casum vocant peccatum p

agentis cogitationem factum.

Proinde rectè concluditur, pe

non omnia esse æqualia, sed quæ

quędam inæqualia: & ex his alia pl

ciores intensionis & remissionis g

9.

olus quid.

ulpa quid.

Latæ.

Leuis.

Leuissima.

Casus quid.

Quæstio con-
cluditur.

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 032
Patch Reference numbers on UTT
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756906210/phys_0491
DFG